ENCHIRIDIVM MEDICVM, ETHICVM, ET THEOLOGICVM;

Siue Magni Hippocratis Coi aphoriſmorum Sect. VII.

In quibus, facta ſacrarum ſententiarum, ad aphoriſmos collatione, Breuiſſima elicitur methodus, dignoſcendarum, præſagiendarum, & curandarum animi ſimul, atque corporis ægritudinum.

Opus cunctis Theologis neceſſarium; Reliquis verò ſtudioſis, atque ipſis etiam Medicis, vtiliſſimum.

AVCTORE
GEORGIO MORALI
Philoſopho, ac Medico Veneto,
Olim in Florentiſſimo Piſano Gymnaſio Publico Profeſſore.

Cum duplice Indice, altero Quæſitorum, altero vero rerum, ac verborum magis inſignium.



VENETIIS, Apud Iuntas M.DC.LV.

Cum Licentia Superiorum, & Priuilegio.



ILL.MO, AC REVER.MO

D. D. GEORGIO CORNELIO,

EPISCOPO PATAVINO, COMITI SACCENSI, &c.

GEORGIVS MORALIS,

Philosophus, ac Medicus Venetus, perennem pręcatur fœlicitatem.



Ranciscus Verinus, reconditæ eruditionis vir, libro de Philosophiæ præstantia aduersus detractores, triplicem modum, quo Deum creaturæ cognoscunt, optima quidem ratione animaduer-

tit; prima, quam directam vocat, quæ est oculi nostri, sic vt in rem propositam intendit, cum illa cognitione componitur, qua beatorum mētes præsentem Deum, facie ad faciem, vt loquitur D. Paulus, contemplantur. Secundam vocat repercussam, siue earum rerum perceptionem, quarum à speculis ad nos imagines reuertuntur; cui non absimilis est illa cognitio, qua Deum, per fidem, in rebus creatis, veluti quodam speculo, aut ænigmate, intuemur. Tertia denique, quam infractam vocant,

cant, ea est, qua rerum species, per dissimilia diaphana transmissæ, & ab iisdē quasi deformatæ, ac fractæ, in oculos immittuntur; sic Ethnici diuinitatis notionem aliquā, multis erroribus vitiatā, solius naturæ lumine, assequuti fuere: Omnium tamen minime deceptum fuisse diuinū nostrum Hippocratem, iure merito opinamur, siquidem sacrum codicem perlegisse; atq; illius sapientissimos viros, in plerisque, sequutum, ac imitatum fuisse, inferiùs euidentissimè demonstrabimus. Quapropter non temera-

merariam (vt aliqui fortaſſe ſuſpicabuntur) prouinciam ſuſcepimus, dum eiuſdem aphoriſmos ad ſacras ſententias ita contulimus, vt illi, per has, illuſtriores redderentur. Quamuis autem eius præcipuum inſtitutum fuerit, de corporeis tantum morbis verba facere; cenſemus tamen, diuinum Senem illorum tranſlationem ad animi morbos neutiquam ignoraſſe, cum id, tum ex reliquis ſuis monumentis, tum præcipuè ex eius iure iurando, poſſit quilibet colligere: quibus accedit, quod habet D. Augu-

ſtinus, illum ſcilicet, ob eximiam pietatem erga humanum genus, fuiſſe diuinum appellatum; addimus nos, potuiſſe etiam diuinum appellari, ob pietatem erga D. O. M., ſiquidem illum, inter Ethnicos philoſophos, omniũ optime fuit contemplatus; quod tum alibi, tum præcipuè in libris præſagiorum, indicauit, quando inquit. Eſſe quid diuinum in morbis. Quod verò illas præcipuè ſententias, quæ tum in Salomone, tum in Sirachide continentur (reliquis non neglectis) ſeligerimus, factum

fuit, quoniam rationi consen-sentaneum visum fuit, Hippocratis magis selectos aphorismos, per magis selectas sẽtentias illustrare. Iam vero (vt interim Sirachidem prætermittam) de Salomone sic habetur in libris Regum. Et præcedebat sapientia Salomonis, sapientiam omnium Orientalium, & Aegyptiorũ, & erat sapientior cunctis hominibus; sapientior & Ham, Ezraita, & Heman, & Chalcol, & Dorda filijs Mahol, & erat nominatus in vniuersis

uersis gentibus per circuitum. *Hæc potissima fuit causa, vt nostris hisce scholijs, successiuis horis efformatis, Mæcenatẽ adoptare intendens, te vnum (Præsul Illustrissime, ac Reuerendissime) inter plurimos elegerim, qui illa, qua polles, auctoritate, ab obtrectatorũ, & obloquentium molestia tuearis; neque certè auctoritati deerit sapiẽtiæ dignitas, qua id præstare possis, siquidem ex ipso Sapiente didicisti, probitatis imaginem omnibus suis lineamentis accuratè exprimere;*

hinc etenim factum fuit, vt
olim admirata fuerit Roma,
quum te adolescentem Sacræ
Rotæ auditorem conspexit;
admirata inquam fuit vul-
tus dignitatem, sermonis le-
porem, in dicunda sententia,
senatoriam grauitatem, in-
tegrum iudicium, cum præ-
coci (supra quam dici possit)
ingenio, atque, vt verbo di-
cam, tam insignia animi, &
corporis fastigia in vnum,
quasi consilio, conspirantia.
Subinde obstupuit Patauiũ,
quum in te ipso adhuc iuuene
conspexit Pastoralem sollici-
tudinem eximiam in instruẽ-

dis subditis, atq; regẽdo gre-
ge; summam pietatem, si qui-
dem studiosos, vndecunq; ad-
uenerint, in tuam tutelã in-
nata benignitate complexus
fuisti, pauperes vero, nõ exi-
guo numero, modò bonæ indo-
lis speciem præseferrent, ad
literarum studia inuitasti;
quod vt summa alacritate
institutum fuit, ita etiam
in eo non minori constan-
tia perstitisti; dignouisti sci-
licet illud Platonis in me-
mone ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖται τοῦ ὀ-
ρθῶς πράττειν, quod idem sonat
ac si dicamus, Prudentia sola
præit, & ducit ad rectè fa-

ciendum; quod si agricolæ tantùm laboris, & diligentiæ ijs agris, & arboribus excolendis, impendere consueuerunt; ex quibus fructum aliquem se percepturos sperant, quid in re tam fructuosa fieri deceat. In tuo extruendo, atque exornando palatio, admirandam œconomiam, eximiam erga domesticos liberalitatem, erga pauperes pietatem. Obstupuit non modò populus Patauinus, verũ etiam doctorum omnium cœtus, quum in tuis publicis cõcionibus degustauit, non fucatam, non calamistris orna-

tam, sed nitidam, puramque eloquentiam, inauditam eruditionem. Quid dicam de aduenis, quum tuam intuentur regiam suppellectilem, in qua scilicet, materiã superat præclarum opus; quũ inspiciunt effigies tantorum Serenissimorum huius æuiternæ Reipublicæ Ducum, Eminentissimorum Cardinalium, qui tum in paterna, tum in materna familia floruerunt? Potiori iure arripuit nos, quum te vidimus, elapsis annis, ex Patauio Venetias aduolasse, vt lethali Excellentiss. Parentis mor-

ho præeſſes, atque auxiliares manus admoueres, quod tanta præſtitiſti vigilantia, & dexteritate, vt inde potiſsimum ſalus emanarit; neq; etenim ſatis eſt medicum ſuum præſtare officium, niſi etiam & adſtantes, *admonet Cous Senex. Non eſt minori laude dignum, quod te ipſum grauiſsima ægritudine vexatũ, audiuerimus prædictorũ ſapientum leges ad artem medicam attinentes, ad verbum pronunciantem. Cum igitur Salomon in ſua ſapientiæ effigie, non plures lineas duxe-*

rit, quàm quæ virtus ipſa in te vno delineauit; nil mirum ſi prudentiſsimi principes tua conſuetudine adeo oblectantur, vt tecum aſsociati, iucũdiorem vitam degant; dignoſcunt ſcilicet multa, eaq; præclara, quæ generoſus animus, atque vaſtum pectus meditatur, ac molitur; vt enim cœlũ perpetuo, & mortalibus vtili motu fertur, & innato ſibi impetu in orbem rapitur, ſic mens tua cœleſtium corporum æmula quieſcit nunquã, ſed ſemper magnum quippiam agitat, & iugi præſtantium rerum co-

gitatione, ceu pondere quodam, agitatur. Sed omnia, quæ vel enumerare longum eßet, prætereo, ac ſilentio inuoluo, quòd magis hiſtoriæ, quàm epiſtolæ debeantur. Vnum prætermittere non debeo, iure merito ſperare perſpicaces quoſque viros, Patrem luminum, à quo omne datum optimum, & omne datum perfectũ, *te ad Eminentiſsima dignitatis faſtigia, breui promoturum. Vale, ò re magis, quàm titulo Illuſtriſsime, ac Reuerendiſsime Antiſtes, muſarum deliciæ, Venetiarum*

rum decus, atque ita valeas, vt innumeras annorum myriades Neſtore longeuior peragas. Interim hoc qualecunque munuſculm, hilari fronte ſuſcipere ne dedigneris.



EX

EX comissione RR. Patris Inquisitoris Generalis Venetiarum, totiusque Serenissimi dominij, legi librum, cuius inscriptio est, Enchiridion Aphorismorum Magni Hippocratis Coi, ab Excell.mo D. Georgio Morali, Philosopho, ac Medico præstantissimo, elaboratum; in quo omnia reperi orthodoxæ fidei, ac bonis moribus maximè consona, nec non professoribus vtilia; Adeoque existimo huiusmodi opus dignum, quod in lucem mittatur.

Venetijs Die 10. Decembris 1654.

Frater Egidius è Melo strictioris obseruantiæ S. Francisci Lector, & Consultor S. Officij Venetiarum.

IMPRIMATVR.

Frater Ambrosius de Fracassinis Magister, & Inquisitor, qui suprà.

Et



T cui, nisi Auctori Morali, morum licuit expendere corruptelam, ęgrisque, non modò ægrotis medelam ferre? Ecquis, nisi nouus artis Medicæ Apollo, cordis poterat penetralia rimari, noxiasque mortalium affectiones linceis plusquam oculis explorare? Ecquid diuinum inuentum, Dedali, aut opus? corporis dum intenditur sanationi, passionum exundantiam commouere? dum sospitati prospicitur, extimulare ad integritatem? detectisque quà vitijs, quà morbis, non tam languentes ad incolumitatem reducere, quàm studiosos ad honestatem prouehere, ac efformare? At satiùs alter Prometheus, qui non flammam solis è sphœra, sed igniculos ad virtutem, sapientioris ope Mineruæ, mediceis detraxit stellis: qui non febrium cohortem è cœlis, sed ægritudinum colluuiem relegat terris: qui si non luteum animat hominem, sœpe mortis adimit falce; & nunc demortuos etiam animos excitando, Aesculapio validior, nobili stratagemate, vitæ

reddit.

reddit. Hunc ergo, cuius viſcera, non iam Aquilæ roſtrum, ſed anxia exedit ſalutis vtriuſq; ſollicitudo; non Caucaſo, ſed Olympo; non ſaxo, ſed cordi obſtriſtum eſſe merito decet: cuius etiam ſaluberrimam lucubrationem, Meleſigene certè cariorem, Regio donaret pectore & Alexander, Tanto viro obſequentiſſimus.

Frater Innocentius Pecini Venetus, ſacræ Theologiæ Magiſter, in vniuerſitate Patauina Publicus Metaphyſicus, & in generali Prædicatorum ſtudio ibidem Regens.

Fau-

FAuſtiſſima mihi affulſit dies, cum opus Georgij Moralis ſapientiſſimi viri, Medicum, Ethicum, & Theologicũ obtigit videre, immo potiùs admirari; atque exinde noui non ſemper Authores opera ſua, ſed plerumq; opera Authores ſuos in fulgentiſſimam prodere lucem. Neque vnum dumtaxat hoc opus, ſed reliqua iam typis expreſſa, ſuum, pari modo, commẽdant opificem; parque erat, doctiſſimum ſimul, atq; optimè moratum virum, mores noſtros ſacris vnà, & medicis præceptis inſtituere, immo emendare. Agit Author, inter gnomas medicas, verã ſapientiæ cauſam, quæ rerum eſt altiſſimarum, dum ſimul altiora ſacrę ſcripturæ, & Theologiæ, rimatur arcana, optimoque iure, Medici, Ethici, atque Theologi, & opus, & Author ſibi nomen vſurpant æquè. Sic meam fero ſententiam.

Ego D. Ioſeph Marauiglia, Philoſophiæ, & Theologiæ Doctor, atque in Gymnaſio Patauino publicus Ethicæ profeſſor.

Eru-



Ruditissimi Georgij Moralis, ad Hippocratis aphorismos commentaria, iam pridem auidè susceperunt, atque degustarunt, præclari quique præcipuorum gymnasiorum Doctores, cæterique Medici; neque certè mirum, quandoquidem, quidquid vtile in reliquis visum fuit, in vnum collegit; atque insuper; abstrusiores quasque sententias, priùs, quasi densa rerum caligine dissitas, illustrauit, tenebras fugauit; tam præclaro ordine, tantaque perspicuitate; vt non modò iuniores erudierit, verùm etiam doctiores locupletauerit. Edidit postmodum manuductionem, in qua, inter reliqua admiranda, aphorismos priùs habitos, vel tanquam spurios, vel tanquā mutilatos, antiquo magistro dignissimos esse comprobauit, tanta euidentia, vt nulla ampliùs in publicis scholis adsit ambiguitas. Paucis interpositis mensibus aureo libello, quem *Hippocratis artem paruam nūcupauit*, eundem diuinum senem disertissimè enucleauit; siquidem in eiusdem aphorismis resolutiuam methodum seruatam, à nemine priùs indicatam, adinueuit; eandem, vniuersam artem medicam complecti demonstrauit; euidentissima breuitate, aphorismum, per aphorismum, vel declarauit, vel comprobauit, vel limitauit. Deerat Morali Celeberrimo, re vera pijssimo, ac Moralissimo, tantam prꝗceptoris doctrinam, per sacras sententias illustriorem reddere; & ecce sapientissimum opusculum Medicum, Ethicum, & Theologicum, quo dignoscuntur, præsagiuntur, atque curantur animi simul, atque corporis ægritudines. Gaudeant ergo Medici, qui suum præceptorem Moralem Philosophum, ac Medicum intuentur: exultent Ethici, siquidem hoc ipsum moralissimum opus condidit, atque methodum componendi mores composuit: iubilent Theologi, atque in primis verbi Dei præcones, qui toties à me petiere Hippocraticorum aphorism. ad sacras sententias collationem. Tandem lector, quisquis es, in præclarissimo hoc Moralis labore diu morare, ex huius

ora-

oratione facunda mens fiet, tibi ratione fœcunda, admirare famam, cuius penna hæc scripsit digna cedro; non veretur sociari cypresso. Insurgant inuidi; quadrato sapientiæ lapidi virtus innixa fugabit, abijciet, solo æquabit.

Sic affirmo Ego Frater Franciscus de Caballis, Capucinus, olim Serenissimorum Mantuæ Ducum, Medicus à cubiculo.



Perillustri, ac Excellent. D. D. Georgio Morali, viro ob præstantiam tum in Medicina, tum in Philosophia, ac Theologia conspicuo.



MIRA cum animi iucunditate Enchiridion Medicum, Ethicum, ac Theologicum, à Perillustri, & Excellentissimo D. D. Georgio Morali Medico celeberrimo conscriptum, perlegi; singularisque eius, tum doctrinæ, tum pietatis famam, longè minorem esse, quàm re ipsa dignus sit, certè comperi. Vtinam tanti viri vestigijs insisterent; neque enim tot vitijs Christianus inficeretur populus, quæ ex quorundam librorum lectione oriuntur, sed moralibus, Euangelicisque, ac Diuinis informaretur virtutibus: fieret quoque, vt sacri codices, in quibus omnis sapientiæ etiam prophanæ thesauri sunt reconditi; quorum voces, vtpote nunquam errantis spiritus nutu conscriptæ, ad animarum commoda editæ, à fideli quocunque essent solummodo, aut saltem præ cæteris attendendæ, frequentius euoluuntur. Auctoris igitur ingenium, iudiciumque acre, ac sublime admirans, sic scribo. Patauij die 1. Martij hoc anno 1655.

Ego Iulius Clemens Scotus Comes Placentinus in Patauino gymnasio superioribus annis extraordinariæ Philosophiæ, modò Canonici Iuris professor.

IN ENCHIRIDION

MEDICVM, ETHICVM, THEOLOGICVM,

Georgij Moralis Medici, ac Philosophi Clarissimi, olim in Pisano Gymnasio Medicinæ Professoris, nunc Venetijs Exarchiatri spectatissimi.

QVIS quis auet morbos animi curare, simulq;
Delere labes sonticas;
Huc petat, & reuocet præcepta Georgi
Sanctos in vsus Ethica.
Corporis haud minus illi sunt soteria curæ,
Et quidquid ęgros commodat.
Religione nitens Coum pietatibus auget
Mirè colentem Numina.
Naturaque opus intentans ad sydera montem
Tollit micantem lumine,
O Medicæ columen classis, sophięque Dynastes,
Phœbi Sacerdos inclyte.
Qui tenui poterit calamo percurrere laudes
Exarchiatri nobilis?
Ni cui sint lingue centum, vox ferrea, centum
Vernent camoenæ in pectore?
Hìc morale decus, dignum cœlestibus astris,
Hìc floret & synceritas.
Haud pretio tibi cana fides diuenditur imo
Dolonis instar perfidi,
Qui sibi calliditate viam pręmunit ad amplas
Gazas, & iris ęstuat.
Qui specie recti fallit, discordia cordi
Fucosa fundens verbula,
Hìc logos ipse Dei, veneranda lubentia morum,
Apollinis lex emicant.

Celeberrimi Ioannis Stephanij philosophi ac Medici Veneti.

Peril-

Perillustri, ac Excellentissimo D.D. Georgio Morali Philosopho, ac Medico præstantissimo.

QVID prodesse putas, animi sì forte neglecto
Robore, præstanti corpora firma geras?
Nonne foret monstrum, monstro deformius omni,
Aegra sub intacto corda fouere sinu?
Vt morbis igitur pręsto sit vtrumque leuare,
Apta tibi calamus pharmaca signat idem.
Perpetuo natura dedit queis fędere iungi,
Perpetuò hoc necti dat medicamen opus.

A. N. Iuris vtriusque Doctor.

In laudem operis Perillustris, & Excellentissimi D.D. Georgij Moralis Philosophi, ac Medici præstantissimi.

QVā bona Moralis mortali pharmaca pręstat,
Moralis morti contulit iste necem.
Littera de medio mortales reddit, & ęgros,
Moralis dempta, seruat in orbe viros.
Moralis liber est, morum documenta recondit,
Atque est Mortali certa salutis opes.
Si corpus febri, ac animus si langueat ergo,
Imparibus ferri par Medicina potest.

Iacobus de Hannibaldis Philosophus, ac Medicus Venetus, auctoris alumnus.

† 2 IN-

INDEX
QVÆSITORVM
In hoc Opere contentorum.

Q.46.

strare

Q.308.

Q.397.

Q.537.

ti

Quæsitorum Finis.



PRÆFATIO AVCTORIS,

In qua proponitur admiranda aphorismorum ad sacras sententias, analogia; Eaq; præclarorum virorum testimonio, atque validarum rationum momentis demostratur.



Rodijt elapsis annis (amice Lector) magni Hippoc. aphorismorum opus, sui ipsius indutum vestimentis; En rursus prodit splēdidioribus indumentis illustratum; aliam scilicet lucem suscipit à fulgentissimo sapientiæ iubare mutuatum, nimirum Salomonis prouerbijs, Ecclesiaste; nec non etiam Eruditissimi Sirachij sententijs, quæ in eius habentur Ecclesiastico: quemadmodum etenim inferior hic mundus, ex necessitate, est superioribus lationibus quodammodo continuus, vt omnis eius virtus inde gubernetur; non secus Hippocratem nostrum prædictis sapientiæ luminibus ita subiecimus, vt ex illorum

Aphorismorū lux vnde prouenerit.

aspectu mutuò omnis eius virtus inde promanaret. Suscepimus, fateor, arduam prouinciam, fortasse nostris humeris imparem, quandoquidem antiquiores Philosophos, plurima ex sacris litteris deprompsisse, est apud plerosq; in confesso; Anaximander Milesius, quando rerum omnium principium infinitatem esse pronunciauit; quoniam, vt aliqui docti viri existimarunt, ex infinito existunt, & in infinitatem abeunt cuncta, atq; proinde voluisse significare infinitum illud, quod est Alpha & Omega. Anaximenes etiam Milesius, quando dixit, aerem esse omnium principiũ, existimant spiritum intelligere voluisse, nempe caussam efficientem; hoc est *spiritũ Domini, qui ferebatur super aquas.* Quidquid de his, atq; reliquis antiquioribus dicendũ sit, hoc certissimum est, Platonem ex sacris literis multa deprõpsisse, vnde illud prouenit adeò decantatum, *aut Plato Philonizat*, *aut Philo Platonizat*. Hunc aliquatenus imitatus est eius admirandus discipulus, quemadmodũ aliqui eruditi viri, inter quos fuit Celeberrimus Licetus, demonstrarunt. Quo modo autem Cous noster senex in sua doctrina multa ex sacris deprompserit voluminibus, nemo, quem viderim, hucusq; demostrauit, nisi paucis aliquot, Eruditissimus Ioannes Stephanus in suo libello *de Hippocratis Theologia*, quem proinde, quemadmodum auidè perlegimus, atq; amplexi fuimus, non secus existimauimus nihil inde

Auctoris audacia.

Qui ex antiquioribus philosophãtibus multa ex sacris libris deprompserint.

Licetus atq; Stephanius commẽdantur.

inde mutuare, si quidem nobis est aliud longè diuersum institutum, vt ipsum percurrenti, poterit cuilibet fieri manifestum.

Interim animaduertimus, præcipuum nostrum scopũ fuisse, quomodo aphorismi per sacras sententias, vt diximus, roborentur, & rursus quomodo hi per illas illustrẽtur, indicare, quod præcipuè assequemur, demonstrantes Hippocratẽ prædictorum sapientum sententias imitatum fuisse in grauitate, veritate, atque breuitate. In grauitate, quoniam in illis nihil leue, nihil inutile, sed sunt omnia quasi præstantissima doctrinarum semina, quod de ipsis sacris sententijs pronunciauit Ecclesiasticus cap. 6. quando inquit. *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam & vsq; ad canos inuenies sapiẽtiam; quasi is qui arat, & qui seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius, in opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generatione illius*; & quæ sequuntur. In veritate, quoniã quemadmodum non fuerunt illi, qui loquuti sunt, sed Spiritus Sanctus, qui loquutus fuit in eis, non secus affirmare audeo Deum Optimum Maximum decreuisse ad humani generis salutem, vt Hippocrates in suis præcipuè aphorismis talem assequeretur certitudinem; adeò vt non defuerint, qui pronunciauerint Hippocratis doctrinam esse quasi vocem Dei, quemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs. In breuitate, quoniam aphorismus est senten-

Auctoris institutum.

Aphorismorũ encomiũ, atq; vnde tãta illis lux accesserit.

tia verborum inops, sed doctrina refertissima, vt iudicauit Philotheus; quod idem multò magis est de prædictis sacris eloquijs asserendum, si quidem vna & eadem breuissima sentētia plurimos, eosq; verissimos sensus potest sustinere, estq; ad plurima intelligenda efficacissima. Sunt aphorismi, vt sonat græca dictio, sententiæ separatæ, vel quoniam Hippocrates illas separauit ab historijs, atq; rationibus, cum quibus priùs erant associatæ; vel quoniam Sapientissimus dictator illas hinc inde collegit, atq; separatas cōscripsit, vt illas Lectores faciliùs possent mente custodire, quod idem priùs præstiterant tum Salomon, tum Sirachides; dicente D. Hieronymo ad caput primum prouerbiorum, illum confecisse abstrusiores sacræ scripturæ santentias, quibus studiosi ad perfectiora proficiant, & quas solerter intelligere curent.

Aphorismus vnde dictus

Diximus aduersus cōmunem sententiam tum in manuductione, tum in nostra arte parua, Hippocratem aliquando bis, aliquando etiam ter, & quater eundem aphorismum repetijsse; quoniam sic oportebat, penes scilicet eius varium institutum, hoc idem in sacris dictis sententijs reperiemus, siquidem non semel vterq; sapiens, bis, ter, & quater, idem repetunt, quod priùs pronunciauerant; prout scilicet varijs in locis varius illis erat scopus. Diximus vnum & eundem aphorismum per alios vel declarari, vel roborari, vel limitari

Cur tam sapiētes, quā Hip. eandem sententiam sæpè repetierint.

atque proinde inter illos esse perpetuū quendam nexum, seu cohærentiam, quidquid in contrarium alij dixerint aphorismorum interpretes. non secus de prædictis sacris sententijs existimamus, quicquid illarum aliqui interpretes opinati fuerint, qui dixerunt, in illis nullum nexum reperiri, quoniam sunt sententiæ hinc inde collectæ; quasi sapientes, qui illas collegere, ignorauerint illas ordine disponere. Magis videntur tollerandi, qui dixerunt vt plurimum seruandam esse hìc regulam S. Hieronymi, quam habet com. in cap. 23. D. Matthei, inquit etenim. *Lector consideret priora, media & sequentia, & nectat sibi vniuersa, quæ scripta sunt.* subdunt se dixisse, *vt plurimum* hoc sequēdum, vbi scilicet Sirachius doctrinam aliquam certam prosequitur, nam alioquin vbi sine ordine sententias Morales coaceruat, parum hāc regulam prodesse. Verùm neq; hi, alioquin doctissimi viri, omnino veritatem assequuti fuere, si quidem in prædictis sacris sententijs est perpetuum nexum reperire, quemadmodum possemus fortasse singillatim demonstrare, nisi mens esset ad vtiliora properare, interim sufficiat vnicā, illamq; validissimam rationem attulisse, est verò, quod quemadmodum Hippoc. in suo aphorismorum opere totam artē medicam construxit, non secus tam Salomon, quàm Sirachius suas etiam medicas disciplinas confecisse, quibus artē curandarum animi ægritudinum demon-

Cur tam in sacris sentētijs quàm in aphorismis perpetuus nexus esse debeat. aliquorum hac de re error detegitur.

Ex quibus deprehendatur tū Salomonem, tū Sirachiū

monſtrarunt. Et quemadmodum Hippoc. fuit auſpicatus à notione finis ad inueniendа media, quæ ad ipſum finem aſſequendum conducunt; non ſecus prędicti ſapientiſſimi viri in ſuarum artium exordio auſpicati ſunt à notione finis, hoc eſt à D. O. M. deinde proſequuti ſunt media omnią, quæ ad illum indagandum ſunt neceſſaria. Claudit Hippoc. ſuum aphoriſmorum opus, demõſtrando aliquas eſſe ægritudines, quæ nullam admittunt curationem; quoniam, vt nos opinamur, dignouit, quod niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem fruſtrà laborant, qui cuſtodiunt eam, non ſecus prædicti ſapientes ſua clauſerunt opera, demonſtrando Deum eſſe principium, à quo fluunt omnia, atq; finem, ad quem tendunt omnia. Diximus aphoriſmorum opus eſſe Iſagogicum conſcriptum in gratiam tyronum; hoc idem de prouerbijs animaduertit D. Hieronymus ad c. 1. Eccleſiaſtes, quandò inquit, eſſe prouerbiorum opus, quaſi rudem inſtitutionem. Diximus non modo eſſe introductorium, verùm etiã fuiſſe in gratiam doctorum compoſitum; hoc ipſum admonet Salomon ad ſui operis initium, quando inquit, eſſe vtiliſſimum, non modò adoleſcentibus, verùm ipſis etiam ſapientibus viris. Diximus aphoriſmorum opus continere nobiliſſimam doctrinam, quæ præcipuè dirigitur ad opus, hoc ipſum de prædictis ſententijs inferiùs demonſtrabimus. Diximus prædictos aphoriſmos eſſe ad ver-

accuratã artẽ conſcripſiſſe qua animi ægritudines dignoſcãtur, & curentur.

Ex quibus colligatur, tũ aphoriſmos, tũ etiã ſapientum diſciplinas eſſe opera introductoria, atq; ad memoriam inſeruire

verbum addiſcendos, atq; memoria cuſtodiendos; hoc ipſum de ſuis legibus præcepit ſapiens cap. 3. quando inquit *Fili ne obliuiſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat*; & rurſus, *circũda eas gutturi tuo, & deſcribe in latibulis cordis tui*.

Animaduertimus inſuper in noſtris commentarijs, quòd aphoriſmorum alij perpetuam obtinent veritatem, alij verò frequenter, vel vt plurimum, quod ipſe Hippoc. appoſitis aduerbijs indicauit, *vt plerumq;* vel *magna ex parte*; id ipſum eſt in prædictis ſacris ſententijs reperire, inquit etenim Salomon. *Seruus ſapiens dominabitur filijs ſtultis*; quem imitatus eſt Sirachius, quando dixit *Seruo ſenſato liberi ſeruient*. Et alibi *Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta*; hæc etenim pronunciata non ſemper oſtendunt quid quolibet euentu certo fiat, ſed ſæpè ſolùm, quid interdum natum ſit fieri. Demonſtrauimus etiam aliquos eſſe aphoriſmos, qui proponuntur ad modum conſilij, non .ſ. huiuſmodi, vt quis illos non ſecutus, ſtatim legum tranſgreſſor fiat, quemadmodum ex. gr. *cum morbi inchoant, ſi quid videtur mouẽdum, moue, cum verò conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere*. Non ſecus habetur in concionatore. *Pecora tibi ſunt, attende illis, & ſi ſint vtilia perſeuerent apud te*. Rurſus ſunt aliqui aphoriſmi, qui non modò in ore multorũ obambulant, verùm etiam vi-

Prędictarum ſententiarũ veritas quando perpetua & quando vt plurimum.

Aliquæ tam ſapiẽtum, quã Hip. ſententię tradũtur ad modũ conſilij.

Tam in sacris, quam in Hippoc. sentẽtijs quæ recondita cõtineatur doctrina.

dentur Hippoc. indigni, tales sunt. *Vbi somnus delirium sedat, bonum; atq; omne nimium naturæ inimicum, quod enim paulatim fit, tutò fit*; atq; alij huiusmodi, quos etiam rudis nouit plebecula; verùm de his dicendum, quod de prouerbijs D. Hieronymus in cap. vltimo Ecclesiastes, quando inquit. *Prouerbia & parabolas composuit Salomon, aliud in medulla, aliud in superficie pollicentes. Prouerbia quippè non hoc sonare, quod scriptum est. Etiam in Euangelijs edocemur, quod Dominus populo in parabolis, & prouerbijs sit locutus, secretò autem Apostolis dissoluerit ea: Ex quo manifestum est, & prouerbiorum librum non, vt simpliciter arbitrantur, patentia præcepta, sed quasi in terra aurum, in nuce nucleus, in hirsutis castanearũ operculis absconditus fructus inquiritur, ita in eis diuinum sensum altiùs perscrutandum.*

Sunt aliquæ paradoxæ.

Sũt insuper aliqui aphorismi Paradoxi, inter quos est ille. *Paulò deterior cibus, & potus, suauior autem melioribus, sed insuauioribus est præferendus.* Tale est apud Sirachium; *melior est iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Vtitur aliquando vtili, atq; neruosa gradatione Hippocrates; quemadmodum aphorismo postremo per hæc verba *Quæcunque à medicamentis non curantur, ferrum curat; quæ ferro non curantur, ignis curat; quæ igne non curantur, ea existimare oportet immedicabilia*; tale est quod habetur apud Sirachium; *vinum & musica lætificant cor, & super vtraq; dilectio*

Aliquæ constituuntur per gradationẽ.

lectio sapientiæ, atq; Apostoli ad Ephesios. *Caput mulieris vir, viri Christus, Christi Deus.* Aliquando Hippoc. aliqua dictione abusiuè vtitur; saltem ex Gal. sententia, quemadmodum quando inquit, sect. quinta. *Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur*; arbitratus etenim fuit in suo com. in prædicto aphorismo Hippoc. abusum fuisse dictione *soluuntur*, quoniam, (vt ipse inquit) non soluitur leuis ægritudo, introducta fortiori, atq; lethali. Sic concionator *Loramentum ligneum* abusiuè posuit pro connexione trabum.

In aliquibus abusiuè adhibẽtur dictiones.

Apud Hippocratem aliquando videtur aliquid redundare, non tamen redundat; quemadmodum quando inquit sect. 1. *Quà ducere oportet, quò maximè natura vergit per loca conferentia, eò ducere conuenit*; videtur etenim primà frõte superfluũ, quod dicitur, *quà ducere oportet*. Nõ secus apud Sirachidẽ. *Timentis Dominũ beata est anima eius.* Superest enim dictio *Eius.* differunt tamen, quòd in Hippocrate videntur redundare non tamen redundant, quemadmodum in nostris demonstrauimus commentarijs; in sacra verò scriptura multa redundãt, ornatus tantùm gratia, quod animaduertit Euthimius ad psalmum 9. quando inquit, *obseruandum est, quod dictio quoniam apud Hebreos non semper caussam reddit, sed aliquando aduerbium est confirmandi, aliquando etiam abundat, iuxta idiomatis vsum.* Sunt rursus aliqui aphorismi, in quibus aliquid est su-

Aliquando, vel redundant, vel videntur redundare; & cur.

plendum, quemadmodum quando inquit Hippoc. eadem prima sectione *Concocta medicari, & mouere, non cruda*; supplendum est verbum *oportet*. Sic vbi habetur apud Sirachium *Filij sapientiæ, Ecclesia iustorum*, subintelligendum, verbum *sunt*. Diximus superiùs, multoties vnum, & eundem aphorismum plures habere sensus, eosque omnes veros, quamuis prima facie vnicus tantùm appareat: addimus nunc, multoties Hippocratem, dedita opera, ambiguis dictionibus vsum fuisse, vt aphorismus duplicem sensum obtineret, atq; proinde, quocumq; se verteret Lector, aphorismus esset verus. hoc idem est in Salomonis prouerbijs reperire, nã, vt eius interpretes adnotarunt, aliquando in prædictum finem vtitur æquiuocis, quemadmodum suis locis demõstrabimus. Sed cũ tam Salomon, quàm Sirachius in prædictis suis scriptis passim sequantur styli elegantiam, adeò vt modò vtantur metaphoris, modò translatis, modò antonomasia, modò metalepsi, atq; alijs huiusmodi, quæ occurrunt modò in prouerbijs, modò in Ecclesiastico; percontabitur aliquis, cur Hippoc. hos tropos non fuerit imitatus, quandoquidem in reliquis illos sequutus fuerit. Respondemus, id non prouenire quoniam dictator noster maiori, quàm illi grauitate oblectatus fuerit, sunt etenim & illi vbiq; sapientissimi, vbiq; grauissimi; sed quoniã ad suũ institutũ minùs videbatur attinere, siquidem artis medicæ institutio-

In aliquibus aliquid supplendũ.

Cur multoties ãbiguis dictionibus vtãtur.

Cur Hippoc. non adhibeat tropos, quibus sapiẽtes vsi fuere.

tionem efficiens, illa tantùm fuit sequutus, quæ ad illam edocendam magis videbantur necessaria; ornari etenim res ipsa negat, contenta doceri. Iam vero quod ad prædictos sapientes attinet in suis auditoribus instruendis, voluerunt etiam sermonis elegantia oblectari, ad hoc vt magis erudirentur; id quod ipse Salomon nobis videtur indicasse cap. primo Prouèrbiorum, quemadmodum suo loco demonstrabimus. Interim quoniam omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci, ipse etiam Sapiẽs dum verborum illecebras fuit insequutus, maximam etiam illarum vtilitatem non prætermisit: sic etenim habet de se ipso Ecclesiastes cap. 12. *Cum esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & inuestigans composuit parabolas multas, quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.*

Cæterùm non est ignorandum, quod Varro, Strabo, atq; Plinius aphorismorum nobilitatem admirati, opinati fuerunt, illos non fuisse ab Hippoc. ad inuentos, sed ab ipso depromptos fuisse ex tabulis, quæ in Æsculapij templo, ad quod conueniebant quicumque à vehementi aliquo morbo fuerant seruati. De qua erronea opinione non pauca in nostris diximus commentarijs; modò paucis animaduertimus, esse magis vero simile hos aphorismos à diuino Hippocrate cõscriptos, post illius obitum fuisse in prædictis tabulis exharatos, vt ad templum conuenientes, salutaria mo-

Cur vt sacræ sẽtẽtiæ preter vias scribebãtur, sic etiã aphorismi.

 nita

nita possent percipere. Quod si verum est, quis negabit, in hoc etiam cum prędictis sacris sententijs aphorismos conuenire: consule D. Athanasium, qui in synopsi libro 14. Prouerbiorum telam esse dicit variam, ex paræmijs, Strophis, parabolis, tanquam ex Licijs quibusdam conflatam; atque subdit. *Est autem parœmia, quod præter vias tales sententiæ conscribi solitæ erant, ad correctionem, & doctrinam eorum, qui itinera conficiebant; præter vias autem scribebantur, propterea quod non omnes veritatis sermones capiebant, vt vel hi qui in itenere erãt, & affixas videbãt, quæ scriptæ essent exquirerent, atq; ita erudirētur homines.*

Quomodo conueniat Hip. cum sapientibus in ratione colligendi sentẽtias

In hoc etiam cum prædictis sapientibus noster conuenit dictator, quod vt Hippocrates, aut receptas dicendi formulas, aut sententias non conflauit vt Arist. Chrysippus, Cleans, Plutarchus, Clearcus, Aristides, Theophrastus, atq; alij huiusmodi, sed ipse illas adinuenit, atq; ita connexit, vt inde nobilissimam artem cõfecerit, nobilissimam inquam, quoniam nihil conscripsit, quod non fuerit, tum ratione, tum longa experientia roboratum, quemadmodum ex illius reliquis monumentis licet colligere. Non secus de prædictis sacris sententijs pronunciarunt sancti Patres nuper citati.

Quomodo conueniãt in sentẽtiarum numero.

Conueniũt præterea in sententiarum numero, quamuis etenim aphorismi sint circiter quadringenti; atque vterq; sapiens longè plures cõscripserit, est tamen animaduertendum, magnum Hippocratem innumeros edidisse, qui reperiuntur passim in libris de morbis vulgaribus, in prorrheticis, in coacis prænotionibus, libris de humoribus, atque denique in reliquis suis monumentis: ad hoc autem admirãdum aphorismorum opus constituendum, non omnes adhibere voluit, tum quoniam præstantiores tantùm seligere intendebat, tum etiã quoniam hæ ad artem paruã construendam satis esse videbantur. prædicti autem sapientes longè pluribus sua opera repleuerunt, præcipuè Sirachius; quamuis tam hic, quàm Salomon perfectissimum opus ex illis conflatum confecerit, namq; D. Basilius homilia in principium Prouerbiorum Salomonis, eius institutum paucis complexus est, quando dixit. *Prouerbiorum liber institutio morum est.* Per quæ videtur indicasse, quod aliqui horum operum interpretes non fuerunt assequuti, videntes etenim huiusmodi doctrinam non fuisse traditam per continuatos contextus, vt Ethicorum opus ab Arist. confectum, existimarunt, nullum in illis fuisse ordinem seruatum; alij verò in minus laudabilem opinionem lapsi sũt, qui existimarunt, prouerbiorum opus fuisse Salomonis conuiuium confectum illo eodem modo, quo sua conuiuia extruxere Plato, Xenophon, atque Plutarchus; in qua reijcienda non est nobis tempus conterendum, cum pręcipuè minus ad nostrum institutum attinere videatur.

Beati Basilij optima sẽtentia. à recentioribus nõ percepta

Non

Non est etiam ignorandum, quod etiam si aphorismi ex se maximam, vt dictum est, habeant dignitatem, illis tamen maiorem auctoritatem attulisse ipsum diuini senis nomen, dicente Arist. primo Rhetoricorum non esse cuiusuis; sed magni alicuius viri sententias consicere seu pronunciare; hinc factum est, vt qui Hippocratis aphorismos ediderunt, illi addiderint Magni cognomentum, neque id certè præter rationem, quandoquidem (inter reliqua) ab Æsculapio originem traxit, quemadmodum alibi demonstrauimus. hinc factum est, vt Salomon, quando scripsit Cantica, prædictum opus incripserit suo tantùm affixo nomine; prouerbia verò inscripsit apposita regię dignitatis auctoritate; inquit etenim *Parabolæ Salomonis, filij Dauid Regis Israel*. Quod animaduertit Magnus Basilius loco superiùs citato; quando inquit. ***Valde autem ad præcepta morũ tradenda refert eum, qui scribit regem esse, si enim Regis est legitima potestas, manifestum quod ex rege, alioqui hoc nomine digno, exeuntes vitæ præceptiones, multum apud omnes habeant momenti, ad considerandam, consequendamq; in communi bono vtilitatem, & non ad priuata commoda respicientes.*** Et ne à præsenti instituto recedamus, Salomoni tria eximia fuere indita nomina, primum, vt habetur secundo regum cap. 12. fuit *Salomon*, à matre impositum, & idem est, ac *pacificus*. Secundum nomen *amabilis* fuit à Nathane impositũ. Ter-

Quomodo prædictæ sẽtentiæ quamuis ex se maximam obtineãt dignitatem illis tamen maiorem accedat ex auctoris nomine.

Quomodo conueniat Hippoc.

Tertium sibi ipsi indidit, hoc est *Ecclesiastes*, seu concionator; Non verebor asserere, hæc aliquomodo Hippocrati quadrare posse. Conuenit primum nomen *Pacifici*, siquidem neq; dictis, neq; scriptis cum alijs sui æui medicis rixas excitauit; sed semper quietus permansit: quod melius assequeris, si eius vitã, atq; doctrinam, in nostra manuductione delineatam, contempleris; & quod magis est, si prædicta ad Aristotelis, & Gal. mores comparaueris. Quid ni etiã potuerit amabilis nuncupari, cum non modò per totam Asiam fuerit ab omnibus desideratus, verùm etiam potentissimi Reges illi ingentem auri copiam obtulerint. Videbitur alicui tertium nomen ab Hippocrate omninò alienum; verùm, si intimius perscruteris, reperies illi aliquatenus conuenire; quorsum etenim conscripsit librum *de lege, de decenti ornatu*; atq; suimetipsum *iusiurandum*, nisi vt præter leges, quæ corpori salutem prospiciunt, etiam illas, quæ mores expoliunt, atq; corpori decens ornamentum præbent, nobis in suis reliqueret monumentis!

cum sapiẽtibus in nomine, & cognomento.

Est tandem admirandum nostrum hoc aphorismorum opus vtilissimum ad alia plura intelligenda, de quibus nullibi mentionem fecimus, quoniam ad aliorum operum institutum nulla ratione attinere videbatur, est verò, quod cum medicina ex Hippoc. atq; Arist. sit ars, hæc ipsa ars, atq; præcipuè ars parua, quæ (vt diximus) in aphorismis cõtinetur

Quomodo ars medica quæ in aphorismis cõtinetur, non secus, ac opera ex sacris sẽ

tinetur

tentijs conflata conferāt ad reliquos mētis habitus intelligēdos.

tinetur, sit vtilissima ad reliquos mentis habitus intelligendos, sunt verò sapientia, intellectus, scientia, atq; prudentia, de quibus expressam mentionem facit Philosophus sexto Ethicorum à cap. 3. & libro primo magnorum moralium à cap. 32. Et quod quidem primùm ad sapientiam attinet, cum hæc ipsa præcipuè in D. O. M. atq; eius in inferiora omnia prouidentia sita sit, hanc cognitionem non ignorauit Hippoc. quemadmodum in explicatione ad primum aphorismum satis superq; nobis demonstratum est. Quod verò attinet ad intellectum, cum is, vt ab Arist. locis citatis dictum est, sit habitus principiorum, quicumq; in aphorismis fuerit versatus, non exiguam inde suscipiet cognitionem; quinimo existimarem, quod quemadmodum senex noster habitum principiorum à prædictis sapientibus comparauit, non secus tam Plato, quàm Arist. tum ab illis, tum ab Hippoc. id didicerunt. Est vtilissimum ad comparandam scientiam, siquidem pars illa medicinæ, quæ phisiologia nuncupatur, quemadmodum in suo colliget animaduertit Auerroes, est pars naturalis philosophiæ; iam vero in aphorismorū opere multa haberi ad ipsam tantum Theoricam attinentia, omnium maximè in alijs nostris operibus demonstrauimus. Est tandem vtilissimum ad prudentiam, hoc est ad morum disciplinam intelligēdam; si quidē nobis præcipuum est institutum in hoc opere, quod præ

manibus

manibus habemus, demōstrare, quomodo præcepta, seu dogmata ad corporis salutem attinentia, possint ad animæ salutem assequendam, atq; conseruandam accommodari. Quibus ita constitutis, videndum est, quomodo in hac etiam vtililate aphorismorum illi morū institutioni sit analoga, quæ à prædictis sapientibus viris fuit conscripta; in primis breuitati consulentes, satis erit id ex Salomone comprobare; sic etenim habet; c. 1. *Ad sciendam sapientiam, & disciplinam*, quo in loco (vt id obiter adnotemus) per *disciplinam* non intelligit quid distinctum à sapientia, quemadmodum perperam existimarūt aliqui prædicti loci interpretes, sed intelligere voluit vtilitatem, quam quisque inde tenetur depromere, est verò quod dignoscentes Deum esse bonorum atq; admirabilium omnium fontem, consequenter debeamus illū timere, quemadmodū paulo inferius luculentius demōstrabimus, inquit etenim *Timor Domini principiū sapientiæ, sapientiā atq; doctrinā stulti despiciunt.* Quasi velit, quod sapientes timent dominum; atq; Deum timentes vicissim sint sapientes; & in progressu operis, quādo inquit, *dixit insipiens in corde suo non est Deus.* hoc ipsum magis indicauit; quasi voluerit, quod quemadmodum Deum timentes, & bene disciplinati gradiuntur ad sapientiam, non secus insipientes gradiūtur ad atheismum. Ex quibus colligimus, quidquid alij dicant, voluisse Sa-

Recentiorum interpretum sententia de disciplinæ nomine detegitur.

Sapiētiæ nomen ambiguū & de qua intelligat Salomon.

lomonem,

lomonem, suum hoc opus, esse quandam institutionem ad comparandam sapientiam, non quamlibet, sed sapientiam veram, quæ est cum disciplina associata; dignouit scilicet apud vulgus esse aliam sapientiam absq; disciplina, quæ scilicet nō comparatur timore Domini, est vero illa, de qua mentionem facit D. Gregorius libro 10. Moralium cap. 16. per hæc verba. *Huius mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt vera ostendere quę vera falsa demonstrare: hæc nimirum prudentia vsu à iuuenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo, superbiūt: hanc qui nesciunt, subiecti, & timidi alios mirantur; quia ab eis hæc eadem duplicitas palliata diligitur, dum mentis peruersitas vrbanitas vocatur.* hunc Salomonis progrediendi modum tutissimum, atq; certissimum fortasse imitatus fuit Arist. primo posteriorū, quando inquit. *Scire autem arbitramur vnumquodque simpliciter, & non sophistico modo, quod est secundum accidens &c.* per quæ verba, vt quilibet potest dignoscere, distinguit scire, tanquam quoddam ambiguum, in illud, quod est simpliciter, & scire sophistico modo, quod est secundum accidens. Est tamen non leuis difficultas, quæ nostram hanc explicationē euertere videtur, est vero quod sapientia, quam loco Ethicorum citato definiuit Arist. est notitia merè speculatrix, liber autem prouerbiorum totus ad Ethicam,

Sapiētia falsa quę nam sit ex D. Gregorio.

Scire duplex apud Arist. atq; talis distīctio vnde promanarit.

Magni momenti difficultati

cam,

cam; bonos scilicet mores informandos pertinet, atq; proinde non videtur pro rerum diuinarum, atque humanarum scientia sumi posse. Augetur difficultas, quod Beda videtur significasse, huiusmodi sapientiam pro cognitione practica desumendam esse, sic etenim ait; *Ad sciendam sapientiam, idest qualiter secundum id viuere oportet, quod quemq; constat veraciter didicisse, quo intentionē cordis dirigere, quid operando gerere conueniat, nosse:* prædicta ratio eo maius robur suscipit, quod Arist. primo Rhetoricorum cap. 12. sapientiæ nomine, etiam scientiam operum, illorum scilicet, quæ cum ratione geruntur, visus est significare; sic etenim habet; *Et quia regnare suauissima res est, etiam sapientem videri est suaue; prȩditum etenim esse sapientia regium est; est enim sapientia multorum, & admirabilium operum scientia.* Quæ rationes tanti potuerunt apud Ferdinandum Querinum, vt existimauerit sapiētiæ nomine, quo vsus fuit Salomon, significare voluisse operum cognitionem non speculatiuam, sed practicam. Verū admirādum, quomodo Salazar vir alioquin oculatissimus, in re adeò euidenti cæcutiuerit, cur scilicet non animaduerterit tam multa haberi in prouerbijs, attinentia ad D. Sapientiam, Prouidentiā, Omnipotentiam, Iustitiam, Misericordiam, Maiestatem; ad liberum hominis Arbitrium, Prædestinationem, atq; alia huiusmodi; nonnè hæc sunt Theologica, nonnè hæc, sunt ad veram sapientiā, atti-

satisfit atq; inde recentiorum error deiicitur.

Prouerbiorum opusquomodo sit non modo ethicum ve-

rum etiã Theologicũ; & quo modo in illo duplicem scopum habuerit Sapiens.

attinentiam? Atq; proinde eius rationibus in contrarium adductis respondemus; primum quod inquit, totum prouerbiorum librum ad Ethicam, atq;bonos mores pertinere, verissimum est, dicimus tamen, quod licet hic fuerit præcipuus Sapientis scopus, non tamen esse negandum, quod alius fuerit illi scopus minus præcipuus, nimirum hac occasione multa præclara ad Theologiam attinentia demonstrare; atque proinde quando inquit Sapiens suum prouerbiorum opus esse vtilissimum ad sciendã sapientiam, & disciplinam, intelligere voluit, quod nobis superius dictum est. Quod vero ad Venerabilis Bedæ auctoritatem attinet, respondemus, illam nostram explicationem non infirmare; quoniam per prædicta verba non negauit, hanc morum disciplinam ad veram sapiẽtiam, quæ in prædictis sita est, nos ipsos manuducere. Quod tandem spectat ad locum Rhetoricorum nuper citatum ita, me, iudice, est intelligendus, vt voluerit Philosophus sapientiam esse multorum, atque admirabilium operum scientiam; per prædicta autem opera nõ intellexit arte facta (hæc etenim vel nõ sunt mirabilia, vel raro admodum talia existunt) sed illa, quæ *post naturalia*, vel etiam aliquãdo *diuina* nuncupãtur: quinimo hoc ipsum ratio videtur suadere, si quidem inane fuisset dicere, prædictum esse illa scientia, quæ pertinet ad illa tantum, quæ sunt artefacta.

Bedæ locus explicatur.

Arist. locus declaratur.

Prosequitur Salomon indicare, quod suum

suum hoc prouerbiorum opus conducit ad comparandos alios mentis habitus, nimirum scientiam, & intellectum; sic etenim habet in eodem capitulo versiculo 4. *Vt detur paruulis astutia, & adolescenti scientia; & intellectus*; quod spectat ad paruulorum astutiã, quamuis ad præsens institutum nihil videatur pertinere, de illa tamen pauca aliquot dicemus inferius; quod vero spectat ad scientiam, & intellectum, de quibus in præsenti nobis est sermo, varij varia dixerunt; nos breuitatis gratia, illis prætermissis atq; præsertim recentiorum, qui rem alioquin euidentissimam, non parum obscurarunt, illam, quæ magis videtur rationi, atq; sapientis verbis consentanea, amplectemur; est vero Lyrani, quam modo etiam amplectimur, qui inquit, per intellectum, esse intelligendam cognitionem principiorum, & per sciẽtiam, cognitionem conclusionum, non tantum in speculatiuis, sed etiam in practicis. Quod autem nos compellit, vt illi potius adhæreamus, est quod videamus rem ita se habere, si prædictam expositionem admittamus. nam quod primum ad ipsam attinet scientiam conclusionum, quicunq; nostrum opus legerit non oscitanter, reperiet non pauca ad naturalem scientiam attinentia in illo contineri, quapropter quando animaduertit Sapiens suum hoc prouerbiorum opus ad scientiam assequendam esse vtile, illud ipsum, quod indicauit Lyranus, nobis significauit. Quod etiã per-

Quid sapiens intelligere voluerit per sciẽtiam, & intellectum; auctoris hac de re iudiciũ.

pertinet ad habitum principiorum, illũ per dictionem *intellectus* significatum fuisse, ex eo demonstrare possumus, quod totus prouerbiorum liber sit principijs, seu axiomatibus, seu dignitatibus reffertus; quis igitur negare audebit, hoc ipsum opus ad intellectum, hoc est ad habitum principiorum assequendum conducere? Nos certè existimadum conducere? Nos certè existimamus Aristotelem ex sapiente didicisse principiorum habitum *intellectum* nuncupare.

Subdit postmodum Salomon. *Ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiẽdam eruditionem doctrinæ*. Circa quam particulam multæ sunt præclarorum virorum explicationes, quas certè non improbamus, existimamus tamen Lyrani sententiam esse reliquis præferendã; inquit etenim, quod per *verba prudentiæ*, sunt intelligenda verba, quæ dirigunt in agendis; iam vero illa, quæ agũtur, sunt opera ad artes ipsas pertinentia, in quibus etiam requiri prudentiã quãdam indicauit Arist. qui non semel demonstrauit, in omnibus artibus, aut disciplinis vbicumq; electio inuenitur, locum esse prudentiæ, quod certè tum reliqui artifices, tum etiam ipsi medici, in sua arte quotidie animaduertunt, atque proinde non ineptè aliqui docti viri huc transtulerunt illa verba Esaiæ cap. 3. *Auferet à Iuda validum, & fortem consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquij mistici*. Quapropter secundum Lyrani explicationem est intelligen-

Quomodo prouerbiorũ opus cõferat ad assequẽdos alios mentis habitus, nimirũ prudentiã atque artem.

telligendus sapiens, quod voluerit suã hanc morum disciplinam vtilẽ esse ad intelligenda verba prudentiæ, quæ in qualibet arte continentur, siuè quomodolibet adhibentur. Quod si cum Beda interpretemur *verba prudentiæ*, idest verba prudentialia, quæ nimirum leges iuraq; prudentię describunt, non vtique aberrabimus; siquidem huiusmodi interpretationi videntur fauere subsequentia sapientis verba, *iustitiam, & iudiciũ & æquitatem*; atq; sic existimare poterimus Sapientem in hoc versiculo duos complexũ fuisse habitus intellectus, nimirum artem, quæ est ex Philosopho *habitus recta cum ratione effectiuus*, atq; ethicam disciplinam, quæ ab ipso Prudentia nuncupatur atq; definitur *habitus recta cum ratione actiuus*; quasi velit Sapiens suo hoc ambiguo loquendi modo indicare prouerbia esse etiam vtilia ad intelligenda verba prudentiæ, quæ adhibentur tum in artibus, tum in ethica disciplina quibus positis explicationibus, deuitabimus non paucos errores in quos aliqui recentiores lapsi fuere, atq; sic hucusq; explicata Salomonis verba complectentur, vel quatuor, vel quinque mentis habitus, ad quos suam prouerbiorum doctrinam inquit esse vtilem.

Videtur tamen non prætermittenda maximi momenti difficultas, quam aliquis posset aduersus nostrum hoc commentum excitare, est vero nostram propositam analogiam sacrarum sententiarum ad Hippocratis aphorismos, in multis

multis quidem deficere, quod vel ex ipsis Salomonis verbis posset comprobare, siquidem quantumuis prouerbia possint conferre ad intelligendam æquitatem, quemadmodum habetur versiculo 3. vel esse vtilia ad exhibendam paruulis astutiam, quemadmodum habetur versiculo 4. vel ad possidenda gubernacula, quemadmodum indicauit versiculo 5. vel ad intelligenda ænigmata, quemadmodum habetur versiculo 6. aphorismorũ, opus ad nullum istorum videtur conferre posse; atque proinde in his prædicta deficit analogia; Quod autem aphorismi non conferant ad intelligendam æquitatem, ex eo comprobabit, quod aphorismi sunt leges medicæ inuiolabiles, atque inalterabiles, quæ proinde nullam patiuntur exceptionem, dummodo in medendo iustitiam seruare velimus. Quod etiam aphorismi non cõferant ad exhibendam paruulis astutiã, ex eo comprobabit, quod licet concedatur aphorismorum opus esse Isagogicũ, atque proinde esse adolescentibus ad introductionem vtile, quis hoc esse vtile paruulis concedet? Quod etiam aphorismi non conferant ad possidenda gubernacula, ex eo comprobabit, quod gubernacula intelligantur de Reipublicæ administratione, ad quam nihil nostri conferunt aphorismi. Quod verò pertinet ad ænigmata, quis vnquam ex aphorismis ad illa intelligenda poterit depromere doctrinam, seu institutionem! Nos tamen, qui prædictam analogiam,

Proponuntur atq; diluuntur validæ rationes, quæ auctoris positam sẽtentiã possẽt euertere.

logiam, vt videbimus, vbiq; excogitauimus non fore multũ laboriosum, illã in his quoq; reperire. Et quod primum ad æquitatem attinet, quemadmodum Sapiens in prouerbijs animaduertit, *noli esse multum iustus*. Vt scilicet ad æquitatem nos redderet propensos; non secus nimiam seueritatem damnauit Hippoc. tum in victus quantitate continua exhibenda ægris, atq; sanis, vt aphorismo 5. primæ sect. tum in discreta, vt aphor. 17. eiusdem sect. tum in qualitate, atq; substantiæ modo, vt aphorismo 38. secundæ sect. quemadmodum fusè in nostris demonstrauimus commentarijs. Maiorem facit difficultatẽ, quod obijcitur, non posse aphorismos astutiam paruulis exhibere. Verùm huic etiam non erit arduum respondere, si animaduertamus Chaldæum pro *paruulis*, legere *insipientibus*, vel vt alij, non paruulis ætate, sed paruulis sensu. Sic etiam septuaginta pro dictione *astutiam* legunt *promptitudinem, & dexteritatem in omnibus operibus*. Quod si quis velit legere *paruulis*, vt habetur in vulgata translatione; atque dicat; quod quemadmodum *lex Domini*, ex psalte Regio, *sapientiam præstat paruulis*, non secus hæc prouerbiorum doctrina, paruulis etiam ætate præstat promptitudinem, & dexteritatem in omnibus: respondebimus hanc etiam, aphorismorum doctrinam posse aliquo modo conferre paruulis: cum etenim aphorismi sint sententiæ, vt verissimæ,

Quomodo leges medicæ tendant potius ad æquitatem, quã ad nimiã iustitiã.

Quomodo aphorismi possint paruulis cõferre.

ita euidentissimæ, quid ni poterunt pueri illas intelligere saltem cognitione cōfusa; nam quod attinet ad distinctam, neq; ij, qui in ætate sunt consistente, illos poterunt absque doctore, vel commentario intelligere. Non secus obiectioni propositæ, quod aphorismi non possint conferre ad possidenda gubernacula: Respondemus, aliquos eruditos interpretes per *gubernacula* intellexisse consilia, aut cogitationes, quas secum homo diu voluit, ac versat, quo meliores seligat; quibus ita constitutis; dicendum aphorismos esse ad hæc ipsa consilia, seu cogitationes vtilissimos, quinimo necessarios; est etenim ex Hippoc. *Vir nauta medicus* non aliam ob caussam, nisi quoniam non versatur, vt reliqui artifices, circa materiam stabilē, sed mobilem, atq; proinde, vtitur prudentia medica pro temone, ad euitandā Sirtim, atq; Charibdim, infames scopulos Acroceraunia, horrendas tempestates, ne scilicet nauis in miserandum incidat naufragium, atque proinde cum dixerit D. Iacobus cap. 3. *Ecce naues cum magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferentur tamen à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit*, possunt huiusmodi gubernacula transferri ad consilia, quibus non modo vita moderatur, sed quibus ægrotantium saluti prospicimus. Quod tandem ad postremam attinet difficultatem, quamuis videatur omnium ardua; si tamen accuratè Hippocra-

Duplex cognitio confusa, & distincta.

Quomodo medicus vtatur prudentia quasi temone nauigij.

pocratis doctrinam expendamus, non erit arduum illi satisfacere. Est scilicet aphorismorum opus, vt sæpè diximus, Isagogicum, seu introductoriū, ad vniuersam medicinam, & consequenter ad reliqua dictatoris opera, melius intelligenda; iam verò inter reliqua Hippocratis monumenta extat aureus libellus de alimento, quē si percurreris, reperies esse ferè totum ænigmaticum, seu ex ænigmatibus conflatum. Vnicum breuitatis studio tibi proponam exemplum, inquit dictator in prædicto libro *Alimentum non alimentum*. Hoc ænigma facillimè dissoluet, qui fuerit in nostro aphorismorum opere, vel mediocriter versatus. Alimentum est non alimentum, quando exhibetur crassius, quam conuenire debeat totius morbi constitutioni, seu naturæ, vt habetur aphorismo 7. primæ sectionis, vel quando exhibetur in vigore, vt aphorismo 8. vel quando exhibetur in accessionibus, vt aphorismo 11. vel quando exhibetur copiosius in ætate, cui non conuenit, vt aphor. 13. & 14. vel quando exhibetur in qualitate, quæ morbo non posset conuenire, vt aphor. 16. atq; vt paucis multa complectar, si totum aphorismorū opus percurrerit, quamplures reperies ex quibus dignosces quomodo propositum ænigma possis dissoluere; Quod idem de reliquis est intelligendum.

Quamuis igitur potuerit Hippoc. *diuinus* appellari ex Gal. sententia, quoniam fuit admirandus in suis prædictionibus;

Quomodo aphorismorū opus sit vtilissimum ad intelligēda ænigmata.

Quę fuerit potissima caussa prop-

nibus; vel vt opinatus fuit D. Augustinus, quoniam artem exercuit absq; mercede; nos tamen existimamus, debuisse diuinum appellari ob conscriptum diuinum aphorismorum opus: licet etenim in libris Epidemiorum imitatus fuerit libros sacros historiales; in prognosticis; prortheticis, atq; Coacis prænotionibus libros prophetales; in libris de Elementis, atque natura humana, sacros libros scientiales; atque in libello, qui inscribitur *de lege* libros sacros legales; atque nuper citato de alimento ænigmata, quæ passim in sacris voluminibus reperiuntur: Omnium tamen maximè, quemadmodum à nobis demonstratum fuit, in suo aphorismorũ opere imitatus fuit præclaras dictas sapientum sententias; adeo vt illę possint sapientum aphorismi; hi verò possint Hippoc. prouerbia nuncupari. Quod si malis Gal. sententiam amplecti; scito in aphorismorum opere esse plurimos ad prædictionem attinentes.

ter quam fuerit diuinus appellatus, auctoris hac de re sententia.

Scio equidem nõ defuturos, qui obijciant, nos in nostris dictis collationibus, non stare promissis; quoniam non modo aphorismos per sacras dictas sententias; verùm etiam per historias, atque ipsos etiam libros legales, atq; scientiales explicuimus. Verùm sensatus quilibet animaduertet, quod licet præcipuus noster scopus fuerit aphorismos per ipsas puras sententias explicare, nos tamen non debuisse pauca aliquot ommittere, quæ multùm inseruiebant, vel ad

Quid auctorẽ impulerit, vt alijs etiã sentẽtijs vsus fuerit. & quod ad quemlibet aphorismum

ad prædictorum maiorem intelligentiã, vel ad illorum comprobationem. Quod verò in explicatione nõ vnica fuerimus contenti sententia, sed aliquando plures ad satietatem apposuerimus, in caussa fuit maxima doctrinæ vbertas, quæ (vt diximus) in vnico breuissimo aphorismo continetur; cum etenim possit plures eosq; verissimos sensus admittere, quidni poterunt illi plures sententiæ verissimę accommodari! Quibus accedit, quod hoc opusculum præcipuè in Theologorum gratiam à nobis fuerit confectum, qui proinde poterunt plures ex suis sententijs per vnum, & eundẽ aphorismum interpretari. Quamuis autem hæc parum elimata nõ auderem in lucem edere, amicorum tamen cohortatione compulsus illa publici iuris feci, atq; eo magis, quod calcar edidere charissimi alumni, qui in meis magis laboriosis lucubrationibus transcribendis, atq; typographorum mendis corrigendis, non parum temporis impenderunt; vtrorumque merces erit studiosis omnibus non inutile opusculum confecisse.

non vnica contẽtus fuerit.

Et tandẽ cur auctor hæc parum elimata ediderit.

Medici officium ex sacris literis, atque ipso etiam Hippocrate depromptum.

TEneri medicum suum præstare officium, tanquam omnibus notissimũ, non præcepit, sed supposuit Hippocrates in ipso statim aphorismorum prohæmiolo, quemadmodum ibi demonstrabimus; non est tamen omnibus no-

 tus

Quomodo, & quatenus auctor pertingat medici officiũ.

tus modus, seu ratio, qua id præstare debeat; hanc prouinciam primus in suis operibus subijt admirandus præceptor, alij doctissimi viri id post illum magis diffusè prosequuti sunt adeo accuratè, vt nos ab hac tractatione deberemus abstinere, nisi aliud nobis esset longè diuersũ institutum. Est verò tum præcipuè ex hoc aphorismorum opere, tum etiam ex sacris libris hoc ipsum medici officiũ depromere; in quo opusculo prosequẽdo hunc ordinem seruabimus; Primùm demonstrabimus, quænam sint medico necessaria quoad eruditionem, atque morum probitatem: Postmodum quæ sint ad medicum attinentia, quatenus est medicus, & quatenus ægrotis actu medicinam facit. Quod igitur ad primum spectat, cum ideo medicus sit honorandus, quoniam propter necessitatem eum creauit Altissimus, animaduertendum, id non esse intelligendum de quolibet medico, gregali scilicet, atque ignaro, sed de illo, qui magna aliqua vrgente necessitate possit ægrotum à maximo vitæ discrimine, in quo versatur, eripere; atque proinde is debet esse doctissimus, atque exercitatissimus, quod verbo significauit Hippocrates in ipso statim aphorismorum initio, quando inquit. *Ars longa*. Est etenim ars longa, tum propter scientiarum varietatem, quæ ad ipsam perfectè assequendam sũt necessariæ (hæ namque medicum doctum, atque eruditum constituunt) tum etiam propter maximam experientiam

Qui nam sit medicus, quẽ propter necessita tem creauit altissimus.

factam

factam in longissima exercitatione; quæ illum reddunt prudentem, perspicacem, oculatum, in operando sedulum, in remedijs adhibendis non temerarium, atque in euentu prædicendo admodum cautum, & sagacem. Est igitur medico necessaria eruditio, siue sapientia, quam nunquam assequetur, nisi optimo, atque præcipuo innitatur fundamento, nimirum timori Domini; sic etenim habetur prouerb. cap. I. *Timor Domini principium sapientiæ*. Vbi etenim est timor, illic est mandatorum obseruatio; vbi mandatorum obseruatio, ibi est mũditia, ibi & splendor. Hac igitur constituta basi, faciliùs sapientiam, atque ipsam sapientiam consequentia, atque comitantia consequetur: hoc deficiente fundamento, vel non aderit sapientia, vel inanis aderit, quæ sua sponte ruat facillimè. E contrario verus sapiens est ille, de quo habetur eodem cap. 13. *Lex sapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis, doctrina bona dabit gratiam; in itinere contemptorum vorago*. Atque proinde qui amat sapientiam, illam procurat à Deo, iuxta illud, quod habetur in Ecclesiastico cap. I. *Omnis sapientia à Domino Deo est, & in illo fuit semper, & ante æuum*. Quemadmodum autem timor Domini est initium sapientiæ; non secus ab ipsa sapientia, quasi regressu quodam demonstratiuo manuducimur ad ipsum timorem Domini meliùs intelligendum; sic etenim habetur cap. 2. *Si quæsiueris sapientiam quasi*

Quod nã sit scientiæ medicæ optimum fundamẽtum.

Veræ sapientiæ fons, & origo.

 pecu-

pecuniam, & sicuti thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies, quia Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia, & scientia; custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter. Et cap. 12. *Qui bonus est, haurit sibi gratiam à Domino, qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit.*

Quæ sciẽtia sit medico maximè necessaria.

Cum autem vita sit breuis, & maxima sapientiæ pars in rerum naturalium cõtemplatione sita sit, illa magis inquirenda, quæ maximè sunt ad artem medicã necessaria, quod habetur in Ecclesiastico cap. 3. *Altiora te ne quæsiueris, & fortiora te non scrutatus fueris, sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus; non enim est tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt oculis tuis, videre; in superuacuis rebus noli scrutari multipliciter, & in pluribus eius operibus non eris curiosus; plurima etenim supra sensum hominum ostensa sunt tibi.* Illam tamen procuret eruditionem, quæ ad ipsam artem comparandam est omnino necessaria, dixerat etenim cap. 2. *Tantum præcedit sapientia stultitiam, quantum differt lux à tenebris.* Et prouerb. 17. *Qui altam facit domum suam, quærit ruinã: & qui euitat discere, incidit in mala.*

Quam vtilitatẽ præstet medico historia.

Optimè autem sibi consulet, si fuerit versatus in historijs medicis, tam antiquis, quàm modernis, iuxta monitum Ecclesiastici. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit, occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur; in medio magnatorum ministrabit & in conspectu Præsidis apparebit, & in terram alienigenarum gentium pertransiet, bona, & mala in omnibus tentabit.* Vide reliqua cap. 3. quæ breuitatis studio prætermitto.

rum præcipuè medicarum cognitio

Quænam sapientiã necessario consequatur.

Quoniam tamen nuper dictum est, quod qui adipiscitur veram sapientiam, illa etiam adipiscitur, quæ ipsam sapientiam consequuntur; id possumus comprobare ex prouerb. cap. 16. *Qui sapiens est corde, appellabitur prudens, & qui dulcis eloquio, maiora reperiet. Fons vitæ eruditio possidentis, doctrina stultorum fatuitas. Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet gratiam. Fauus mellis composita verba, dulcedo animæ sanitas ossium.* Est autem animaduertendum sapientis artificium, qui scilicet antequam dixerit *Qui dulcis est eloquio, maiora reperiet*, præmiserat hominem debere esse corde prudentem, quoniam, vt animaduertit cap. 19. *Qui tantùm verba sectatur, nihil habebit; qui autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona.* Et cap. 20. *Est aurum, & multitudo gemmarum: vas autem preciosum labia scientiæ.*

Sapientis artificiũ aperitur.

Est & aliud obiter admirandum artificium, siquidem existimauit vnum, & idem esse hominem sapientem corde, & possessorem mentis; quasi velit intelligentiam esse tum in corde, tum in cerebro; quod

etiam tanquam firmam habuit Hippocrates, cum tamen Arist. illam constituerit solùm in corde, Galenus solùm in cerebro, quemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs. Addidit Sap. quod huiusmodi philosophi ethnici prætermiserunt, ipsam scilicet mentē illustrari à Domino, sic etenim habetur cap. 20. *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.*

Sapiētis, atq; Hip. placitum declaratur, atq; sapienter in illo Hippocr. præcelluisse demonstratur.

Inter reliqua, quæ ad medici doctrinam videntur attinere, sunt ipsæ leges medicæ, nempe hoc ipsum aphorismorum opus, quas adnerbum debet addiscere, atque memoria custodire, iuxta monitum, quod habetur prouerb. 19. *Qui custodit mandatum, custodit animam suam; qui autem negligit viam suam, mortificabitur.*

Aphorismi atque prouerbia ad verbum addiscēda.

Procuret quantum fieri possit, ne crescat amor numi, quantum ipsa pecunia crescit, iuxta illud, quod habetur in Ecclesiastico cap. 11. *Fili mi ne in multis sint actus tui, & si diues fueris, non eris immunis à delicto; si enim sequutus fueris, non apprahendes, & non effugies si præcucurrreris. Est homo laborans, & festinans & dolens impius, & tanto magis non abundabit. Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate; & oculus Dei respexit illum in bono, & creuit illum ab humilitate ipsius & exaltauit caput eius & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum.* Subdit postmodum. *Est qui locupletatur parcè agendo, & hæc pars mercedis illius, in eo quod dicit, inueni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus, & nescit quod tempus prætereat illum, & mors apropinquet; & relinquat omnia alijs, & moriatur.* Addit postmodum. *Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce, ne manseris in operibus peccatorum, confide autem in Deo & mane in loco tuo; facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem.*

Quomodo medicus deuitare debeat auaritiam.

Deuitet laudem, quæ scilicet semper in ore proprio sordescit, iuxta consilium Sap. prou. 27. *Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus, & non labia tua.*

Non se laudet.

Si medicus fuerit iuuenis non ægrè ferat se aliquo modo corrigi à medico sene, nam vt habetur prouerb. 13. *Egestas, & ignominia ei, qui deserit disciplinam qui autem aquiescit arguenti, glorificabitur.*

Suscipiat correctionem.

Est etiam medico necessarius decens ornatus, solum inquam decens, de quo peculiare opusculum conscripsit noster senex, cui videtur maximè consonum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 11. *Ne glorieris in vestitu vnquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera tua Altissimi solus, & absconsa, & inuisa opera illius.*

Qui corporeus ornatus sit medico necessarius.

Procuret quàm maximè possit animi ornatum, inter omnia primatum obtinet charitas, præcipuè erga medicum pauperem; cum illa tamen cautione, quæ habetur in Ecclesiastico cap. 12. *Si benefeceris,*

Qui animi ornatus sit maximè decens medico.

feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certè ad Domino. Da bono, & non receperis peccatorem. Benefac humili, & non dederis impio. Si fortasse velit aliquem exaltare, videat ne id beneficium conferat inimico, iuxta id quod habetur in eodem cap. *Non credas inimico tuo in æternum; sicuti enim æramentum æruginat nequitia illius; Et si humiliatus vadat curuus, abijce animum tuum, & custodi te ab illo; non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, nec conuersus stet in loco tuo, ne fortè conuersus in locum tuum inquirat cathedram tuã, & in nouissimo cognoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris. Quis medebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropriant bestijs? Sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius, vna hora tecum permanebit, si autem declinaueris, non supportabit te; in labijs suis indulcet inimicus, & in corde suo insidiabitur, vt subuertat te in foueam.*

& cur debeat deuitare medicum prauum.

Non desperet, quòd videat se esse in longè minori existimatione, quàm aliquos medicos adulatores, & ignaros; illis etenim obediunt tantummodo, qui suam salutem parui faciunt, iuxta illud, quod habetur prouerb. cap. 17. *Malus obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labijs mendacibus.* Tandem etenim sola eminet virtus, & sapientia, iuxta illud eiusdem capitis. *Seruus sapiens dominatur*

Quomodo bene sperare debeat à Deo.

natur stultis filijs, & inter fratres hereditatem diuidet. Atque proinde per aliquod temporis spacium oportet patienter perferre detrimenta, quæ fortuna eueniunt, nam *sicuti igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Multò autem minus desperare debebit, si viderit se contemni à medico prauo, & ignaro, quod frequenter admodum contingit, nam prouerb. 14. *Ambulans recto itinere, & timens Deum despicietur ab eo, qui infami graditur via. In ore stulti virga superbiæ, labia sapientum custodiunt eos.*

Sit pronus ad edocendos, atque exercendos candidatos, nam ex eodem capite. *In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quosque erudiet.* Præcipuè autem sunt erudiendi studiosi, namque, vt habetur cap. 15. *Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur.* Quemadmodum etenim ex cap. 17. *Corona senum filij filiorum, & gloria filiorum patres eorum.* Non secus de alumnis, atque alumnorum alumnis est intelligendum.

Erudiat candidatos in praxi medica.

Fugiat inuidiam ex eodem 14. *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* Conseruet amicitiam cum medico probo, & erudito, quamuis sit pauper, vel quomodocumque inciderit in calamitatẽ, sic etenim habetur prou. cap. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur.* Dissimulet iniuriam, vt enim habetur cap. 12. *Fatuus statim indicat iram suã,* qui

Deuitet inuidiã, & dissimulet iniuriam.

qui autem dissimulat iniuriam, callidus est; homo versutus celat scientiam & cor insipientium prouocat stultitiam.

Quomodo se gerere debeat in alijs medicis laudandis.

Benedicat de quocumque medico; illum tamen laudando magis, illum minus pro vniuscuiusque maiori, vel minori meritorum indigentia, namque *Anima, quæ benedicit, impinguabitur, & qui inebriat ipse quoque inebriabitur.*

Atque in tacendis illorum vitijs.

Laudet quæcumque bona reperuerit in medico, prætermittat mala, sic etenim habetur prouerb. 11. *Bene consurgit diluculo, qui quærit bona; qui autem inuestigator malorum est, opprimetur ab eis.*

Atque suis erroribus cõfitendis.

Namque & ipse potest decipi, quod cum contigerit, tenetur imitari Hipp. ingenuitatem in confitendo errore cõmisso, iuxta id, quod habetur prouerb. cap. 18. *Iustus prior est accusator sui, veniet amicus eius, & inuestigabit eum.*

Non lætetur de inimici infortunio.

Non lætetur de inimici medici infortunio, namque ex cap. 17. *Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus.*

Deuitet adulationem.

Deuitet, quantum fieri possit, adulatores, siquidem illos soli amant stulti, iuxta illud prouerb. 18. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quę versantur in corde suo.*

Sit Eleemosynarius.

Sit eleemosynarius iuxta consilium Ecclesiastici cap. 14. *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigens da pauperi, non defrauderis à die bono, & particulam diei bonę non te prætereat; nonne alijs relinques dolores, & labores tuos? in diuisione Artis da; & accipe & iustifica animam tuam; ante*

ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.

Captet medici etiã parum eruditi beneuolentiam.

Quamuis autem superius dictum sit, quod oportet medicum esse etiam eruditum in naturali disciplina, si quis talis fuerit, non despiciat medicum in illa, parum eruditum, dummodo sit exercitatus, & probus, iuxta monitum Ecclesiastici cap. 19. *Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficit sensu in timore Dei, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi. Est solertia certa, & ipsa iniqua, & est qui emmittit verbum certum, ennarrans veritatem.* Est etenim optimum, omnium amicitiam, saltem verbis aucupare, iuxta illud, quod habetur cap. 20. *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit, gratiæ autem fatuorum effundentur.*

Sit comis, & sagax in sermone

Deuitet, quantum fieri possit, sermonis ruditatem; subdit etenim Ecclesiasticus in eodem cap. *Homo sine gratia quasi fabula vana, & in ore indisciplinatorum assidua erit; Sapiens verbis producet se ipsum, & homo prudens placebit magnatibus. Sapientia absconsa, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Melior est qui celat insipientiam suam, quàm homo, qui abscondit sapientiam suam.*

Sit hilaris.

Sit hilaris, moderatè tamen, sic enim habetur cap. 21 *Fatuus ex risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacitè ridebit.*

Et grauis

Tenetur autem esse grauis non modò in

in sermonibus, verùm etiam in quibuslibet suis operibus, non adeundo vbi non fuerit aduocatus, iuxta monitũ cap. 21. *Pes fatui facilis in domum proximi, & homo peritus confundetur ab eo.*

Conseruet amicitiam cũ medico sibi familiari.

Si contraxerit amicitiam arctam cum medico sibi familiari, videat ne dissoluatur, iuxta monitum Ecclesiastici c. 22. *Mittens lapides in volatilia, deijcit illa, sic & qui cõuitiatur amico, dissoluit amicitiam. Ad amicum & si produxeris gladium, non desperes; est enim regressus ad amicum si aperuerit os triste, ne metuas. Est enim recordatio excepto conuitio, & improperio, & superbia & misterij reuelatione, & plaga dolosa, in his omnibus effugiet amicus. Fidem posside cum amico in paupertate illius, vt & in locis illius læteris. In tribulationis tempore illius permane illi fidelis, vt & in hæreditate illius locuples sis.*

Conseruet opes hæreditarias, vel aquisitas

Si habuerit opes, vel hæreditarias, vel à Gal. tributas, illas conseruet iuxta monitum Ecclesiastici cap. 40. *Fili in tempore vitę tuæ ne indigeas; melius enim est mori, quàm indigere: vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione victus alit enim animam suam cibis alienis; vir autem disciplinatus, & eruditus custodiet se; in ore imprudentis conculcabitur mendicitas, & in ventre eius ignis ardebit.* In hunc finem de medico verba faciens cap. 38. dixit, vt vidimus. *Mercedem à Rege accipiet,* non vt illam dissipet, sed vt illi commodum, atque ornamentum præstet. Nam

vt

vt habetur in Ecclesiaste cap. 7. *Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis prodest videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.* Multò autem magis erit procuranda, atque conseruanda existimatio, sic etenim pronunciauit cap. 41. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit, quàm multi thesauri magni, & pratiosi; bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum.*

Atq; existimationem.

Hippoc. probitas, & eruditio & cur auctor hæc prætermittat

Hactenus de præstantissimi medici dotibus, tum quoad eruditionem, tum quoad morum probitatem, quas omnes facillimè in diuino Hipp. reperies, si eius legeris iusiurandum, atque alia monumenta, quæ ipse ad hunc finem conscripsit, quemadmodum nos satis, superque in nostra manuductione demonstrauimus, in qua plurima ad Hippocratis vitam, doctrinam, & mores attinentia perlustrauimus; ne autem viderer tibi cranbem recoquere, illa nolui huc transferre: satis erit illuc studiosum lectorem relegare, vt ipse valeat, quæ ibi fuerunt proposita, cum prædictis sacris sententijs facilè conferre: quapropter nostrum iter prosequamur, atque demonstremus quænam medico sint necessaria non in habitu, sed, vt dictum, in actu, quatenus scilicet actu facit medicinam.

Atque

Quid primum sit medico faciendum, cũ arduam aggreditur prouinciam.

Atque proinde in ipso statim primo ingressu ad infirmum, inuocet nomen Domini, vt enim habetur prouerb. 16. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsã curret iustus, & exaltabitur.* Præcipuè verò in qualibet ardua prouincia eius auxilium implorandũ, atque simul ad naturalia præsidia confugiendum. Huc etenim spectat, quod habetur 4. Regum cap. 6. *Accidit autem, vt cum quidam materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam, exclamauitque ille, & ait, heu, heu, heu Domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam; dixit autem homo Dei, vbi cecidit? at ille monstrauit ei locum; præcidit ergo lignum, & misit illuc, natauitque ferrum, & ait, tolle, qui extendit manum, & tulit illud.* Est autem implorandum, non modò vt nobis cognita, atque iampridem experta remedia possint in grauissimo quoque affectu esse proficua; verùm etiam vt reuelet illud, quod nos latet, quemadmodum colligitur tum ex ligno reuelato Moysi, quo dulcorauit aquas amaras; verùm etiam ex Tobia cap. 2. in quo habetur illi fuisse reuelatum fel Callyonimi piscis, *quo linuit oculum patris sui, & sustinuit dimidiam ferè horam, & cœpit membrana ex oculis eius, quasi membrana oui egredi, quam apprahẽdens Tobias, traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Colligitur ex libro quarto Regũ cap. 20. in quo habetur, quod cum Ezechias ægrotaret vsque ad mortem, Dei auxilio, sanatus est ab Esaia admota massa

massa ficorum; quod certè quamuis leuissimum auxilium, euasit tamen maximum, adiuuante numine. Quod verò, illo non fauente, præsidia etiam validissima, nihil possint, colligitur ex Asa Rege, qui podagra mortuus est intra triennium, anno ætatis suæ quadragesimo, quoniam, vt habetur cap. 16. libri secũdi Paralipomenum, *neque in infirmitate sua quæsiuit Deum, sed magis in medicorum arte confidit.*

Attente inspiciẽdus æger.

Attentis oculis inspiciat ægrotantem, nam vt habetur cap. 17. *In facie prudentis lucet sapientia, oculi stultorum in finibus terræ.*

Quomodo sit interrogãdus æger & adstãtes.

Interroget ægrotantem, atque adstantes de ægritudine, atque de symptomatibus, quæ illum magis molestant, neque aliquid respondeat priùs quàm audiuerit illorum narrationes; nam vt habetur cap. 18. *Qui priùs respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.*

Quam moderationẽ habere debeat cum illos alloquitur.

Suo tempore tradat responsionem, non tamen loquatur coram ægrotante, aut adstantibus de ijs, quæ vana sunt, aut quomodolibet possint displicere, iuxta monitũ, quod habetur prouerb. cap. 13. *Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est in loquendo, sentiet mala.* Non sit loquax, namque ex eodem cap. 14. *In omni opere bono erit abundantia, vbi autem verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Non sit austerus, namque ex cap. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat*

cItat

tat furorem ; lingua sapientum ornat scientiam, os fatuorum ebullit stultitiam, lingua salubris lignum vitæ, quæ autem immoderata est, conteret spiritum. Fugiat iracundiam ex eodem cap. 15. *Vir iracundus prouocat rixas, qui patiens est, mitigat suscitatas.* Loquatur ægrotanti, quæ illi magis sunt iucunda; subdit etenim. *Lætatur homo in sententia oris sui, & sermo opportunus est optimus.*

Sit verax

In loquendo sit verax, nam vt habetur prouerb.cap. 14. *Liberat animas testis fidelis, & profert mendacia versipellis; in timore Domini fiducia fortitudinis, in filijs eius erit spes.*

Quomodo se gerere debeat cũ facit medicinam pauperibus.

Si fuerit impulsus ad faciendam medicinam Principi, videat ne incautè illũ prouocet ad iram, sed quantum fieri possit, procuret illius bonam gratiam, namque vt habetur cap. 19. *Sicuti fremitus leonis, ita & ira regis, & sicuti ros super herbam, ita & hilaritas eius.* Patienter perferat quæcumque audit iniqua, vt enim habetur ibidem. *Doctrina viri per patientiam noscitur & gloria eius est inique prætergredi.* Procuret cordis munditiem, nam vt habetur cap. 22. *Qui diligit cordis munditiem, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem.*

Qui medici sit ad cõsilium aduocandi, & qui deuitãdi.

Sed cum iudicium sit difficile, in quibuscumque grauissimis, & perniciosissimis passionibus aduocet consilium, nam vt habetur cap. 20. *Cogitationes consilijs probantur, & gubernaculis tractanda sunt bella.* Procurandum tamen est, ne viri, qui adhibentur ad consiliũ, quantumuis eruditi, sint peruersi, quo factum est, vt statim subiunxerit Sapiẽs. *Ei, qui reuelat mysteria & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commiscearis.*

Deuitet etiam superbos, nam vt habetur ibidem. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis.* Atque insipientes. *Vir insipiens fodit malum, & in labijs eius ignis exardescet.* Et rixosos, iuxta illud. *Homo peruersus suscitat lites, & verbosus separat principes.*

Vt probos affe- qui pos- simus quid faciendũ.

Est tamen in hoc etiam implorãdũ diuinum auxilium, namque, vt habetur ibidem, *A Domino diriguntur gressus viri, quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Quodsi non possit illum deuitare, sequatur illud, quod tradiderat cap. 16. *Reuela de mane opera tua, & dirigentur cogitationes tuę; cum placuerint Domino vię hominis, inimicos quoque conuertet ad pacem.*

Sit diligens atq; eleemosynarius.

Si fecerit medicinam pauperibus, præcipuè Sacerdotibus, sit non minus diligens in illis curandis, quàm in diuitibus, namque vt habetur prouerb. 22. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus.* Quinimo optimè sibi consulet, si præter visitationem, illis etiam tradat eleemosynam; subdit etenim. *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur;*

de-

de panibus enim suis dedit pauperibus, victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera. Neque obijciat esse admodum arduum medicinam facere diuitibus, & pauperibus; vt enim habetur ibidem. *Qui patiens est multa gubernatur sapientia, qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam.* Non tamen suaserim, vt plures sibi assumat labores, quàm ferre possint humeri, namque in hunc finẽ poterit alumnos introducere, iuxta illud eiusdem ibidem. *In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quousque erudiet.*

Obiectio ni satisfit.

Quoniam tamen nuper dictum est, quod si forrasse fecerit medicinam principibus, summopere enitendum erit, ne illos prouocet ad iram, (sunt enim vt plurimum iracundi, præcipuè si non fuerint philosophi) in hoc est maxima adhibenda cautio; siquidem nihil est, quod illos possit magis ad iram impellere, quàm cohortatio ad peccatorum expiationem; & nihilominus quamuis in illis id videatur magis arduum, quàm in pauperibus, vel in alijs vitæ generibus, id non est prætermittendum, tum quoniam hæc nobis tradita fuit à Summis Pontificibus prouincia, tum etiam quoniam sic longè magis disponuntur ad exequenda mandata; quemadmodũ etenim habetur prouerb. cap. 15. *Per misericordiam, & fidem purgantur peccata, per timorem autem Domini declinat omnis à malo.* Neque est verendũ, hanc cohortationem esse illis iram suscita-

Quomodo possimus pricipũ iracundiam deuitare.

Difficultati satisfit.

citaturam, atque medicum reiecturum; namque id vnquam continget, si medicus conuenienti vtatur in hortando dexteritate; quòd si id non iuuerit, tenetur pius medicus præferre peculiari emolumento id, quod ægrotanti est magis proficuum; sic etenim habetur ibidem. *Abominatio Domino cogitationes malę, & purus sermo firmabitur ab eo. Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam, qui autem odit illa, propter quæ cogatur peruertere iudicium, viuet.* Quinimo existimarem, ex hac pia seueritate, esse sibi maiorem existimationem comparaturum, quemadmodum etenim habetur ibidem. *Lux oculorum lætificat animam, fama bona impinguat ossa.* Et cap. 22. *Oculi Domini custodiunt scientiam, & supplantantur verba iniqui.*

Verùm vt ad medicum socium reuertamur (qui non modò summè necessarius est, quotiescumque principi, verùm etiam diuiti cuique, atque potenti medicinam facimus) procuret medicus, tam qui curationi præest, quàm ille, qui fuerit superuocatus, vt sit cautus in contradicendo doctiori, atque magis exercitato; sic etenim habetur in Ecclesiastico cap. 5. *Si est tibi intellectus, responde proximo, sin autem, manus tua sit super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris; honor, & gloria in sermone sensati, lingua verò imprudentis subuersio est ipsius.* Et cap. sequenti. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, veluti taurus, ne fortè elidatur virtus tua*

Quę cautio sit adhibenda in cõtradicendo.

per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris veluti lignum aridum in eremo. Laudet medicum tam amicum, quàm inimicum, iuxta id, quod habetur ibidem. *Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua bene loquens in bono homine abundabit*.

Qui præcipuè sit à consultatione reijciendi.

Non consultet cum impijs, qui scilicet semper sunt ignari, iuxta illud prouerbiorum cap. 24. *Ne contendas cum pessimis, nec æmuleris impios, quoniam non habent futurorum spem mali, & lucerna impiorum extinguetur. Ne contra faciem stes contumeliosi, nec sedeat quasi insidiator ori tuo*. Deuitandi etiam sunt empirici, iuxta illud. *Cum fatuis consilium non habeas, non etenim poterunt eligere nisi, quæ eis placent*. Non tamen sunt omnes empirici spernendi, quandoquidem Gal. confitetur se ab illis non pauca didicisse; sunt igitur audiendi, sic etenim præceptum fuit. *Ne spernas hominem in visu suo, breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius*.

Qui præcipuè medici sint ad consilium eligendi, & quomodo in his eligendis nos gerere debeamus.

Sunt autem præcipuè in consultando eligendi amici, (quos supponimus debere esse doctos) præcipuè si sit arcanũ reuelandum, iuxta id, quod habetur prouerb. 25. *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo ne reueles, ne fortè insultet tibi, cum audierit, & exprobare non cesset. Gratia, & amicitia liberant, quas tibi serua, ne exprobabilis fias, & simpliciter ãbulantes Deũ timentes, non autem fraudulenti, nam anima viri sancti enunciat aliquando ampliùs vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum; & in his omnibus deprecare Altissimũ, vt dirigat in veritate viam tuam. Ante omnia opera verbum verax prçcedat te, & ante omnem actum consilium stabile; verbum nequam immutabit cor, ex quo partes quatuor oriuntur, bonum, & malum, vita, & mors, & dominator illorum est assidua lingua. Vir peritus multos erudiuit, & anima sua suauis est. Qui sophisticè loquitur, odibilis est, in omni re defraudabitur, non est enim illi data à Domino gratia; omni enim sapientia defraudatus est; est sapiens anima sua sapiens, & fructus sensus illius laudabilis*.

Quæ sagacitas sit adhibẽda prçcipuè in redarguẽdo medico improbo, vel parũ erudito.

Demonstret in consultando, sibi maiorem esse curam de salute ægrotantis, quàm vt videatur admodum eruditus, præcipuè quãdo redarguit alterius medici opinionem, nam vt habetur prou. cap. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verba in tempore suo, in auris aurea, & ornamentum auro inclusum, qui arguit sapientem, & aurem obedientem*. Quod si hæc dexteritas non iuuerit, atque de te malè loquatur, noli tu quoque par pari referre, vt enim habetur ibidem. *Ne dicas, quomodo fecit mihi, faciam ei, & reddam vnicuique secundum opus suum*. Si fortasse medicus probus, & eruditus lapsus fuerit, non impellat, sed benigna manu subleuet, sic

etenim dixerat cap. 25. *Septies in die cadet iustus & resurget; impij autem corruent in malum.*

Quomodo insuper debeat se demonstrare sagacē atq; ingenuum.

Cum de præteritis non sit consilium, procuret celare, quæ ab alijs medicis fuerunt vel malè administrata, vel perperam pronunciata, sic etenim habetur cap. 17. proximè citato. *Qui celat delictum quærit amicitias, & qui altero sermone repetit, separat fœderatos. Semper iurgia quærit malus; angelus autem crudelis mittetur contra eum. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quā fatuo confidenti in stultitia sua.* Quod si fuerit perfidus, id etiam est libenter perferrendum; namque vt habetur ibidem. *Qui reddit malum pro bono, non recedet malum de domo eius.* E contra, si fuerit duobus medicis supervocatus, tenetur magis laudare bonum præsidiū inimici, quàm remedium perperam ab amico propositum, nam *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.*

Artificiū seruandū in cōsultādo, proponitur.

In consultando non modò procurare debet breuitatem, verùm etiam vt illa, quæ proferuntur in fine sermonis, non sint deteriora illis, quæ dicta fuerint ab initio, quæ ambo fortasse complectitur aurea illa sententia. *Melior est finis curationis, quàm principium.*

Nunquā reuelet, quod sibi commissum fuit ab ægro sub sigillo cōfessionis

Si æger aliquid illi nunciauerit sub sigillo confessionis, illud non reuelet, iuxta illud. *Non duplices sermonem auditus de reuelatione sermonis absconditi, & eris verè sine confusione, & inuenies gratiam in conspectu omnium hominum.*

Sit magnanimus.

Quemadmodum autem, vel medendo, vel consultando tenetur deuitare superbiam; non secus tenetur deuitare animi deiectionem. *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.*

Deuitet maledicentem.

Si audiuerit verba malè dicta aduersus alium medicum, illa non diuulget. *Audisti verbum aduersus proximum tuū, commoriatur in te, fidens quod non te dirumpet.* Si tamen diu perduret in maledicendo, illum deuita, nam *qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.*

Sit diligens.

Non te pigeat sæpè *visitare infirmum, ex ijs etenim in dilectione firmaberis.*

Sit cautus in promittendo, quod difficillimè assequi possit, prę cipuè adstātibus.

Sit admodum cautus in promittendo, præcipuè adstantibus, quod difficillimè possit consequi, habetur etenim prou. cap. 25. *Nubes, & ventus, & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.* Et cap. 12. *Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientiæ; lingua autem sapientum est sanitas.* Nam quod spectat ad ægrotum, potest magis polliceri, quàm speret se consequi posse; tenetur enim illum consolari, iuxta id quod habetur ibidem. *Mœror in corde viri humiliabit eum, & sermone bono lætificabitur.*

Bonum quemlibet euētum tribuat Deo

Prosperum quemque euentū tribuat non sibi, sed de D.O.M. ita monente Sapiente Ecclesiastes cap. 5. *Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam, neque dicas coram angelo non est prouidentia, ne fortè iratus Dominus contra*

ſermones tuos, diſſipet cuncta opera manuum tuarum.

Proponitur medicinæ preſtantia ex Hippocr. atq; ſapientibus & rationibus in contrarium adductis ſatisfit.

Præclara quælibet ars ex quibus precipuè cõſtituatur.

CVm præclara quælibet ars ex duobus præcipuè conſtituatur; nimirũ ſubiecto, circa quod verſatur, atque fine, ad quem tendit; ſi demonſtrauerimus artis medicæ ſubiectum eſſe ſublunarium omnium nobiliſſimum, finem etiam eſſe omnium præſtantiſſimum, hinc fiet manifeſtum, quantum ars medica reliquas omnes artes antecellat? Quod ad primum attinet, quicumque dignouerit hominis excellentiam, facillimè ſubiecti nobilitatem aſſequetur; eſt nempe homo, de quo tot extant, adeoque præclara encomia, apud Philoſophorum, atque aliarum diſciplinarum coriphæos, vt de hac tantùm contemplatione iam integra volumina fuerint conſcripta; nogra bis erit ſatis pauca aliquot penes inſtitutum noſtrum ex diuino Hippocrate, atque reliquis ſapientibus depromere. Et quod primùm ad Hippocratem attinet, eius vtilitatem, tum alibi copiosè, tum in ipſo primo aphoriſmo breuiſſimè indicauit, quando dixit experimentum eſſe periculoſum; eſt inquam periculoſum, quemadmodum ibi demonſtrabimus, quoniam non fit

Hominis Excellentia, quæ & quãta.

experimentum circa corium, aut lapidem, ſed circa hominem ſublunarium omnium nobiliſſimum, quemadmodum ibi demonſtrabimus. Si verò artis finem conſideremus, hic eſt præſtantiſſimus, nimirum ſanitas, quam vt aſſequi poſſimus, tantoperè laboramus à pueritia vſque ad ſenectutem, tam multas diſciplinas addiſcendo, tandiu inſudamus in exercenda praxi ſub exercitatiſſimis præceptoribus, adeo vt non aliam ob cauſam exclamauerit diuinus ſenex in ipſo ſtatim aphoriſmorum exordio, humanam vitam, reſpectu artis medicæ eſſe breuem, vnde eiuſdem artis neceſſitas manifeſtè indicatur; verùm prædictam artis neceſſitatem ad talem finem procurandum iampridem indicauerat Concionator cap. 38. quando inquit. *Honora medicum, propter neceſſitatem enim illum creauit Altiſſimus. A Deo eſt enim omnis medela, & à rege accipiet donationem. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in conſpectu magnatum collaudabitur. Altiſſimus creauit medicinam de terra, & vir prudens non abhorrebit illam.* Quibus verbis artis medicæ finis indicatur; ſiquidem ad hunc finem creauit medicum, & medicinam de terra Altiſſimus, qui vt non abundat in ſuperfluis, ſic non deficit in neceſſarijs. Quemadmodũ verò ex primo hoc aphoriſmo colligitur medicinæ præſtantia, non ſecus eruitur eſſe preſtantiſſimum

Artis medicæ finis qui.

Artis medicæ neceſſitas vnde colligatur.

Eius præstantia vnde colligatur.

sanitatis thesaurum, hoc est, omnibus diuitijs longè nobilius, quod habetur cap 30. *Melior est pauper sanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia.* Quoniam verò sanitas sita est non modò in corpore, verùm etiam in anima, idcirco subdit. *Salus animæ in sanctitate iustitia, & melior est omni auro, & argento, & corpus validum, quàm census immensus. Non est census super censum salutis corporis, & non est oblectamentum super cordis gaudium.* Esse autem medicinam necessariam, non modò ad curationem, verùm etiam ad præseruationem indicauit Hipp. in vniuerso hoc aphorismorum opere quemadmodum videbimus; hoc ipsum habetur in eodem capite, subdit etenim *Est enim tempus, quando in manus illorum incurras, ipsi verò Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & sanitatem propter conuersationem illorum, qui delinquit in conspectu eius, qui fecit eum, incident in manus medici.* Videtur autem difficillimum, ne dicam impossibile, quod habet in eodem capite. *Da locum medico, etenim illum creauit Dominus, & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria.* Non tamen id est admodum arduum, quoniam vbi vrget necessitas, poterit medicus sæpiùs ægrotantem visitare; quod si pluribus ægrotantibus præpeditus id assequi non possit, poterit saltem aliquem suum alumnum eruditum, atque exercitatum introducere, atque

Medicina dupliciter necessaria.

Quomodo sit intelligendum medicũ non debere discedere ab ægrotante.

atque sic medicus non discedet ab ægrotante. Occurunt autem non paucæ difficultates aduersus illa, quæ dicta sunt, quas omnes pro viribus diluemus, vt veritas hucusque proposita magis elucescat. Prima est, quod perperam statuimus sanitatem esse finem medicinæ, quoniam medicus non semper illam assequitur, quinimo multoties tali frustratur fine, quemadmodum non solùm quotidiana testatur experientia; verùm etiam manifestè constat ex tam pluribus historijs, quas ipse dictator recensset in opere de morbis vulgaribus. Cui difficultati respondemus, id quidem verissimum esse, quoniam scilicet arti medicæ contingit, quod nauticæ, oratoriæ, atque militari; satis tamen esse, quod medicus suum præstet officium, hoc est, omnia, quæ opus sunt, adhibeat ad sanitatem assequendam, quod ipse dictator indicauit aphorismo primo primæ sectionis, quando supposuit tanquam ratum, atque firmum, medicum teneri suum præstare officium, quod repetit aphorismo postremo vltimæ sectionis, quemadmodum videbimus suo loco. Quod, vt arbitror, significare voluit Ecclesiasticus cap. citato, quando inquit. *Fili in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus incipe plorare & secundum iudicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam eius.* Id inquam significauit hisce verbis, quoniam hæc pronunciauit postquam laudibus extulit artem medicam. Obijciunt

Prima difficultas soluitur.

Quomodo sanitas sit medicinę finis, cum tamen medicus nõ semper illam assequatur.

Secunda difficultas soluitur.

alij medicinam non esse necessariam, quinimo neque vtilem, quoniam etiam si concedamus esse aliquas medicamentorum facultates, homines tamen nullam de illis habere certam scientiam, sed incertam, atque instabilem opinionem, quo fit, vt neque ipsa medicina scientia possit nuncupari; id quod ex eo colligunt, quòd multæ fuerint, atque quotidie nascantur medicorum sectæ, & abeant, & semper redeant per quasdam vicissitudines, atque decipiantur sæpè medici, quasi nihil certi possidentes: idque potuissent ex Hippocrate comprobare, qui in ipso statim totius artis vestibulo pronunciauit *experimentum esse periculosum, & iudicium difficile;* nam quod pertinet ad experimentum, est periculosum non modò, quod prius non fuit expertum, verùm etiam quod iam fuit expertum ob rationes, quas in nostris proposuimus commentarijs. Verùm difficultati iam pridem responderunt viri celeberrimi, dicentes id quidem verissimum esse; supponendum tamen id propterea debere medicum esse in sua disciplina peritissimum, atque in arte versatissimum; addimus nos id significare voluisse vnico verbo dictatorem, quando dixit *ars longa.* Id quod significatum fuit in Ecclesiastico loco citato, quando etenim dixit. *Honora medicum, propter necessitatem eum creauit Altissimus.* Significare voluit non triuialem aliquem medicum, sed

Quibus medicis experimentum firminus periculosum, & iudiciũ minus difficile.

sed illum, quem creauit Altissimus, quando etiam subdit. *Altissimus creauit medicinam de terra, & vir prudens non abhorrebit illam.* Significare voluit Altissimum medicamento, quod terra creatum fuit, talem virtutem tribuisse, quæ morbos possit expellere. Dignouit quidem vir sapiẽtissimus esse aliqua medicamenta, quæ virtutes obtinent occultas, quod significauit, quando inquit. *Nonne à ligno indulcata est aqua amara?* Subdit tamen *ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.* Vt significaret, quod etiam si causam ignoremus, propter quam prædicta medicamenta (dicuntur à tota substantia) operantur, dedisse tamen opificem cognitionem illarum virtutum, quemadmodũ tradidit virtutẽ de ligno, quo indulcorata fuit tam multa aqua amara; quamuis etenim eius virtus fuerit occulta Moysi, illi tamen fuit virtus reuelata, quoniam vt habetur Exodi cap. 15. *Ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum quod cum misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.* Per quod significatur in perniciosissimo quoq; morbo debere probũ medicum orare Dominũ, vt sibi illuminet mentẽ ad idonea pręsidia inueniẽda, quibus possit suum ægrotantẽ ad sanitatis portum perducere; namque, vt Moses præsidium adinueniret, quo amaredinem ab aquis auferre posset, *clamauit ad dominũ;* neq; id fortasse est omninò à mente

mente Hippocratis alienum, vt nos opinamur, siquidem in ipso statim primo aphorismo animaduertit, non satis esse medicum, in sua longa arte exercitatissimum, suum præstare officium, verùm etiam & ægrum, & assidentes, & exteriora, per exteriora inter reliqua intelligens D. O. M., quasi voluerit animaduertere iuxta monitum psaltis regij, quod *nisi Dominus ædificauerit domum, frustrà laborant, qui ædificant eam, & nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustrà laborant, qui custodiunt eam,* quemadmodũ vlteriùs in eiusdē primi aphorismi adnotationibus manifestũ fiet; atq; proinde debere piũ medicũ exorare Dominum, vt illuminet suam mentem ad omnia illa inuenienda, quæ in casibus arduis possunt esse ægrotantibus proficua; namque id propterea prope finem capitis citati subdit. *Ipsi verò* (medici) *deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum, & sanitatem propter conuersationem eorum* idest medicorum cum suis ægrotantibus quando fuerint à morbo liberati; sic etenim, vt ipse inquit, *non consummabuntur opera eius; pax enim Dei super faciem terræ.* Est altera non leuis momenti difficultas diluēda, obijciunt alij, quod quantumuis ars medica aliquam præstet vtilitatem, non esse tamen necessariam, quoniam non pauci populi absq; medicis vixerunt. Cui respondemus non modò ex præcitato capite Ecclesiastici medicinā esse Dei inuētum, verùm etiam ex profanis auctoribus,

Quid Hipp intelligat per exteriora.

Tertia difficultas soluitur.

tibus, siquidē omnes gētes medicinæ inuentũ in suos Deos retulerunt, aut illos ipsos homines, qui putarētur inuenisse, retulerunt in numerũ Deorũ, quemadmodum doctissimi viri ante nos animaduerterunt. Addimus nos, Hippocratem in suis monumentis tanquam antiquissimum, atque apprimè necessarium hoc Dei inuentum laudibus extulisse, quod in primo aphorismo primę sectionis tacitè videtur indicasse, quãdo admonuit artem longam esse, vt diligētes medici illam sedula opera perdiscerent; quod si non esset admodum necessaria, ad quid perditio hæc? Obijciunt alij, morbos, & sanitatem, vitam, & mortem dispensari voluntate Dei, neque rationem vllam esse euadendi, cum Deus morti homines destinauerit. Aliqui verò obijciunt ipsos ægrotantes per se sanescere, quapropter illam artem non esse necessariam, quę solùm sanat non morituros; idque potuissent vel ex ipso Hippocrate comprobare, qui non modò dixit naturam esse morborum medicatricem, quod de morbis sanabilibus est intelligendum, verum etiam ex eodem aphorismo postremo vltimę sectionis, in quo, vt videbimus, inquit esse aliquos morbos, qui nullo artis auxilio sanari possunt, quos proinde ait esse incurabiles. Cui difficultati fusè admodum ab eruditissimis viris satisfactum est, qui elapsis annis de vitæ termino fatali, ac nobili non vulgare opus conscripserũt,

Omnes gētes medicinę inuentum in suos Deos retulere.

Quarta difficultas soluitur.

quapropter, cum plurima exempla ad rem facientia, atq; nõ paucas sententias ex sacris libris deprõptas possit quilibet adinuenire, non est quod in illis scribendis tẽpus conteramus; satis sit monuisse omnipotentem, atq; misericordem Dominum aliquibus, qui ob commissa peccata destinatũ sibi vitę terminum decurtarunt, ob peractam pœnitentiam vitam illis fuisse productam, nõ tamen absque naturali auxilio, quemadmodum ibi est videre, quod etiam colligitur ex prædicto capite Ecclesiastici, in quo manifestè admonet, vt æger in sua infirmitate oret D.O.M., atq; ita recurrat ad medicum, vt medicus non discedat ab illo: alter enim alterius poscit opem, sic & coniurat amice. Obijciunt tandem alij, quod etiamsi medicina sit necessaria, est tamen ars vilis, quoniam stercus, & vrina sunt medici fercula prima, vt ait ille, atque non semel conspurcat manus in contrectandis corporis partibus ab inũctionibus conspurcatis. Cui respondetur id nihil detrahere de artis medicæ dignitate, siquidem hæc manuum conspurcatio animum, atque ipsam etiam vitam medici illustriorem reddit, quod significatur eodem loco superiùs citato; quid etenim nobilius, quàm exercere artem à Deo propter necessitatem inuẽtam, & mercedem à Rege suscipere, & in conspectu magnatum collaudari? atque proinde aliqua manuum sordities ab inunctionibus cõtracta facillimè elui

Quinta difficultas soluitur.

Quomodo medicina dicatur ars mundissima nobilissima; cum tamen medicus cõspurcet manus, atq; persentiat fætore;.

tur prædictis denarijs, atque laudationibus, quæ medicum reddunt illustrissimum. Hoc tamen non ausim asserere, quod aliqui alioquin doctissimi viri pronunciarunt, quod scilicet in magna illa antiquitate medici requirebantur, vt reliquis hominibus imperarent, atque Reges fierent; idque colligunt ex Isaia cap. 3. quando inquit. *Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui, & dicet vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua, respondebitque in die illa, dicens non sum medicus, & in domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me principem populi.* Nunquam id est credendum, cum percurrerim omnia sacra volumina, atque nullibi reperuerim principem aliquem fuisse medicum; namque etiamsi nostris hisce temporibus Reges Galliæ medeãtur strumis, id præstant virture quadam speciali sibi tributa à Deo. Quapropter existimarem dictiones illas, *non sum medicus*, longè aliter esse intelligendas, atque prædicti auctores intellexere, hoc est, non sum in morali disciplina adeo versatus, vt possim tanquam bonus Rex alijs imperare, hi etenim vocantur etiam *illustres, atque curatores*, quemadmodum animaduertit Boulducius in suo opere de Ecclesia ante legem. Nobis igitur satis sit dixisse, artem medicam esse artium omnium nobilissimam, non modò quoniam plu-

Vtrum medici aliquando reges fuerint.

ximi Reges, atque Principes illam magno studio didicerunt, verùm etiam quoniam seruator noster quandiù nobiscum mansit, non fuit didignatus illam exercere.





APHORISMORVM HIPP.

SECT. PRIMA.

APH. I.

Vita breuis, ars verò longa, occasio præceps, experimentum periculosum, iudicium difficile. Nec solùm se ipsum præstare oportet oportuna facientem, sed & ægrum, & assidentes, & exteriora.



RÆCLARI aliquot Hippocratis interpretes, qui ante Galeni æuum floruere, ipso sic referente Gal. in suo com., existimarunt dictatoris præcipuum fuisse institutum, in tam multis artis medicæ difficultatibus in hoc primo aphorismo proponẽdis, allicere studiosos ad ipsam artem cunctis ingenij neruis addiscendam, atque arcere ignauos, & qualescumque animum habentes à laboribus subeundis maximè auuersum. Quam sententiam, inter reliquas, in nostris amplexi fuimus commen-

Hippoc. institutũ in hoc primo aphorismo quod nam sit.

mentarijs. Huic videtur proportione respondere, quod habetur prouerb. cap. 27 *Cor iniqui inquirit mala, cor autem rectum inquirit scientiam*. Namque si hortatus fuisset ignauos, nihil profecisset, quoniam, vt habetur ibidem. *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas faciente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius*. Quapropter non pigebit studiosũ quemlibet nostras has lucubratiunculas, quas festiuis cudimus horis, percurrere, atque quidquid boni reperueris, ad bonam frugem deducere; præcipuè autem in hoc primo aphorismo explicando non poterimus non esse aliquantisper diffusi, sic exigẽte maxima, quæ in illo continetur, doctrinæ suppellectile; sunt etenim quot verba, tot sententiæ, quemadmodum in nostris commentarijs demonstrauimus.

Vita breuis.

ESSE humanam vitam breuem primus animaduertit sapientissimus, atq; patientissimus Iob vulgatissima illa sententia. *Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miserijs.* Sunt autem inter reliquas maximæ, ac horrendæ miseriæ, quas à prima infantia, vsque ad postremam senectutem percurrit Hipp. sect. tertia. Quamuis autem nullum huius vitæ terminum assignauerit, id factum est, tum quia ad suum institutum non videbatur attinere, tum etiam quoniam nullus est eius termi-

Cur Hippoc. nullum assignauerit vitæ terminum.

terminus stabilis, hoc tamẽ certissimũ, quod habet psaltes regius de homine verba faciens. *Anni eius septuaginta, octuaginta in potentatibus, amplius autẽ labor, & dolor.* Posse tamen ad centesimũ peruenire habetur in Eccles. c. 18. *Numerus dierum vitæ hominum centum anni.* Potest etiam ad annum vigesimũ supra centesimum peruenire vt habetur cap. 6. Geneseos per hęc verba. *Eruntq; dies illius centum, & viginti annorum.* Cur verò non possit prædictus annorum numerus pertransiri, opportuniùs in hoc codẽ opusculo in ennaratione ad aphorismum decimum quartum huius primæ sectionis ex sacra pagina, atq; ipso etiam Hipp. demonstrabimus. Quoniam tamen est adeo breuis, vt rarò admodum ad centesimũ annũ perueniat, id propterea eius maximã esse habẽdam custodiam, tum in cunctis suis operibus, tum præcipuè in hoc aphorismorũ opere indicauit Hipp. præcipuè verò ex hoc primo colligitur aphorismo, adeo vt qui sanitatem custodiunt, sint non parũ venerandi, quod indicauerat Sap. prou. 16. *Corona dignitatis senectus, quæ in vijs iustitiæ reperitur.* Verùm cum quantumuis elongetur, est tamen (vt diximus in cõmentarijs) respectu artis longę admodũ breuis, animaduertat studiosus illa tantùm esse perquirenda, quæ ad artem magis videntur necessaria, quod animaduertit Sap. in Ecclesiaste, quando inquit. *Quid necesse est homini maiora se quęrere, cum ignoret quid conducat*

Quæ senectus si potissimum veneranda.

In tantas vitæ breuitate, quæ præcipuè sĩt medico perquirenda.

Quomodo vita, quæ est breuis, euadere posſit minus breuis, ex remedio ſpirituali atq; temporali demonſtratur.

ducat ſibi in numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore, quod veluti vmbra pręteriјt? aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum ſit ſub ſole? Præcipuè verò ſunt omnia deuitanda, quæ illam breuiorem reddere conſueuerunt, quod habetur in eodem opere cap. 7. *Ne impie agas multum, & noli eſſe ſtultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Nam vt habetur prouerb. 11. *Clementia præparat vitam, & ſectatio malorum mortem. In ſemita iuſtitiæ vita, iter autem deuium ducit ad mortem.* Et in Eccleſiaſtico cap. 1. *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lętitia, & corona exultationis; delectabitur cor, & dabit lętitiam, & gaudium in longitudinem dierum.* Et prouerbiorum cap. 19. *Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur abſque viſitatione peſſimi.* Et cap. 21. *Qui ſequitur iuſtitiam, & miſericordiam inueniet vitam, iuſtitiam, & gloriam.* Id quod etiam habetur prouerb. cap. 10. *Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur. Expectatio iuſtorum lætitia, ſpes autem impiorum peribit. Fortitudo ſimplicis vita Domini, & pauor ijs, qui operantur malum. Iuſtus in æternum non commouebitur, impij autem non habitabunt ſuper terram.* Et in Eccleſiaſtico cap. 34. *Spiritus timentium Deum viuet, & in reſpectu illius benedicetur.* Inter cætera ad vitam longam aſſequendam amet ſobrietatem. Sic enim habetur cap. 27. *Fili mi in vita tua tenta animam tuam,*

&

& ſi fuerit nequam, ne des illi poteſtatem; non enim omnia omnibus expediunt; & non omni animæ omne genus placet. Noli auidus eſſe in omni epulatione, & non te effundes ſuper omnem eſcam; in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas apropinquabit vſque ad choleram; propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt adijciet vitam. Verùm aduerſus illa, quæ hucuſque dicta ſunt, inſurget aliquis, dicendo iam decreto diuino ſtatutum eſſe cuilibet hominum vitæ terminum, atque proinde ſi Deus decreuerit vitam futuram breuem, fruſtra laborare, qui illam diuturnam efficere intendunt. Iis etenim reſpondet Eccleſiaſticus cap. 15. quando inquit. *Non dicas, Deus firmauit me, non enim neceſſarij ei ſunt homines impij omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui, adiecit ei mandata, & præcepta ſua; ſi volueris mandata conſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam ſeruare; appoſuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porigere manum tuam; ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi, nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi.* Quàm bene hæc conſentiant cum Hippocratis conſilijs in operis progreſſu fiet manifeſtum.

Difficultati ſatisfit.

Art

Ars verò longa.

Cur ars medica sit longa. EST ars longa, quoniam constat non modò praxi, vt aliæ quælibet artes, verùm etiam theoria, atque his substractis pluribus scientijs, scilicet non modò philosophia (quoniam vbi desinit philosophus, ibi incipit medicus) verùm etiam pluribus ad eruditionem attinentibus; quæ omnes disciplinæ exhibent sapientiam, quemadmodum praxis exhibet prudẽtiam, quibus duobus fundamentis innititur quælibet ars præstãtissima, iuxta illud, quod habetur prouerb. cap 24. *Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur: in doctrina replebuntur cellaria, & vniuersa substantia pratiosa, & pulcherrima. Vir sapiens fortis est & vir doctus robustus, & validus quia cum dispositione initur bellum, & erit salus, vbi multa consilia fuerint.* Quantam autem analogiam habeat ars militaris cum arte medica in nostris animaduertimus commentarijs. Cum igitur sit longa oporter à pueritia locum studijs aptum procurare, atque idoneos præceptores eligere; nam qualis sit futurus senex, facilè deprædenditur puer; hinc habetur prou. cap. 20. *Ex studijs suis intelligitur puer; si munda, & recta sint opera eius, aurem audientem, & oculum videntem; Dominus fecit vtrumque.*

Vt ars minus sit longa quid faciendũ. Vt verò ars fiat minùs longa, illa tantùm sunt legenda, quæ vtiliora, quæque magis ad solidam doctrinam

ctrinam videtur attinere, futilia quælibet deuitanda ex cap. 21. prouerb. *Paruulus, si sectetur sapientiam, amet scientiam.* Idem propemodum pronunciauerat cap. 15. *Cor sapientis quærit doctrinam, & os stultorum pascitur imperitia.* Fiet etiam minùs longa, si praxim addiscat ex doctissimis, atque exercitatissimis præceptoribus, seruando Dei mãdata. Sic etenim habetur in Ecclesiastico cap. 6. *Si incliuaueris aurem tuam, excipies doctrinam; & si dilexeris audire, sapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorũ ex corde coniungere, vt omnem narrationem Dei possis audire, & prouerbia laudis ne effugiant à te; & si videris sensatum, euigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus; cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto, & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientis dabitur tibi.* Et prouerb. cap. 13. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur.*

Occasio præceps.

Cur occasio sit præceps. CAusam, propter quam occasio est præceps, animaduertit Sapiens in Ecclesiaste cap. 8. quando inquit. *Omni negotio tẽpus est & opportunitas, & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo potest scire nuntio.* Qui tamen fuerit exercitatissimus, atq; oculatissimus, poterit multa præterita digno-

Quomodo fiat minus præceps.

dignoſcendo, atque præſentia diligenter intuendo, non inanem futurorum euentuum præſenſionem obtinere; nam quemadmodum idē pronunciauit prouerb. cap. 17. *Gemma gratiſſima expectatio præſtolantis, quocumque ſe vertet, prudenter intelligit.* Id quod euidentiùs indicauerat cap. 9. eiuſdem operis. *Da ſapienti occaſionem, & addetur ei ſapientia.* Atque proinde cum occaſionem operandi dignouerit, illam arripiat, nam ex cap. 13. *Spes, quæ differtur, affligit animam, lignum vitæ deſiderium veniens.*

Experimentum periculoſum.

Experimentum periculoſum.

EST experimentum periculoſum, quoniam, vt inquit Gal. in com., nō fit periculum circa corium, aut lapidē, ſed circa hominem animalium omniū nobiliſſimum, cuius præſtantia habetur in Eccleſ. c. 16. quando inquit. *In iudicio Dei opera ipſius ab initio, & ab inſtitutione hominum ipſorum, diſtinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus ſuis.* Et cap. ſequenti. *Deus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum; & iterum conuertit illum in ipſam, & ſecundum ſe reſtiuit illum virtute: numerum dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi poteſtatem eorum, quæ sūt ſuper terram: poſuit timorem illius ſuper omnem carnem, & dominatus eſt beſtiarum, & volatilium. Creauit ex ipſo adiutorium*

torium ſimile ſibi, conſilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus repleuit illos: creauit & illis ſcientiam ſpiritus, ſenſu impleuit cor illorum, & mala, & bona oſtendit illis; poſuit oculum ipſorum ſuper corda ipſorum & oſtendit illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, & magnalia enarrent operum eius. Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hæreditauit illos, teſtamentum æternum conſtituit cum illis, & iuſtitiā, & iudicia ſua oſtendit illis, & magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt voces illorum. Eſt etiam periculoſum experimentum non modò antea non expertum, verùm etiā quod aliàs expertum fuit; quod etenim vni aliquando profuit, poterit alteri noxam inferre, quoniam licèt congruat morbo, poterit tamen non congruere naturæ, tempori, regioni, atque ætati. Vt verò euadat minùs periculoſum, audiat Sapientis monitum prouerb. cap. 14. per hæc verba. *Sapiens timet, & declinat à malo, ſtultus tranſibit, & confidit, impatiens operabitur ſtultitiam.* Memoria cuſtodiat leges medicas; namque vt habetur in Eccleſiaſte. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quidquam mali.* Hinc fit quod empirici nullum experimentum exiſtimarunt eſſe periculoſum, quoniam ad pauca reſpicientes facilè enunciant, quemadmodum nuper dictum

Vt experimentū ſit minus periculoſum quid faciendū.

Cur empirici nullum experi-

mentum existimẽ esse periculosum.

ctum est. Tenetur etiam medicus prudens suæ conscĩẽtiæ satisfacere, atq; proinde posthabitis pharmacopœis, qui magis desiderant diuitias, quàm ægrotantium salutem, atque medicorum existimationem, procuret medicamenta apud virum iustum, atque timentem Deum, flocique faciat eorum odia, nam habet paulò post Sapiens. *Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum*. Ipsumque audiat prouerb. 20. *Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?* Pessimi tamen progressu temporis deregun-tur iuxta monitum Ecclesiastici. *Cor durum habebit malè in nouissimo, & qui amat periculum, in illo peribit*. Vt etiam euadat minus periculosum non temerè credat quæcumque audit, aut legit ex cap. prouerb. 14. *Innocens credit omni verbo, astutus considerat gressus suos*.

Qui pharmacopoei efficiant experimentum magis periculosũ.

Iudicium difficile.

Cur iudicium est difficile.

QVemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs, experimẽtum est periculosum, quia iudicium est difficile, & iudicium est difficile, quoniam experimentum est periculosum; si etenim experimentum non esset periculosum, iudicium non esset adeo difficilè, atque iudicium etiã eò euadit difficilius, quò experimentum est magis periculosum; id quod colligitur ex Sap. 16. prouerb. *Est vita, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem*. Est autem præcipuè difficile, quoniam vel non aduertitur animus ad imminens periculum, vel, quod est deterius, quoniam in rebus arduis nõ imploratur diuinum auxilium; quod habetur cap. 28. *Viri mali non cogitant iudicium, qui autem inquirũt Dominum, animaduertunt omnia*. Euadit autem difficillimum, quoniam medicus multoties ignorat multa ad philosophiã pertinentia, quæ maximam in se habent difficultatem, quemadmodum diffusè comprobauit Ecclesiasticus cap. 1., concludit tamen, quod *prabet illam timentibus se*; sic etenim euadit minùs difficile, si præcipuè fuerit medicus versatus, atq; exercitatus, hinc etenim maxima prouenit prudentia, quemadmodum ante Hipp., atque Arist. indicauit Sapiens c. 27. quando inquit. *Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*. Nam medico inexperto nõ poterit euadere iudicium facile, cum scriptũ sit in Ecclesiastico c. 34. *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa, & qui multa didicit, ennarrabit intellectum; qui non est expertus, pauca recognoscit; qui autem in multis factus est, multiplicabit malitiam; qui tentatus non est, qualia scit? Qui implantatus est, abundabit nequitia; multa vidi enarrando, & plurimas verborum consuetudines aliquoties vsque ad mortem periclitatus sum horum causa & liberatus sum gratia Dei*. Vt etiam iudicium fiat

Vt euadat minus difficile quid faciendũ

fiat minùs difficile, non ſtatim deuenit ad prædictionem ex prouerb. 29. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus; ſapiens differt, & reſeruat in poſterum.* Euadet etiam minus difficile, ſi in ipſo euentu prædicendo ſit admodum cautus, atque prædictionem efficiat paucis verbis, & quadam poſita conditione; ſic etenim habetur Eccleſiaſtes cap. 5. *Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo; Deus enim in cœlo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui.*

Nec ſatis eſt ſe ipſum præſtare opportuna facientem.

PErtinent hæc ad medici officium, de quo ſpecialem cōfecimus tractationē in prohemio, ne huius primi aphoriſmi interpætatio in magni commentarij molem excreſceret; quapropter huius particulæ accuratam intelligentiam inde exquire.

Sed & ægrum.

QVantumuis morbus ſit ſanabilis, atque illum curet medicus doctiſſimus, atque exercitatiſſimus, fruſtra tamen laborat, ſi inobediens ſit æger; facillimè enim tendet ad interitum. Sic etenim habetur prouerb. 29. *Vir, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei ſuperueniet interitus, & eam ſanitas non ſequetur.* Ratio eſt, quoniam ſi ęger non obedit medico, ſunt duo aduerſus medicum, nimirum æger, & ægritudo, & ſic neque Hercules con-

contra duos; e contra ſi obedit, ſunt duo aduerſus morbum. Sic habetur prou. 18. *Frater, qui adiuuatur à fatre, quaſi ciuitas firma, & iudicia quaſi vectes vrbium.* Hinc factum eſt, quod miſericors Dominus, quando accedebat ad curandum ægrotantem, percontaretur, *Vis ſanus fieri.* Quamuis etenim eſſet omnipotens, illum non curaſſet, ſi renuiſſet. Ex quibus intelligitur, quod etiamſi iudicium in prædicendo ſit difficile, medico tamen prudenti facillimum euadet. Si quandoque talē curauerit ægrotantem, tutò etenim prædicere mortem poterit, quemadmodum in noſtris animaduertimus commentarijs. Atq; proinde tenetur æger ſeruare monita prudentis medici, quaſi filius monita parētum, iuxta illud, quod habetur cap. 15. *Stultus irridet diſciplinam patris ſui, qui autē cuſtodit increpationes, aſtutior fiet; doctrina mala deſerentium viam vitæ, qui increpationes odit, morietur. Non amat deriſor eum, qui ſe corripit, nec ad ſapientes graditur.* Quibus inſuper accedit, quod æger obediens ſibi conciliat medici beneuolentiam; inobediens verò ita ſe gerit, vt meritò à prudenti medico deſeratur. Dixerat etenim cap. 10. *Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientum commorabitur; qui abijcit diſciplinam, deſpicit animam ſuam; qui autem acquieſcit increpationibus, poſſeſſor eſt cordis; timor Domini diſciplina ſapientiæ & gloriam pręcedit humilitas.* Verùm quod magis miſerandum, eſt

Cur Dominus interrogauerit vis ſanus fieri.

Ægrum inobediētem, quæ ſequatur pernicies & obedientem, quæ cōmoda cōſequātur

est quod non pauci eo dementiæ peruenere, vt medicos etiam prudentes, atque in maxima etiam dignitate constitutos irridere non dubitent, quibus illud optimè quadrat, quod habetur cap. 19. *Derisore flagellato, stultus sapientior erit; si autem corripueris sapientem, intelliget sapientiam. Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.* Esse autem, vt super dicebamus, hos tanquam stultos deserendos admonuerat c. 9 *Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit; & qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, & diliget te.* Vt plurimum autem tales derisores sunt ignari; qui verò obedientes sunt bene disciplinati; quod habetur cap. 10. *Via vitæ custodienti disciplinam, qui autem increpationes relinquit, errat. Quasi per risum stultus operatur scelus; sapientia autem est viro prudentia.* Et cap. 12. *Qui diligit disciplinam, diligit scientiam; qui autem odit increpationes, insipiens est. Qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino; qui autem confidit inconfidit in cogitationibus suis, impiè agit. Via stulti recta in oculis eius, qui autẽ sapiẽs est, audit cõsilia.* Sũt verò alij ægroti, qui licèt nõ sint derisores, sed medicum suum venerantes, existimant tamen medicum esse nimiùm seuerum, præcipuè in viuẽdi norma nimiũ rigorosa imperãda; atq; proinde, inscio medico, aliquando abripiuntur licentię ventis, quos videtur indigitasse

Inobediẽtium duplex genus.

Cur aliqui ęgroti licet medicũ venerentur ipsi tamen non obtẽperent.

digitasse Sap. prouerb. cap. 14. loco superiùs citato. Quamuis autem, vt dictum est, maximè faciat ad prudentis medici monita seruanda, quod æger sit bene disciplinatus, atque bonis moribus institutus, sunt tamen ad id assequendũ tria potissima, atque maximi momenti indicia. Primum est, quod ipse æger sit timens Deum, iuxta id, quod habetur in Ecclesiastico cap. 34. *Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius. Timentis Dominum beata est anima eius, ad quem respicit, & qui est fortitudo eius. Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem.* Secundum est, quod sponte sua, absque vlla medici, vel adstantium cohortatione, semet ipsum disponat ad peccatorum expiationem, atque reliqua pietatis opera exercenda. Sic etenim habetur cap. 16. *Initium vitæ bonę, facere iustitiam, acceptum est apud Deum magis, quàm immolare hostias; misericordia, & veritate redimitur iniquitas, & in timore Domini declinatur à malo.* Et prouerbiorum cap. 28. *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; Qui autẽ confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Beatus enim homo, qui semper est pauidus, qui verò mentis est dura, corruet in malum.* Et in Ecclesiastico cap. 35. *Qui conseruat verbum*

Vt ægrũ suũ præstẽt officiũ, quod sit faciẽdum.

bum, multiplicat orationem. Sacrificium salutare attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate, & propitiationem litare sacrificijs super iniustitias, & deprecatio pro peccatis discedere ab iniustitia. Tenetur medicus, si viderit ægrotantẽ manifestè errare, illum liberè corrigere, namque ex prouerb. cap. 27. *Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus.* Debet tamen medicus in corrigendo maximam adhibere dexteritatẽ, præcipuè si æger fuerit prudens; dixerat etenim cap. 17. *Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum.* Et huic affine, quod æger maximam habeat fiduciam in Domino. Sic etenim habetur in eodem opere c. 3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temet ipsum. Time Deum, & recede à malo; sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum.* Est tandem summopere animaduertendum, quod aliquando nõ pauci reperiuntur ægrotantes, qui prædicta omnia perbelle seruant, adeo vt à præstantissimo medico adiuti maxima ex parte euadant à mortis periculo, quod antea imminebat, nihilominus naturali quadam ducti fragilitate, vel quoniam existimant se integram sanitatem fuisse assequutos, rursus in alios errores illabuntur, quos videtur indicasse id, quod habetur in Ecclesiastico cap. 34. *Vnus ædificans, & vnus*

Si æger manifestè peccauerit, quod medico sit efficiendum.

vnus destruens, quid prodest illis nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus? Sic homo qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficiet humiliando se, orationem illius quis exaudiet? Neque verò est quod mireris in homine etiam erudito, bonis moribus instituto, tantam posse esse fragilitatem, siquidem de hac ipsa videtur sermonem facere D. Paulus, quando inquit. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi Dei, atque ob hanc ipsam sum mihi grauis, atque molestus.* Id etenim euenit humanæ naturæ post primi peccati corruptionem; quamuis etenim ratione animæ sit Deo similis; est tamen Deo contrarius ratione corporis, quod obscurè indicauerat Iob cap. 7. quando inquit. *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi grauis?* Esse tamen hominem suarum actionum dominum habetur Geneseos cap. 4. *Nonne si bene egeris, recipies; sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? Sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.*

Cur aliqui ægrotantes etiamsi euadãt à mortis periculo, nihilominus incidant in recrudescentiam.

Et assidentes.

ANimaduerte senis artificium, qui dixit *assidentes* in numero plurali, quoniam re vera vbi agitur de summa rerum, non sufficit vnus minister, sed multi, qui scilicet non modò alternatim inseruiant ægrotanti, atque obseruent,

Inter assidêtes, cur mulieres consueuerint esse maximè proficuę, & quę ad hoc opus efficiendum sint magis idoneæ.

quæ illi contingunt symptomata, verùm etiam illa narrent curanti, vel curãtibus medicis; vnus tamen debet esse quasi aliorum caput, seu gubernator, id quod habetur prouerb. cap. 10. *Vbi non est gubernator, populus corruet, salus autẽ, vbi multa consilia fuerint*. Inter reliquos assidentes videntur mulieres esse maximè proficuæ, sunt etenim magis amantes, atque ad charitatem magis, quàm viri, sunt etiam magis patientes in tolerandis laboribus, quod habetur in Ecclesiastico cap. 36. postquam enim delineauit mulierem bonam, statim subdit. *Vbi non est sepes diripietur possessio, & vbi non est mulier, ingemiscit æger*. Oportet tamen quod sit in ægrotantibus seruiendis exercitata, atque ægritudinis alicuius habeat experientiam, alioquin erit admodum prona in ægrotãtem nimiùm nutriendo; proinde habetur prouerb. cap. 13. *Mulier sapiens ædificat domum suam, insipiens extructam quoque manibus destruet*. Contingit autem nõ rarò malum eo acutiei peruenire, vt multa, eaque praua superueniant symptomata, contingit morbum fieri inconstantem, atque mali iudicij, præcipuè ob ipsorum temporum inconstantiam, in quibus casibus non videntur quilibet assidentes satis esse, verùm etiam necessarius est inter illos medicus aliquis iuuenis, non ignarus, non inexpertus; non improbus, sed quantum fieri possit optimis conditionibus præditus; inter reliqua debet esse pronus ad audienda, & ser-

Quando opus fuerit medico assistẽte, qui nã ad hoc opus sit idoneus.

seruanda mandata, & modestus in loquendo, sic etenim optimè non modò suo fungetur officio circa ægrotantem, verùm etiam adstantium omnium, atq; præcipuè seniorum medicorum gratiã aucupabit, iuxta illud, quod habetur in Ecclesiastico cap. 32. *Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia, adolescens loquere in tua causa, vix cum necesse fuerit, si interrogatus fueris, habeat caput tuum responsum tuum; in multis esto quasi inscius & audi tacens, simul & quærens. In medio magnatum loqui non præsumas, & vbi sunt senes, non multùm loquaris. Ante grandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia; & hora surgendi non te tristet* &c.

Subdit verò paulò post. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit; in viam ruinæ non eas, & non offendes in lapidem: nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum*. Tenebitur autem talis medicus, si vederit aliquem ex assidentibus esse derisorem, si possibile sit, illam arcere, iuxta monitum prouerb. 22. *Eijce derisorem, & exibit cum eo iurgium*. Multò autem magis si fuerit stultus ex cap. 26. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum*.

Et exteriora.

Per exteriora intelligunt interprete non modò quæcunque geruntur in subli-

Quid intelligat Hipp. per exteriora

sublimi, vt sunt mutationes temporum secundum varias illorum constitutiones, variorum scilicet ventorum, pluuiarum, coruscationum, tonitruum, fulminum, verùm etiam quæcũque occurrunt extrinsecus occursantium, quæ & nos in nostris recepimus commentarijs; addimus tamen, per exteriora esse intelligenda quæcumque à Deo immediatè proueniant, quamuis etenim prædicta extrinsecus occursantia absq; illius nutu non contingant (hinc etenim inuitantur omnia à psalte regio, vt laudent nomen Domini) consueuit tamen Deus non modò esse ægritudinum immediatus auctor, scilicet vel ob manifesta cõmissa scelera, vel ob occulta aliqua crimina, de quibus manifestissimæ habentur sententiæ in sacris litteris, quarum non exiguam partem in præcedentibus proposuimus. Verùm etiam multoties illos vel adeo protrahere, vt nullo à nobis administrato auxilio, aut minoretur morbus, aut eius mitescant symptomata; vtrumque possumus ex ipso Hipp. comprobare, primum ex primo præsagiorum tex. 7. vbi dicit. *Quin etiamsi diuinum quidpiam morbis inest, huius quoque prouidentiam perdiscere.* Per hæc etenim manifestè demonstrauit diuinus senex, esse interdum aliquid in morbis extra consuetum naturæ ordinem; secũdò id colligi potest ex aphor. 52. subsequentis sect., vbi habet dictator. *Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum*

Cur multoties rectã ad. præsidia ministrata nihil iuuent.

seundum ad aliud stante eo, quod ab initio visum est. In cuius aphorismi explicatione animaduerterunt aliqui grauissimi viri multoties præsidia secundum rationem administrata nihil prodesse, non modò quoniam morbus sua natura est pertinacissimus, & quod interius aliquid lateat, quod impediat medicamenta alioquin idonea; verùm etiam posse ex voluntate Dei morbum pendere, quę vt morbum fecit, ita facit quominus curatio secundum rationem procedat; id quod manifestè est inferrendum, quotiescumque viderimus inter ægrotantis naturam, atque administratum remedium nullam intercedere antipathiam; tunc etenim arbitrandum, esse aliquid diuinum in morbo quod impediat curationem. Quibus hucusque dictis est nõ parum consentaneum, quod habet Sap. in Ecclesiaste cap. 9. *Verti me sub sole, & vidi aliud, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panẽ, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus, casumque in omnibus. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo & aues laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malorum, cum eis extemplo superuenerit.* Quamuis etenim hoc in loco nullam faciat Dei mentionem, supponit tamen prædicta exteriora fuisse à Deo adhibita ad tempus malum, quo vsus fuit tanquam causa secunda; id quod ex eodem colligitur sapiente, qui id demonstrauit pluribus in locis, quos ad

ad aliud commodius institutum reseruauimus; interim sufficiat in pręsenti vnum, vel alterum magis accommodatum tradidisse; est verò quod habetur in Ecclesiastico cap. 11. *Bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt: sapientia, disciplina & scientia legis apud Deum; dilectio, & via bonorum apud ipsum,* hoc est, pœna iusta, quamuis nobis videatur mala, est tamen in se bona. Est tamen animaduertendum, quod errata, quæ committuntur in viuendi norma non proueniunt à Deo, quod animaduertit paulo post, quando inquit. *Error, & tenebræ peccatoribus cōcreata sunt, qui autem exultāt in malis, consenescunt in malis.* Permittit tamen Deus nos incidere in ægritudinē propter commissa peccata, nan habetur cap. 38. eiusdem operis. *Qui deliquit in conspectu eius, qui fecit illum, incidet in manus medici.* Concludimus tandem longa experientia nobis cōpertum esse, quod non pauci ægrotantes à præstantissimis medicis fuerunt curati, atque nullo commisso errore vel ab ipso medico, vel ab ægroto, vel ab assidentibus, nulla etiam tunc ingruēte praua aeris cōstitutione, plures hebdomadas, atque etiam menses in eodem morbo permansere; neque prius sanitati fuerunt restiti, quàm peculiari aliquo Dei auxilio, facta scilicet cum Deo reconciliatione, atque ipso placato sacrificijs, atque eleemosynis, intercedente aliquo sacerdote, atque ipso etiam pio medico, adeo vt nemo

Quę mala non proueniant à Deo.

nemo asserere potuerit fuisse beatam vetulam, quæ venit in die crisis; in longissimis etenim morbis non est crisim adinuenire, quemadmodum cuilibet sensato medico compertum est. Accuratiorem modum recōciliandi Deo nobis indicauit Ecclesiasticus cap. 38. *Fili mi in tua infirmitate ne despicias te ipsū, sed ora Dominū, & ipse sanabit te; auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum, & da suauitatem, & memoriam similaginis, & impingua oblationem.*

APH. II.

In perturbationibus ventris, & vomitibus spontaneis si talia purgentur, qualia purgari oportet, cōfert, & leuiter ferunt; sin minus, è contra. Sic & vasorum inanitio, si talis fiat, qualis fieri debet, confert, & bene tolerant; sin minus, contra. Inspicere itaque oportet, & regionem, & tempus, & ætatem, & morbos, in quibus conueniat, aut non.

PRæsentem aphorismum complecti summa quædam capita eorum omnium, quæ in vniuerso aphorismorum opere continentur, in nostra arte parua satis superque aduersus communem sēntentiam interpretum demonstrauimus. Quapropter cum illa, quæ hic summatim proponuntur, ibi sigillatim à nobis pro

pro viribus explicentur, non est quod hic in prædictis capitibus enucleandis laboremus.

APH. III.

Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi, si in extremo constiterint, neque enim possunt in eodem permanere, neque quiescere, cum vero non quiescant, neque possint proficere in melius, reliquum est igitur, vt decidant in deterius. His de causis bonum habitum statim soluere expedit, vt corpus rursus nutriri incipiat. Neque compressiones ad extremũ ducendæ, periculosum enim; sed qualis natura fuerit eius, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit. Sic & euacuationes, quæ ad extremum deducunt, periculosæ, & rursus refectiones cum extremæ fuerint periculosæ.

Cur illi, qui ad summũ bonitatis attingunt, si ad extremũ constiterint, periclitentur.

VNA ex præcipuis causis, propter quam exercitati, qui ad summum bonitatis attingunt, periclitentur, est quoniam, vt in nostris animaduertimus commentarijs, non animaduertunt imminens periculum ex summa plenitudine, quæ in extremo consistit, atque opinantur se posse adhuc proficere in melius, vel saltem in eodem statu permanere; cuius tamen oppositum euidentissima

ma ratione persuadet in præsenti aphorismo dictator. Cui proportione respondet, quod habetur prouerb. cap. 18. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia, & opprobrium*. Et in Ecclesiastico cap. 11. *In die bonorum ne immemor sis malorum, & inde malorum ne immemor sis bonorum; quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas*. Cur etiam prædicti exercitati, qui ad summum bonitatis attingunt, non dignoscant periculum, est quoniam, fiunt suo robori; cui est analogum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 16. *In synagoga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardescet ira. Non exorauerunt pro peccatis suis antiqui gigantes, qui destructi sunt, confidentes suæ virtuti. & non pepercit peregrinationi illorum, sed percussit eos &c.* Esse autem extremam repletionem ruinæ proximam, firmissima ratione comprobat Hipp., cui optimè respondet, quod habetur prouerb. cap. 16. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus*. Ex prædicta ratione infert Hippoc. prædictam summam repletionem esse minuendã; cui respondet, quod subdit Sap. in eodẽ capite, quando inquit. *Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis*. Et in Ecclesiastico c. 21. *Obiurgatio, & iniuriæ annullabunt substantiam, & domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia, sic sub-*

Cur non dignoscant periculum

substantia superbi eradicabitur. Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures eius perueniet, & iudicium festinato adueniet illi. Est autem admirandus mutuus consensus inter præclaras hasce sententias; siquidem conueniunt etiam in loquendi modo; quod etenim habetur in prouerbio proximè citato, nimirum, *festinatò*, idem est propemodum, ac illud, quod habetur in aphorismo, nimirum *statim*? Non etenim fuit contentus Hippoc. dixisse bonum habitum esse soluendum, sed adiunxit *statim*, ob præcedentem ab ipso propositam rationem, ex qua colligitur non esse cunctandum, quoniam occasio est præceps; atque proinde huic etiam aduerbio maximè respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 35. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet donec Altissimus aspiciat, & Dominus non elongabit; sed iudicabit iustos, & faciet iudicium, & fortissimus non habebit in illis patientiam, vt contribulet dorsum istorum, & gentibus reddet vindictã, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet, donec reddat hominibus secundum actus suos, & secundum opera Adę, & secundum pręsumptionem illius.* Animaduertit tamen Hippoc., quod quemadmodum extremæ repletiones sunt periculosæ, ob eandem rationem extremas etiam inanitiones esse periculosas, atque pro-

Analogia præsentis aphorismi ad sẽtentias sacras.

proinde illas non esse ad extremum ducẽdas, sed quod *qualis natura eius fuerit, qui debet perferre, ad hoc ducere conuenit.* Cui est analogum, quod habetur prouerb. cap. 5. *Ne des alienis honorem tuum, & annos tuos crudeli; ne fortè impleantur extranei viribus tuis, & labores tui sint in domo aliena, & gemas in nouissimis, quando consumpseris carnes tuas, & corpus tuum, & dicas cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquieuit cor meum, nec audiui vocem docentem me, & magistris non inclinaui aurem meam.* Decimo etiam sic cap. habetur *Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius; pauper pauperum, egestas eorum.* Et in Ecclesiastico cap. 33. *Audite me magnates, & omnes populi, & rectores Ecclesię auribus percipite. Filio, & mulieri & fratri, & amico non des potestatem super te in vita tua, & non dederis alijs possessionem tuam, ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. Dum adhuc superes, & aspiras non immutabit te õnis caro; melius est .n., vt filij tui te rogent, quàm despicere in manus filiorum tuorum.*

APH.

APH. IV.

Victus tenuis, atque exquisitus in morbis quidem longis semper, in acutis verò in quibus non conuenit, periculosus. Et rursus, qui ad extremum deuenit tenuitatis grauis est. Nam & repletiones, quæ ad extremum deueniunt, graues sunt.

HVjusmodi victus, qui ad extremum deuenit tenuitatis proportione respondet pauperum inediæ ex inopia cibi; hanc autem maximam efficere vasorum inanitionem in nostris diximus commentarijs. Sic enim habetur in Ecclesiastico cap. 34. *Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui: panis egentiū, vita pauperis est, qui defraudat illum, homo sanguinis est, qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudē facit mercenario fratres sūt.* Non secus habetur c. 35. *Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.* Et quemadmodum in prima aphorismi parte animaduerterat, pro morborum varietate esse cibum exhibendum; non secus Sirachius animaduertit esse efficiendas oblationes, quę D.O.M. possint esse gratæ, penes peccatorum varietatem; inquit enim. *Sacrificium salutare est attendere man-*

Offerre substantiam pauperum quomodo sit periculosū

mandatis & discedere ab omni iniquitate. & deprecatio pro peccatis recedere ab iniustitia. Retribuet gratiam, qui offert similaginem, & qui facit misericordiam offert sacrificium. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Est verò animaduertendum Hippoc. consueuisse appellare *graue* quodcumque est intollerabile, quam phrasim fortasse didicit à Sapiente, qui frequenter illam adhibuit, præcipuè prou. cap. 27. *Graue est sanum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?*

Dictionem grauis vnde deprompserit Hipp.

APH. V.

In tenui victu ægri delinquunt: quo fit, vt magis lædantur. Quicumq; enim error committitur magnus maior in hoc fit, quàm in paulò pleniori victu, propterea etiam sanis periculosus existit valde, & constitutus tenuis, & exquisitus victus, quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus eo, qui sit paulò plenior, magis periculosus.

VIctum exquisitum esse sanis periculosum, ob illam caussam, quam proposuit Hip., ipse etiam demonstrauerat Sap. prouerb. 29. quando inquit. *Qui delicatè à pueritia nutrit seruum suum,*

Victum tenuem esse periculosum vnde dixerit Hippoc.

suum, sentiet eum contumacem. Cœterum quemadmodum in prima aphorismi particula, illos medicos, qui minuūt victum, repræhendit Hipp., non secus inquit Ecclesiasticus, cap. 35. *Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum. Da altissimo secundum datum eius, & in bono oculo ad inuentionem facito manuum tuarum, quoniam Dominus retribuens est, & septies tanto reddet tibi*. Cœterum toti aphorismo sententiam analogam videtur tradidisse Sap. prouerb. 13. quando inquit. *Animæ dolosæ errant in peccatis, iusti autem misericordes sunt, & miserantur*. Est inquam analoga, quoniam illi particulæ *in tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lædātur*, respondet illa. *animæ dolosę errant in peccatis*. Illi verò *ob hoc igitur*. Respondet altera; id autem meliùs dignosces, si expenderis locum Oribasij, quem in nostris reperies commentarijs. Rursus, quemadmodum medicus, qui præscribit victum nimis tenuem, conturbat totam domū, non secus inquit Sap. prouerb. 15. *Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam*. Est autem animaduertendū Hip. hunc aphorismum tradidisse, vt cautos reddat medicos, animaduertendo aliquando morbum progredi in longè deteriùs, quàm ipsa fert morbi conditio, ob errata commissa ab ęgrotante, quod medicus parum prudens existimat prouenisse, quoniam morbus est in augmento, quod Hippocratem impulerit, vt dixerit

Proponitur sententia aphorismo proportione respondēs.

xerit aph. primo, *iudicium difficile*, sollertissimus tamen medicus, qui etiam fuerit oculatus, veritatem indagabit. Huic etiam propottione respondet, quod habet Sirachius cap. 23. *Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, cōtemnens in animam suam, & dicens, quis me videt? tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circūspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus, & non intellexit, quoniam omnia videt oculus eius, quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum, & non cognouit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores super solem sunt, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes*.

APH. VI.

Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima sunt.

Qvemadmodum extremis, hoc est fortissimi morbi debellantur à Sapienti medico, non quibuscumque, sed congruentibus adhibitis remedijs; non secus animaduertit Sap. prouerb. 21. *Ciuitatem fortem ascendit sapiens, destruxitque robur fiduciæ eius*. Cœterum cum ex aph. colligatur, quod remedia debēt esse æqualia morbo, id prius animaduerterat Sap. prouerb. 26. quando inquit *Res-*

Extremis morbis extrema cōuenire præsidia vnde dixerit Hippoc.

Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur, & Ecclesiasticus cap. 29. *Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapidem in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis altissimi, & proderit tibi magis, quàm aurum*. Et paulò post. *Recupera proximum tuum secundum virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas*. Quòd si velis exemplum extremi remedij adhibendi in extremo morbo, illud suscipe ex Sap. prou. ca. 16. *Indignatio Regis nunc͂ij mortis, & vir placabit eam. In hilaritate vultus regis vita, & clementia eius quasi imber serotinus*. prouerb. 18. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam recurrit iustus, & exultabitur: munus absconditum extinguit iras, & donum in sinu indignationem maximam*. Quoniam verò aphorismus est intelligendus non modò de magnitudine præsidij, verùm etiam de velocitate in operando, quemadmodum colligitur ex aduerbio *statim*, quo in subsequenti aphorismo vtitur Hip. id propterea illi accommodatur sententia, quæ habetur ca. 22. *Vidisti virum velocem in opere suo, corã regibus stabit nec erit ante ignobilis*. Quoniam verò ex prædicto aphorismo colligitur, quod remedia non debent esse mitiora, sed æqualia morbo, ideo illi etiam accommodamus quod habet prou. 28. *Qui corripit hominem gratiam postea inueniet apud eum magis quam ille,*

Consequenter comprobatur remedium non debere esse mitius, quam morbus.

ille, qui per lingua blandimenta decipit. & cap. sequenti. *Homo qui blandis fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius*. & cap. 29. *Virga, atque correctio tribuit sapientiam, puer autem, qui dimittitur voluntati suæ confundit matrem suam*. Et Ecclesiasticus cap. 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis, & Deus protector est eius, qui reddit gratiam, meminit in posterum, & in tempore casus sui inueniet Firmamentum*. & cap. 33. *Iugum, & locum curuat collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ: seruo maleuolo tortura, & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas, in opera constitue eum, sic enim condecet illum; quod si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem*.

APH.

APH. VII.

Vbi igitur morbus peracutus est, statim extremos habet labores, & extremè tenuissimo victu est vtendũ. Vbi verò non, sed pleniorem victum contingit adhiberè, tantum cibi indulgendum est, quanto morbus extremis est mollior.

Morbo peracuto quę respondeāt animi vitia.

IN prima aphorismi particula describit Hippocrates morbum peracutum, qui .s. statim extremos habet labores; huic analogum morbum describit Ecclesiasticus cap. 20. quando inquit *Lapsus falsæ linguæ quasi in pauimento cadens, sic casus malorum festinanter venient.* Et Sap. prouerb. 13. *Doctrina bona dabit gratiam, in itinere contemptorum vorago.* Cœterum quod in fine aphorismi subdit Hippoc. molliorem morbum indigere victu minus tenui, dictum fuit, quoniam remedia debent esse æqualia, atque contraria morbo, quemadmodum in antecedenti aphorismo dictum est, quod prius animaduerterat Sapiens prouerb. 15. *Responsio mollis frangit iram, sermo durus suscitat furorem.* In operis progressu demonstrabimus quomodo ira comparetur febri, nunc verò nõ est silentio prætereundũ, quod febris quantum fuerit vehementior, citiùs suam denunciat acutiem; contra illa, quæ est minus vehemens; atque

que proinde dictum fuit prouerb. 12. *Fatuus statim indicat iram suam, qui autem dissimulat iniuriam callidus est.* Cœterum vt dignoscas, quàm sapienter dictator acuto opposuerit molle, & quomodo vtrumque fuerit translatum ex ferro acuto, vel obtuso, vide quod habetur Ecclesiastes cap. 10. *Si retusum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & post industriam sequetur sapientia.*

Dictiones Acutum, & molle vnde fuerint translatæ.

APH. VIII.

Quando morbus in suo vigore constiterit, tunc victu tenuissimo vtendum est.

QVemadmodum quando morbus in suo vigore constiterit, hoc est quãdo magis sæua vrgent symptomata, ad victum tenuissimum, tamquam adæquatum præsidium recurrendum; non secus vbi maxima vrget necessitas ad Deum O. M. recurrendum, sic enim habetur prouerbio 18.

Maxima vrgente necessita te, quod præsidiũ adhibendum.

Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam currit iustus, & exaltabitur.

APH. IX.

Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec morbus consistat, & nunquid prius ille deficiat, nec possit cum victu perdurare, vel morbus ante deficiat, atque hebetescat.

Virium, atq; substantiarum maxima habēda custodia.

NOn modò in præsenti aphorismo, verùm etiam in alijs pluribus monet senex, vt maxima habeatur virium custodia quippe, quæ minū in modū inseruiunt ad vitæ conseruationē, id quod de propria substantiarum conseruatione monet Sap. prou. 22., quando inquit. *Si enim non habes vnde restituas, quid caussa est, vt tollat operimentum de cubili tuo.* Et Sirachius cap. 33. *Filio, & mulieri, fratri, & amico, non des potestatem super te in vita tua, & non dederis alij possessionem tuā, ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis; dum adhuc superes, & aspiras non immutabit te omnis caro; melius est enim, vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.* Est autem animadueatendum, hanc coniecturam, qua ad victum instituendum vtitur Hipp., atque incertitudinem, quam dixit habere medicum etiam exercitatissimum in euentu acutorum prædicendo aph. 19., atque dubietatē, quam insinuauit haberi in maximis euacuationibus efficiendis 23. huius

ius sectionis aphorismo, esse illud idem, quod duobus verbis admonuerat aph. 1. *iudicium difficile*; hoc est in arte medica nihil esse omnino certum, non tamen hinc inferendum, voluisse Hip. artem medicam esse contemnendam, quinimo, quod de naturali disciplina pronunciauit Nicolaus de Cusa, possumus nos de medicina, quæ illi est subalternata, pronunciare, esse scilicet doctam quandam ignorantiam, cum hoc tamen discrimine, quod in naturali disciplina, est adhuc minor euidentia, quàm in arte medica; quod manifestè indicauit Aris. primo post. quādo dixit in Mathematicis haberi euidentes demonstrationes, secus euenire in naturali disciplina, id quod didicit ex Sap. in Ecclesiaste cap. 3., quando inquit. *Cuncta fecit in tempore suo, & mundum tradidit disputationibus eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio vsque ad finem*; & cap. 8. prope finem. *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam posit homo inuenire rationem, eorum quæ fiunt sub sole, & quantò plus laborauerit ad quærendum tantò minus inueniat, etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.* Et rursus. *Cuncta res difficiles, non potest eas homo explicare sermone.*

Et cur, & quomodo ars medica sit coniecturalis.

APH. X.

Quibus igitur statim morbus consistit, his statim tenuis victus adhibendus est, quibus verò posterius debet consistere, his, & ipso consistendi tempore, & parum ante illud cibus subtrahendus: prius verò vberius agendum, vt æger sufficiat.

IDeo dictum est ab Hipp. *prius*, hoc est, antequam adueniat vigor, *vberius alendum, vt æger sufficiat,* quoniam in ipso vigore vires nimium dissoluuntur, quando corpus adinuenerit nimium exinanitum; maxima etenim est habenda virium custodia, quod ipse etiam Sap. animaduertit prou. 18. *Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circundans eum.* Cœterum est maxima consideratione dignum, quomodo Hipp. in sua phrasi imitatus sit Sapientem; quod enim dictum est ab Hippocrate, *prius verò vberius alendū, vt æger sufficiat*, dictum fuerat à Sapiente prouerb. cap. 12. *Melior est pauper, & sufficiens cibi, quàm gloriosus indigens pane.*

Diuitiæ comparātur viriū robori.

APH. XI.

In accessionibus abstinere oportet, nam cibum dare nocuum est, & quibus per circuitus fiunt accessiones, in ipsa accessione abstinere oportet.

QVemadmodum in accessionibus abstinere oportet ob rationem in aphorismo, vberiorem verò traditam in commentarijs, quoniam scilicet cum accessione accedunt praua symptomata, quæ maximè ægrotantem molestare consueuerunt; non secus quotiescumque aliqua iniqua nobis contingunt, debemus ab ira penitus abstinere, quod habetur prou. 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua prætergredi.*

Accessionibus assimilantur iniquitates



APH. XII.

Accessiones verò, & constitutiones morbi indicabunt, & anni tempora, & circuituum successiua incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue per maiora interualla fiant. Sed & ex his, quæ mox apparent, indicia sumuntur, quemadmodum in morbo laterali si circa initia statim sputum appareat, abbreuiat morbum, si verò postea appareat, producit. Et vrinæ, & alui excrementa, & sudores, quæcumq; apparuerint, vel bonam morborum iudicationem, vel malam; vel breues, aut longos fore morbos ostendunt.

Asimilatur piger naturę tarde operãti.

QVod dixit Hipp. in morbo laterali, si circa initia statim sputum appareat, abbreuiat morbum, si verò postea appareat, producit, ideo dictum fuit, vt imitemur naturam bene operantem, atque tardè operantem adiuuemus, quemadmodum enim in commentarijs dictum est, periculum in mora. Consimile est quod animaduertit prouerbiorum cap. 18. *Pigrum deijcit timor, animæ autem effœminatorũ esurient, qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis.*

APH. XIII.

Senes facillimè ieiunium ferunt, secundo loco, qui ætatem consistentem habent, minus adolescentes, omnium minimè pueri; præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.

Senectus quomodo prorogetur, & per quot dies possint illi, qui sunt in ætate cõsistente absq; cibo permanere.

IDeo dictum est ab Hipp. senes facillimè ieiunium ferunt, vt non comedant quantum appetunt, sed quantum possunt concoquere, atque proinde si tantum appetant, quantum iuuenes, lõgè minus debent suscipere, ne ipsorum calor natiuus à copia cibi obruatur, atq; extinguatur; sed diutius vita protrahatur, vt etenim habetur prou cap. 16. *Corona dignitatis senectus quę in vijs iustitiæ reperietur.* Si percunteris per quot dies possint iuuenes, qui ætatem habent consistentem, atque senes non decrepiti, ieiunium ferre. Quæsito poterit ex sacro codice satisfieri, siquidẽ legimus D. O. M. misisse sexta die cibum Danieli existenti in lacu leonum, ne scilicet periret fame; quod animaduertens Hipp. libello de carnibus, inquit, *Si quis septem diebus nihil edere, aut bibere velit, plerique quidem in ipsis moriuntur;* addidit plerique; quoniam dignouit posse aliquem huiusmodi terminũ pertransire, quamuis rarò admodum contingat. Quod verò habetur in fine aphorismi, *præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores*; est intelligendum non tan-

tùm de ætate puerili, ſed de quacumque ætate, quoniam ætas non annorum numero, ſed virium robore eſt dimetienda, quod ſignificatur obſcurè ſapiẽtiæ cap. 4. *Conſumatus in breui expleuit tempora multa.* Et prouerbiorum 16. *Corona dignitatis ſenectus, quæ in vijs iuſtitiæ reperietur.*

APH. XIV.

Qui creſcunt, plurimum habent calidi innati: plurimo igitur egent alimento, alioquin corpus abſumitur. Senibus verò parum calidi innati ineſt, paucis propterea fomitibus egent, quia à multis extinguuntur. Hanc etiam ob cauſam febres ſenibus non ſimiliter acutæ ſunt, frigidum enim eorum corpus.

QVemadmodum non eſt à puero ſubtrahendum corporeum alimentum, ita nec illud, quod ad animum alendum eſt accommodatum, quod monet Sap. prou. 23. *Noli ſubſtrahere à puero diſciplinam; ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur, tu virga percuties eum, & animam eius ex inferno liberabis,* & paulò poſt *Audi patrem, qui genuit te, & ne contemnas cum ſenuerit mater tua; exultat gaudio pater iuſti, qui ſapientem genuit lætabitur in eo. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet qui genuit te.* Cœterum quoniam illorum

Comparatur inuicē alimentum corporis atque animi.

rum calidum innatum eſt adeo forte, vt non modò plurimum conficiat alimenti; verum etiam plurimos ſuperet immanes morbos, quemadmodum longa experientia nobis eſt compertum, non ſecus in ſua cauſa bellatorem habent fortiſſimum, quod innuit prou. 23. quãdo inquit. *Ne attingas paruulorum terminos & agrum pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis eſt, & ipſe iudicabit contra te cauſam illorum.*

Calidi innati ad virtutem diuinam analogia.

APH. XV.

Ventres hyeme, & vere natura calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi, quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda. Etenim tunc calor innatus plurimus eſt, vnde & pluribus egent alimentis, Indicio ſunt ætates; & athletæ.

CAuſſa propter quam hyeme, & vere ſomni ſunt longiſſimi, eſt non modò quoniam tunc copioſiora aſſumuntur alimenta, quod ex præſenti elicitur aphoriſmo, verùm etiam quoniã aer nos ambiens eſt humidior, quàm in reliquis anni temporibus, quemadmodũ ipſe declarabit ſectione tertia; quapropter ſi his accedat, quod homo ſit commeſſationibus, atque compotationibus deditus, atque inſuper nactus fuerit conſtitutionem frigidiorem, atque humidiorem cerebri, facillimè incidet

Noxæ ex immodico ſomno

in illum immodicum somnum, quod detestatur Sap. prou. cap. 6., quando inquit. *Vsque quo piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, vt dormias, & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.*

APH. XVI.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt.

Cur dominus in profligãda febre nõ fuerit vsus medio naturali.

DIxit Hippocrates *febricitantibus omnibus*, vt significaret conuenire febribus omnibus secundum plures differentias, quas complectitur ipse dictator tum alibi, tum præcipuè in hoc aphorismorum opere. Est autem scitu dignum, cur Christus Dominus noster, qui licèt omnipotens, vt plurimùm tamen in miraculis efficiendis, consueuit adhibere medium aliquod naturale, cur inquam nullum adhibuerit in profligãda febre, quam passa fuit Socrus Simonis, sic enim habetur apud Matheũ c. 8. *Et cum venisset Iesus in domum Petri, vidit Socrum eius iacentem, & febricitantem, & tetigit manum eius, & dimisit eã febris, & surrexit, & ministrabat eis.* Cui quęsito respondemus, nullum aliud naturale remedium adhibuisse, quàm illud quod habetur in litera, *& tetigit manum eius*, quoniam si aliud adhibuisset nõ fuisset opus miraculosũ, sed merè phisicũ. Ratio deducitur tum ex aphorismo, tum ab experientia; ab aphorismo quoniam dixit Hippoc. *Victus humidus conuenit febricitantibus omnibus*, vt significaret hoc solum esse maximũ præsidium pro curandis febribus. Experientia quoniam non modo Gal., verùm etiam alij plurimi celebres viri, atque nos etiam non paucos ardentibus febribus correptos sanitati restituimus, solo exhibito gelidæ potu vsque ad satietatem; quare vt significaretur fuisse merum miraculum, nullum aliud adhibuit auxilium, quàm diuinum, fuit verò quod *tetigit manum eius*.

APH. XVII.

Et quibus semel, aut bis, & quibus plura ne, an pauciora, & particulatim oporteat offerre, considerandum. Condonandum autem aliquid tempori, & regioni, & ætati, & consuetudini.

Iustitiæ quot sint partes, & quomodo in victu exhibẽdo sint seruandę, atque vn.

QVemadmodum in nostris commentarijs satis, superq; demonstratum est, omnes leges hucusque sancitæ in victus quantitate, atque qualitate seruandæ sunt, habita consideratione variarum morbi constitutionum, atque virium; sunt inquam seruandæ quoniam iustæ; cum autem iustitiæ

stitiæ sint partes tres, punitiua, distributiua, & cõmutatiua; atque aphorismos iustitiæ punitiuæ proportione respondentes, nimirum ad vasorum inanitionem attinentes partim conscripserit in præcedentibus, partim etiam reseruauerit ad subsequentes sectiones; in præsenti aphorismo tradit legem ad victus distributionem attinentem, inquiens; *considerandum esse quibus semel; aut bis, & quibus plura ne, an pauciora, & per partes oporteat offerre.* Addit verò *esse condonandum aliquid tempori, & regioni, & ętati, & consuetudini;* vt animaduerteret quod etiam si iustissimum sit quod lege sancitum sit; quoniam tamen leges non possunt esse de singularibus, vt neque scientiæ, neque artes, quia hæc sunt infinita, atque vniuersale non possit non deficere in multis singularibus, necesse est vt medicus prædictas leges ita quidem adhibeat, vt consideret quandam æquitatem, quæ nihil aliud est ex Arist. quàm emendatio quædam legis in eo, quod deficit ob vniuersale, hoc est detrahere aliquod ei, quod lege sancitum est ob circumstantiam aliquam, quæ in legibus describi non potuit. Id fortasse didicit diuinus Senex ex Ecclesiastes cap. 7., quando inquit *Noli esse multùm iustus;* quamuis etenim id, quod iustum est, videatur non posse esse nimium, quoniam est virtus, cui repugnat esse nimia, cum illius essentia in mediocritate sita sit; potest tamen esse nimium ob prædictas

de Hipp. suam sẽtentiam deprompserit.

ctas circumstantias, quas perpenderunt tum Sap. loco citato, tum etiam Hipp. in præsenti aphorismo, qui hoc tantùm differunt, quod sapiens est intelligendus de omnibus iustitiæ partibus, pręsens aphorismus de iustitia tantùm distributiua; iam verò vt nihil eius doctrinæ deficeret, loquutus fuit in pluribus aphorismis de euacuatione, iustitiæ punitiuæ proportione respondẽte; aphorismo autem 38. secundæ sectionis loquetur de iustitia cõmutatiua, quemadmodum suo loco demonstrabimus.

APH. XVIII.

Aestate, & Autumno cibos difficillimè ferunt: hieme facillimè, secundum locum ver habet.

QVemadmodum ventres Æstate, atque Autumno difficillimè ferunt cibos; non secus habetur prou. 23. *Ne comedes cum homine inuido, & ne desideres cibos eius, quoniam in similitudinem arioli, & coniectoris æstimat quod ignorat; comede, & bibe dicet tibi, & mens eius nõ est tecum, cibos quos comederas, euomes, & perdes pulchros sermones tuos.* Est inquam hæc sententia aphorismo analoga; quoniam, vt diximus in commentarijs, copiosi cibi Æstate, & Autumno ingesti nisi euomantur, difficillimè concoquuntur, adeout consequenter corrumpantur, quemadmodum ipsa testatur experientia.

Copiosis cibis æstate, atque autumno ingestis quid respondeat.

APH. XIX.

His, qui per circuitus accessiones habent, nihil dare oportet, neque cogere, sed subtrahere adiectioni ante iudicationes.

PRima huius aphorismi particula iam fuit explicata aph. 11. Quod verò ad secundam attinet, animaduerte quod quemadmodum est subtrahendum adiectioni ante iudicationes, ita non est subtrahenda disciplina puero, antequam ingrediatur iuuentutem. Sic enim habetur prou. 23. *Noli subtrahere à puero disciplinam;* Quemadmodum superius visum est.

APH. XX.

Quæ iudicantur, & iudicata sunt integrè neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando, sed sinere.

HVic affine est, quod habetur prouerbiorum cap. 3. *Noli prohibere bene facere, cum quis potest,* & cap. 17. *Munera de sinu accipit impius, vt peruertat semitas iudicij. Non est bonum damnum inferre iusto nec percutere principem, qui rectè iudicat.* Et. 8. *Accipere personam impij in iudicio non est bonum, vt declines à veritate iudicij. Qui peruersi cordis est, non inueniet bonum, & qui vertit linguam, incidet in malum.*

Assimilatur ignarus medicus iudici impio.

Et quemadmodū optimum opus, quod fit à natura bene operante, multoties dissipatur ab ignaro medico, timido ægrotante, vel assidente; non secus vt habetur prou. 21. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti imprudens homo dissipabit illud.* Cœterum perfecta iudicatio facit cessare morbū, quæ non sine maximo artificio fuit appellata iudicium, namque vt habetur prou. 26. *Iudicium determinat caussas, & qui imponit stulto silentium, iras mitigat.* Et quemadmodum perfecta sequitur iudicatio, quando excreta est omnis materia morbum faciens, non secus vt habetur ibidem. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone substracto, iurgia conquiescunt.* Cœterùm quemadmodum ex aphorismo colligitur, naturam esse morborum medicatricem, nō secus animaduertit Sap. prou. 29., quod omnia iudicia proueniunt à Domino, inquit enim. *Multi requirunt faciem principis, & iudicium à Domino eggreditur singulorum.* Rursus ex prædicto aphorismo colligimus, optimum præsidium esse, quandoque nullum præsidium adhibere; quod animaduertit Sirachius cap. 19. *Est iudicium, quod non probatur esse bonum. & est tacens, & ipse prudens,* & cap. 20. *Est tacens, qui inuenitur sapiens, & est odibilis, qui procax est ad loquendum, est autem tacens, & non habens sensum loquela,*

Cur subita cessatio morbi fuerit appellata iudicium

Deus & natura profligāt morbos.

Optimū præsidiū quandoque nullū præsidiū adhibere.

la; & est tacens sciens tempus apti sermonis; homo sapiens tacebit vsque ad tempus, lasciuus autem, & imprudens non seruabunt tempus. Rursus quemadmodum ex præsenti aphorismo colligitur naturam esse morborum medicatricem, quandoquidem multoties tenetur medicus nihil operari, & quando operatur, oportet vt habeat naturam adminiculantem; non secus colligitur, aliquando naturam parum, medicum autem multum operari; quemadmodum contingit in sedandis doloribus adhibendo localia præsidia, quod Sirachium impulit, vt dixerit cap. 38. *In his curans mitigabit dolorem, & vnguētarius faciet pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiet sanitatis;* non enim dixit ipse auferet dolorem, sed *mitigabit dolorem.* Sanitas enim magis prouenit à natura, quàm ab arte, cui est analogũ, quod habetur prouerb. cap. 29. *Multi requirunt faciem principis, & iudicium à Domino egreditur singulorum.*

APH. XXI.

Quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit, per loca conferentia, eò ducere conuenit.

Vt bonæ operationes corporeæ, sic & quæ ad animum pertinent non sunt impediendæ.

QVemadmodum perfectus naturæ opus non est impediendus; non secus si fuerit imperfectus est adiuuandus; id aliquatenus indicauit Sap. prou. cap. 3. hunc in modum. *Noli prohibere bene facere eum, qui potest, si vales, & ipse benefac.* Et quemadmodũ natura semper vergit per loca conferentia, dummodo non impediatur, vel irritetur; non secus vt habetur prou. 21. *Gaudium iusto est facere iudicium, & pauor operantibus iniquitatem. Vir qui errauerit à via doctrinę, in cœtu mortuorum commorabitur.* Et quemadmodum ex præsenti colligitur aphoris., quod melius est parum, aut nihil operari, quàm malè operari; non secus habetur cap. 28. *Melior est sapiens ambulans in simplicitate sua, quam diues in prauis itineribus.* Caussa verò præcipua, propterquam naturæ motus est à medico adiuuandus; est quoniam sic pugnant duo, hoc est natura, & morbus, & bonus medicus contra vnum nimirum morbum: cui affine est, quod habetur prou. 18. *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma, & iudicia quasi vectes vrbium.* Præcipuum autem opus deberi naturæ ex præsenti colligitur aphorismo; non secus habetur cap. 20. *A Domino diriguntur gressus viri; quis autem hominum intelligere potest viam suam?* Et sequenti. *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus.*

Cur imperfectus naturę motus est adiuuandus.

Quoniam verò ex aphorismo colligitur naturam esse sapientissimam, atque doctissimam sine magistro, id etiam indicauit cap. 30. *Quatuor sunt minima terrę, & ipsa sapientiora sunt sapientibus: formicæ populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi; lepusculus plebs inualida,*

Natura sapiēs sine magistro.

da qui collocat in petra cubile suum: Regem locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas: Stellio (alij codices aranea) *manibus nititur, & moratur in ędibus Regis.*

APH. XXII.

Concocta medicari, atque mouere non cruda, neque in principijs, modò non turgeant, plurima verò non turgent.

Meretrix assimilatur materiæ turgenti, premeditatio humorũ cõcoctioni.

MAteriam turgentem, quæ loco stare nescit, animalibus œstro percitis assimilauit Gal. Videtur quodammodò legisse, quę de meretrice pronunciauit Sap prouerb. cap. 7., quando inquit. *Et ecce occurrit illi* (loquitur de iuuene transeunte per plateam) *mulier in ornatu meretricio præparata ad deripiendas animas garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos insidians; apprehensumque deosculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur, dicens*, &c. Quod autem habetur in prima aphorismi parte præceptum est, quod quæcumque medicatio debet fieri opportuno tempore, cui affine est illud, quod habetur cap. 19. *Qui prius respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam, spiritum verò ad irascen-*

irascendum facilem quis poterit sustinere? Quoniam verò illa, quæ diligenter considerantur, antequam pronuncientur, quodammodo concoquuntur; ideo factum est, vt dixerit cap. 22. *Appone cor ad doctrinam meam, quę pulchra erit tibi, cum seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis, vt sit in domo fiducia tua.* Percontaberis cur concoctio fiat solùm circa vigorem morbi, non autem in principio, vel augmento? Respondemus non prius fieri concoctionem, quàm cum putredo incipit cessare, quo factum est, vt alicubi dixerit Gal. coctio facit cessare putredinem; interim tamen dum fit concoctio exacerbãtur symptomata, quæ ideo nos deterrere non debent; cui respondet quod habetur Ecclesiastes cap. 10. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.*

Cur concoctio fiat præcipuè circa vigorẽ morbi.

APH.

APH. XXIII.

Deiectiones non multitudine sunt æstimandæ; sed si talia deyciantur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare.

Melius est ex Hippocrate, ægrum exercere noxia vsque ad animi defectionem, dummodo possit sufficere, quàm prauis, atque noxijs humoribus redundare, atque bonis penitus carere. Quod de moribus animaduertit Sap. prou. 12. *Est quasi diues, cum nihil habeat, & est quasi pauper cũ in multis diuitijs sit.* Et cap. 16. *Melius est parum cũ iustitia, quàm multi fructus cum iniquitate.* Illi verò, quod dicitur, *& vbi vsque ad animi defectionem expedit ducere, faciendum, si æger possit tolerare*, proportione respondet, quod habetur prou. 18. *Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circumdans eum.* Cœterùm quemadmodum quæ excernuntur, ita quæ retinentur multitudine metienda non sunt, quod etiam animaduertit Ecclesiastes cap. 9. *Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam; ciuitas, parui, & pauci in ea viri, venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio, & inuent ue est*

Diuitiæ multitudine æstimandæ nõ sunt, sed quæ ad probum vsum cõparantur.

est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam. Et Sirachius cap. 16. *Ne iucunderis in filijs impijs si multiplicentur, nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis; melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij, ab vno sensato inhabitabitur platea, & à tribus impijs deseretur.* Et cap. 20. *Est qui multa redimat modico pratio, & restituens ea in septuplum.* His non est absimile, quod habetur in Ecclesiastico cap. 34. *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.*

Idem de filijs pronunciandum.

APH. XXIV.

In acutis passionibus raro, & in principijs medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum.

Quemadmodum si cogamur in acutis passionibus aliquando purgans medicamentum exhibere, id est cum præmeditatione faciendum; non secus in ardua aliqua operatione consilia esse adhibenda admonemur prouerb. cap. 13. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. Astutus omnia agit cum consilio, qui autem fatuus est, aperiet stultitiam.* Et 15. *Dissipantur* cogi-

Quomodo in operationibus medicis tam corporeis, quã ad animi attinẽtibus sit adhibenda præmeditatio.

cogitationes vbi non est consilium, vbi verò sunt plures consiliarij confirmantur. Et 19. *Vbi non est scientia animæ, non est bonum; & qui festiuus est pedibus offendet, stultitia hominis supplantat gressus eius, & contra Deum feruet animo suo.* Rursus quemadmodum est temerarius medicus, qui in acutis passionibus, præcipuè in principijs, nulla adhibita præmeditatione, medicinis vtitur purgantibus; non secus vt habetur cap. 21. *Superbus, & arrogans vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam.* Sed vt ad premeditationem reuertamur, ipse enim Sirachius cap. 22. animaduertit, *Sicuti loramentum ligneum colligatum fundamento ædificij non dissoluitur, sic & cor confirmatum in cogitatione consilij cogitatus sensati in omni tempore, vel metu nõ deprauabitur*: præcipuè autem ad medicum prudentem attinet præsagire, atque operari in acutis passionibus cum præmeditatione, vt suam conseruet existimationem; ideo etenim animaduerterat cap. antecedenti. *Labia imprudentum stulta enarrabunt; verba autẽ prudentum statera ponderabuntur.* Et cap. 33. *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebit, in via ruinę non eas; & non offendes in lapides, nec credas te viæ laboriosæ, ne ponas animæ tuæ scandalum.* Verùm huic sententiæ videbitur prima frõte aduersari, quod subdit paulò post. *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ; hæc enim est conseruatio mandatorum.* Verùm non aduersatur, quoniam

Obiectioni satisfit.

niam

niam quando inquit sine consilio nihil facias, Sirachius nos non compulit, vt semper alienum cõsilium adhibeamus; non etenim semper est in promptu; sed vt quod facturi sumus, cum præmeditatione faciamus, quod idem animaduertit Hipp. in aphorismo. Et idem Sirachius in fine capitis, quando inquit. *Verùm sine iudicio nihil facias graue.*

APH. XXV.

SI qualia oportet purgari purgentur, confert, & facilè ferunt, si contra difficulter.

QVæ excernuntur cum conferentia, atq; tolerantia describit in Ecclesiastico c. 29. quando inquit. *Conclude eleemosynã in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemosyna viri quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis pupillam conseruabit, & postea resurget, & retribuet illi retributionẽ vnicuiq; in caput ipsorum, super scutũ potẽtis, & super lanceã aduersus inimicũ suũ pugnabit. Vir bonus fidem facit proximo suo, & qui perdiderit verecundiã derelinquet sibi. Gratiã fideiussoris ne obliuiscaris, dedit .n. pro te animã suã.* Quæ verò absq; conferentia, atq; tolerantia delineat paulò post. *Repromissorem fugit peccator, & inutilis; bona repromissionis peccator, & ingratus sibi ascribit, & sensu dereliquit liberantẽ se. Vir repromittit de proximo suo, & cum perdiderit reuerentiã, derelinquetur*

Comparatur eleemosyna ijs quæ excernuntur cum conferentia atque tolerãtia.

quetur

quetur ab eo. Repromissio nequissima multos perdidit diligentes, & commouit illos, quasi fluctus maris Viros potẽtes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis. Peccator trãsgrediens mãdatum Domini, incidet in promissionẽ nequã, & qui conatur multa agere, incidet in iudiciũ. Hospitabitur, & pascet; & potabit ingratos. & adhuc amara audiet. Transi hospes, & orna mẽsã, & quæ in manu habẽs cibos cęteros exi à facie honoris amicorũ meorũ necessitudine domus meæ, hospitio mihi factus est frater: grauia hæc homini habenti sensũ; correptio domus, & improperiũ fœneratoris. Habet rursus c. 31. *Splendidum in panibus benedicẽt labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele: in nequissimo pane murmurabit cęcitas, & testimonium nequitiæ illius verũ est.* Et c. 35. *Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu Altissimi. Sacrificium iusti acceptũ est, & memoriã eius non obliuiscetur Dominus. Noli offerre munera praua: non. n. suscipiet illa, & noli inspicere sacrificium iniustum, quoniam Dominus est iudex, & non est apud illum gloria personæ: non accipiet Dominus personam in pauperem & deprecationem læsi exaudiet. Non despiciet preces pupilli, nec viduã, si effundat loquelam gemitus: nonne lachrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? à maxilla enim ascendunt vsq; ad* Cœlum, *& Dominus exauditor non delectabitur in illis.*

Finis primæ Sectionis.



APHORISMORVM HIPP.

SECT. SECVNDA.

APH. I.

In quo morbo somnus laborem facit, mortale; si verò iuuat, non mortale.



SOMNVM perniciosum describit in morboso affectu Sap. prou. 24. per hæc verba. *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineã viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat, quod cum vidissem posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Vsquequo piger dormies? vsquequo de somno consurges? parum inquam dormies, modicũ dormitabis, pauxillũ manus conseres, vt quiescas, & veniet tibi quasi cursus egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus.* Iam verò somnum tam bonum, quam malum, atque vtriusque caussam describit in Ecclesia-

Somno qui laborem facit cõparat pigritijs.

ſte cap. 5., quando inquit. *Dulcis eſ ſomnus operanti, ſiue parum, ſiue multum comedat, ſaturitas autem diuitis non ſinit eum dormire,* hoc eſt, vt nos interpretamur, quietè dormire, quod ſi Sapiens intelligat nihil penitus dormire; pertinebit potiùs ſententia ad aphoriſmum tertium,

A P H. II.

Vbi ſomnus delirium ſedat, bonum.

Illi ſomno qui delirium ſedat cõparatur donum abſconditum.

QVemadmodum ſomnus ille eſt bonus, qui delirium ſedat; non ſecus vt habetur prou. 21. *Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem maximam.* Eſt inquam huiuſmodi ſententia aphoriſmo analoga, nam quemadmodum ſomnus delirium, aut aliud quodlibet prauum ſymptomata ſedans, eſt bonus, quoniam ſcilicet indicat naturæ victoriam, ſuper cauſſam morbificam; non ſecus contingit de munere abſcondito, & dono in ſinu, reſpondet inquam ſomno, qui ab ipſo tantùm interno principio proficiſcitur.

APH.

A P H. III.

Somnus, atque vigilia, vtraque ſi modum excceſſerint, malum.

Sõno, atque vigiliæ quæ modum excedũt, comparatur exceſſus in moribus, atq. immodicæ vigiliæ, comparatur vigilia diuitiarum.

IN moribus eſſe exceſſus tamquam vitioſos deuitandos generali ſententia pronunciauit Sap. prou. 4., quando inquit. *Dirige ſemitas pedibus tuis, & omnes viæ tuę ſtabilientur: ne declines ad dextram, neque ad ſiniſtram: vias enim, quę à dextris ſunt, nouit Dominus; peruerſæ verò ſunt, quę ſunt à ſiniſtris: ipſe enim rectos faciet greſſus tuos, itinera autem tua in pace producet.* Et cap. 20. *Noli diligere ſomnum ne te egeſtas oprimat. Aperi oculos tuos, & ſaturare panibus.* Quæ autem ſint malæ vigiliæ & quoſnam inferant morbos, animaduertit Sirachius cap. 31 *Vigilia diuitiarum tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet ſomnum.* Dubitabit tamen aliquis aduerſus hanc ſententiam, ſiquidẽ videtur idem, per idem exprimere, cum etenim vigilia nihil aliud ſit quàm ablatio ſomni, non bene pronunciauit, quod vigilia aufert ſomnum. Pro ſolutione eſt animaduertendum vigiliæ nomen eſſe quid ambiguum, poteſt enim conſiderari vel tanquam cauſſa, vel tanquam morbus; vigilia tamquam cauſa conſiderata illis contingit, qui licet ad dormiendum habeant propenſionem, vigilant tamen, quoniam mentem diſtrahunt vel ad diuitias, vel ad honeſta-

Obiectioni ſatisfit

 tem,

tem, atque proinde talis vigilia est voluntaria; vigilia tamquam morbus considerata est effectus quidam prædictæ vigiliæ, quam tamquam caussam consideraumus, & est actu morbus, quoniam in cerebro talis fuit introducta intemperies calida, & sicca, quæ præter ipsam vigiliam possit etiam vires prosternere atque phrenitidem inducere; atque hoc est quod in prædicta habetur sententia. Inquit enim, quod vigilia diuitiarum, vel vt alij codices, honestatis tabefaciet carnes, quoniam cogitatus illius aufert somnum, a quo non dissentit Hippocrates, quando etenim inquit, quod vigilia si modum excesserit, est malum, significat quod illud, quod prius erat caussa morbi, degenerat in morbum, id quod ex eodem comprobamus dictatore, siquidem aph. 75. septimæ sectionis mutauit dictiones, inquit enim. *Somnus, & vigilia vtraque modum excedentia, morbus*, Id etiam propterea dixerat aph. 69. *Si quis cibum febricitanti dederit; vt sano robur, sic laboranti morbus.*

APH. IV.

Non satietas, non fames, neque aliud quicquam, quod modum naturæ excesserit, bonum.

Satietatē atq. famē esse ex-

ESse famem, & satietam excessus, & consequenter extrema mala indicauit Sap. prouerb. 10., quando inquit. *Non affligit Dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subuertit*, & cap. 13. *Multi cibi in noualibus patrum, & alijs congregantur absque iudicio. Iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorum insaturabilis*, & cap. 15. *Melius est parum cum timore Domini, quàm thesauri magni, & insatiabiles*, & cap. 21. *Qui diligit epulas in egestate erit, qui amat vinum & pinguia non ditabitur*. Ecclesiasticus cap. 31. quando inquit. *Supra mensam magnā sedisti, non aperias super illam faucem tuam prior, non dicas si multa sunt, quæ super illā sunt. Memēto quoniā malus est oculus nequā. Nequius oculo quid creatū est? Ideo ab omni facie sua lachrymabitur, cum viderit. Ne extendas manum tuam prior, & inuidia contaminatus erubescas. Ne comprimaris in conuiuio vino. Intellige quæ sunt proximi tui ex te ipso. Vtere quasi homo frugi ex ijs, quæ tibi apponuntur: & non, cum manducas multum, odio habearis. Cessa prior causa disciplinæ, & non sis insatiabilis, ne forte offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prior poscas bibere. Quam sufficiens est viro erudito vinum exiguum*. Dixi alibi Diuinum Hippocratem imitatum fuisse tum Salomonem, tum etiam hunc sapientissimum virum, non modò in doctrinæ modo, verùm etiam in sententiarum connexione; quemadmodum etenim Hippocrates postquam in primo aphorismo loquutus fuit de somno lethali, & non lethali, atque aphorismo tertio de somno immodico, atque immodica vigilia, loquitur aphorismo quar-

cessus perniciosos ex sapiētibus demonstratur.

Hippocratis artificium sapiendū methodo imitāda.

quarto de satietate, quæ consueuit tum somnum laboriosum, tum etiam nimiã vigiliam progignere, quæ non progignit sobrietas. Non secus Sirachius post quam delineauit damna ex satietate prouenientia, subdit in eodem capite. *Quam sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. Vigilia, & cholera, & tortura homo insatiabili. Somnus sanitatis in homine parco. Dormiet vsque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* Hanc ipsam sententiam ad ipsas etiam immodicas diuitias transfert cap. 23., quando inquit. *Noli laborare, vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Cœterum non sine maximo artificio post somnum modum excedentem scripsit Hipp. de satietate modum excedente, quoniam hæc illius præcipua causa esse consueuit, quod aniaduertit Sap. prou. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur, & vestietur pannis dormitatio.* Cœterum quod de satietate quantitatis dixit Hipp. est etiam de qualitate intelligendum, quod innuit prou. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satius euomas illud*, & paulò post. *Sicuti qui mel multum comedit, non est ei bonum, sic qui scrutator est ma-*

Auri sacra fames cõparatur satietati.

Satietas quomodo producat immodicũ somnum

Quomodo sit nõ tantũ de quantitate, sed de qualitate intelligenda.

maiestatis, opprimetur à gloria. Et cap. 27. *Anima saturata calcabit fauum: & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Non modò reperiuntur ventres insatiabiles, sed etiam oculi tali vitio præditi, quod innuit prou. 27. *Infernus, & perditio numquam replentur, similiter & oculi hominum insatiabiles.* Cœterum in conuersando esse satietatem deuitandam admonuit cap. 5. quando inquit. *Substrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando satiatus oderit te.* Et cap. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam qui est Dominus?, aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.* Et Sirachius in Ecclesiastico cap. 29. *Melior est victus pauperum sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregre sine domicilio. Minimum pro maximo placet tibi, & improperium peregrinationis non audies. Initium vitæ hominis aqua, & panis.* Obijcies dixisse Sapientem prou. 8. *De fructu oris viri replebitur venter eius, & genimina labiorum ipsius saturabunt eũ.* Respondemus aliud esse sociari, aliud saturari. Si rursus obijcias dixisse cap. 28. *Qui operatur terram suam, satiabitur panibus, qui autem sectatur otium replebitur egestate.* Respondebimus verbum *satiari* assumptum fuisse lata significatione, scilicet pro saturari. Non est autem ignorandum breuiloquum nostrũ Hippocratem per dictiones, *nec simile quid-*

Ventres, atq. oculi insatiabiles comparatur adinuicẽ. Explicatur qui habet Hip. nec aliud quicquã.

Difficultati satisfit.

quidpiam quod naturæ modum excedat, significare voluisse, vt in nostris diximus commentarijs, reliquas sex res dictas non naturales, in quibus vult esse seruandam mediocritatem, vt ex g. in animi perturbationibus, quæ tales esse debent, quæ morbos inferre non valeãt; cui consonat quod habetur Psalmo 4. *Irascimini, & nolite peccare; quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.*

APH. V.

Spontaneæ lassitudines morbos prænunciant.

INter reliqua, quæ spontaneas inducunt lassitudines, præcipua est pigritia; quam id propterea damnat Sapiens prou. cap. 6., quando inquit. *Vade ad formicam ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem parat in æstate cibum, & congregat in messe quod comedat.* Et cap. 10. *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium diuitias parat.* Et paulò post. *Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit æstate filius confusionis. Sicuti acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger ijs, qui miserunt eum.* Et cap. 13. *Vult, & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.* Et cap. 19. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet.* Et cap. 20. *Propter frigus piger*

Caussa lassitudinis spontaneæ declaratur, & laboris vtilitatis proponitur.

piger arare noluit, mendicabit ergo in æstate, & non dabitur illi. Et 21. *Desideria occidunt pigrum, noluerunt enim quicquam manus eius operari, tota die concupiscit, & desiderat, qui autem iustus est tribuet, & non cessabit.* Et cap. 26. *Dicit piger, leo est in via, & leana in itineribus. Sicuti ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Est autem maxima consideratione dignum, quod quemadmodum Hipp. postquam in præcedenti aphorismo loquutus fuit de satietate, in præsenti aphorismo loquitur de spontaneis lassitudinibus, quæ satietatem consequuntur; non secus Ecclesiasticus cap. 31. postquam loquutus fuit de noxis satietatem consequentibus, docet modum, quo spontaneas lassitudines, atque reliqua damna, quæ ex satietate prouenire consueuerunt, deuitare possimus; inquit etenim. *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.*

Hipp. artificiũ in sapiẽtum methodo imitãda.

APH. VI.

Quicumque dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.

DOlorem non sentiri ob mentis ægritudinem appositissima similitudine declarauit Sapiens prouerb. 23. quando inquit. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa, & eris sicuti dormiens in medio mari, &* quasi

Præsentis aphorismi declaratio ex sapientia in prouerbijs proponitur.

quasi sopitus gubernator ommisso clauo, & dices: verberauerunt me, sed non dolui. traxerunt me, & ego non sensi quando euigilabo, & rursus vina reperiam, cui etiam accommodari potest quod habetur cap. 26. *Vidisti hominem sapientem sibi videri: magis illo spem habebit insipiens.* Et Ecclesiasticus cap. 21. *Et insipientia, quæ abundat in malo, & non est sensus vbi est amaritudo*: quod etiam admonuerat Sap. prou. 30. *Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus. Tria sunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit infœliciter: leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum: Gallus succintus lumbos suos; & aries, nec est rex qui resistat ei, & qui stultus apparuerit postquam eleuatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum. Qui autem fortiter premit vbera ad eliciendum lac, e primit butyrum: & qui vehementer emũgit, elicit sanguinem: & qui prouocat iras, producit discordias.*

APH. VII.

Quæ longo tempore extenuantur corpora, lente reficere oportet, quæ vero breui, breuiter.

Cõparatur refectio repentina, & substantia festinata.

HVic aphorismo est analoga sententia prou. cap. 13. *Substantia festinata minuetur, quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Quinimo ex hac ipsa Sapientis sententia ratio colligitur eius, quod habetur in aphorismo. Ratio etenim propter quam, longo tempore extenuata corpora sensim reficere oportet, est quoniam substantia festinata minuitur. Cœterum animaduertendum per illa corpora, quæ longo tempore sunt extenuata, posse quidem intelligi aliquos tabidos, non tamen omnes, sed illos tantùm, qui laborant febre hectica in primo gradu, quibus proportione quadam respondẽt illi, de quibus loquitur Ecclesiasticus cap. 9. *Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Deum. Bona, & mala; vita & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.*

APH. VIII.

Si à morbo cibum assumens, quis non corroboratur, pluri alimento corpus vti significatur, quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet, quod indiget euacuatione.

EX aphorismo possumus colligere, quod si à morbo cibum assumens corroboratur, neque pluri alimento corpus vti significatur, neque indiget euacuatione: atque proinde huic sententiæ analogam proposuit Sap. in Ecclesiaste

Corrobo ratio quę fit illa quæ fit à labori ad inuicem compara tur.

cap. 5., quando inquit. *Hoc itaque visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur lætitia ex labore suo, quo laborauit ipse sub Sole numero dierum vitę suæ, quos dedit ei Deus, & hæc est pars illius, & omni homini cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo, hoc est Dei donum: non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod occupet Deus delicijs cor eius.* Sunt autem hæc omnia D. O. M. dona reficientia, atque corroborantia, quoniam fruitur homo lætitia laboris sui, hoc est, labor est in causa, vt quod comeditur, atq. bibitur corroboret, & consequenter corpus non indigeat euacuatione, quæ fit per medicamenta. Si autem labor fuerit cum lætitia, eo magis erit vtilis, quemadmodum ex Hippocrate in nostris animaduertimus commentarijs.

APH. IX.

Corpora cum quisquam purgare voluerit, oportet fluida facere.

Bona pręparatio ante purgationē, atq. bona

QVemadmodum bona non succedit purgatio, nisi illam bona præcedat præparatio, non secus, non procedit bonus sermo, atque bonus progressus, nisi præcedat bona medicatio, iuxta illud prou. 16. *Hominis est animum preparare, & Domini gubernare linguam. Omnes viæ hominum patent oculis eius. Spirituum ponderator est Dominus. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.*

meditatio ante sermonē adinuicē conferūtur.

Est alia præparatio ad obtinendam gratiam apud principem, iuxta illud quod habetur cap. 18. *Donum hominis dilatat vias eius, & ante principes spatium ei facit.* Rursus quemadmodum empirici, medicamenta purgantia exhibituri, nullam prius efficiunt præparationem, contra verò operantur rationales medici, non secus vt habetur prou. 21. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum, qui autem rectus est disponit viam suam.* Ad salutem animæ consequendam esse necessariam orationem, atque ante illā esse necessariam præparationem demōstrauit Ecclesiasticus cap. 18., quando inquit. *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari, quoniam merces Dei manet in æternum: ante orationem prepara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Ante iudicium para iustitiam tibi, & antequam loquaris disce; ante iudicium, interroga te ipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem.*

APH. X.

Non pura corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes.

Homo fraudulentus, atq. cor

HVic analoga sentētia habetur prou. cap. 12. *Non inueniet fraudulentus lucrum, & substantia hominis erit auri*

pus im-purũ ad-inuicem conferũ-tur etiã aphor. demon-stratio.

auri precium: quasi velit quod anima quò magis est impura; eò minus lucri adispiscitur. Est etiam analoga quæ habetur 17. *Melior est bucella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* Vbi etenim sunt iurgia plurima etiam alimenta non sunt alimenta, vt Hippocratis verbis vtar, sed vertuntur in humores noxios, & morbosos. Cæterum hoc ipsum dogma ad animi alimentum transtulerat Sap. prouerb. 23. quando dixit. *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquij tui.* Causa tamen præcipua propter quam impura corpora læduntur, quando nutriuntur, est quoniam alimẽtum etiã purissimum euadit impurum, quod animaduertit Ecclesiasticus cap. 13. *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Et cap. 1. *Non erudietur qui non est sapiens in bono, est autem insipientia, quæ abundat in malo.* Et cap. 22. *Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam.* Et cap 39. *Initium necessariæ rei vitę hominum aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum, & vestimentum; hęc omnia sanctis in bona, sic & impijs, & peccatoribus in mala conuertentur.*

APH.

APH. XI.

Facilius est impleri potu, quàm cibo.

QVamuis potus de quolibet liquore possit intelligi; atque proinde aphorismus de qualibet potione sit verissimus. Est tamen præcipuè de vino accipiendus, tum quoniam vinum sua iucunditate facilius potatur, tum etiam quoniam sua caliditate facilius prætergreditur primas corporis regiones, atque faciliùs quælibet eius vasa replere consueuit; vnde perniciosissimi, atque aliquando etiam lethales consurgũt morbi, quod animaduertit Sap. prou. 20. *Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur non erit sapiens.* Et cap. 12. *Qui suauis est in vini moderationibus, in suis monitionibus relinquit contumeliam.* Et cap. 21. *Qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* Et c. 23. *Noli esse in conuiuijs potatorum, quia vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur, & vestietur pannis dormitatio. Cui væ, cuius patri væ, cui rixę, cui fouea, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum. Nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis. Ne intuearis vinum quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius; ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Si tamen tempore opportuno, atq; moderatè assumatur,

Cur vinũ facilius repleat vasa quã aliusquilibet liquor.

tur, mirum in modum vires collapsas reficit, quemadmodum tum alibi, tum in hoc præcipuè opere demonstrauimus, præcipuè autem maximam habet efficaciam vinum illud, dictum *Hippocraticum*, cui proportione respondet, quod habetur Canticorum cap. 8. *Dabo tibi poculum, ex vino condito*. Hoc etenim quamuis, iuxta theologorum explicationẽ sit de D.O.M. colloquio intelligendum, nos tamen, iuxta nostrum institutum, illud de qualibet salutari animæ medela in præsentia intelligimus.

Vinum Hippocraticũ.

APH. XII.

Quæ relinquuntur in morbis post indicatitnem, recidiuas facere consueuerunt.

HVic est analoga sententia, quæ habetur prou. 26. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone substracto iurgia conquiescunt; sicuti carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iucundus suscitat rixas*. Quamuis autem quod habetur in aphorismo verissimum sit, non tamen semper illa, quæ relinquuntur in morbis, recidiuas faciunt, quod & ipse dictator indicare voluit per verbum additum, *consueuerunt*, possunt etenim dictæ reliquiæ paulatim à natura vel domari, vel expurgari. Huiusmodi autem præseruatio à morbis animi indicatur prouerb. 15. *Per*

Quæ relinquuntur tã in morbis corporis quã animi, recidiuas facere cõsueuerũt

Per misericordiam, & fidem purgantur peccata; per timorem autem Domini declinat omnis à malo. Iam verò quemadmodum Hipp. hanc conscripsit sententiam, vt possimus præcaueri à recidiua, non secus animaduertit Ecclesiastes cap. 7. *In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue, sicuti enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias*. Est autem animaduertendum, quod in nostris diximus commentarijs, recidiuas esse in duplici discrimine; alia etenim est propriè dicta, quando morbus in totum recedit, atque postmodum reuertitur; alia verò minus propriè, quando videtur quidem recedere, non tamen recedit, quoniam postmodũ reuertitur, vt prius, quoniam magnus adest corporis apparatus, quod describitur in Leuitico cap. 13. in quo de lepra verba faciens, hæc habentur verba. *Quod si postquam à Sacerdote visus est, & redditus munditior, iterum lepra creuerit, adducitur ad eum, & immunditię condemnabitur*.

Duplex recidiua.

APH. XIII.

Quibuscumque crisis, idest indicatio fit, his nox grauis ante accessionem. Quæ verò subsequitur magna ex parte leuior existit.

HVnc aphorismum præcipuè conscripsit senex ob ignaros, atque indoctos medicos, qui conspicientes noctem

Recidiua à peccatis quo modo

præcaut- ctem aliquam grauem, non animaduertentes fieri grauem ob instantem iudicationem, perterriti adhibent remedia intempestiua, quæ ipsam bonam indicationem possunt impedire; quibus proportione respondet, quod habet Sap. Ecclesiastes cap. 10. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.*
præcautda.

APH. XIV.

In profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat.

Animæ denigratio quāti momenti.

INter reliquos prauos excrementorum colores, primum ferè locum tenet color niger; atque proinde in profluuijs alui mutationes excrementorum iuuant, dummodo mutatio non fiat alicuius laudabilis coloris in nigrum. Sic Hieremias Treno 4. deplorat Nazareos, qui prius fuerant Deo consecrati, atque postmodum ob vitij culpam denigrati. Sic etenim habet. *Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores, denigrata est super carbones facies eorum.*

APH.

APH. XV.

Vbi fauces ægrotant, aut tubercula nascuntur in corpore, excretiones inspicere oportet; Nam si biliosæ fuerint, corpus vnà ægrotat; si verò similes sanis, tutum est corpus nutrire.

SI excrementa fuerint biliosa, corpus vnà ægrotat, quoniam indicant intus reseruari humorum corruptelam, quæ totam inficiunt massam sanguineā; quod analoga sententia declarauit Sap. in Eccles. cap. 10., quando inquit. *Muscę morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Ratio verò propter quam, excrementa biliosa indicant vnà corpus ęgrotare, est quoniam talia excrementa indicant totam materiam morbosam non fuisse ad cutem translatam; id quod ipse Hippocrates animaduertit secundo Epidemiorum sectione 2. quando inquit. *Sed quę sub cutem abscedunt foras tubercula, veluti putrescentia, & quę separātur, aut vlcus, aut eiusmodi pustulę, aut squammę, aut defluuium capillorum, vitiligines, leprę, aut eiusmodi, quę abscessus sunt aceruatim fluentes, non semirepentes.* Quod fortasse didicit à cap. 13. Leuitici, vbi de lepra verba faciens sic habetur. *Si effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem à capite vsque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit, considerabit eam sacer-*

Locus Leuitici per Hippocratē declaratur.

sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit, eo quod omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit: quando verò caro viuens in eo apparuerit, tunc sacerdotis iudicio polluetur, & inter immũdos reputabitur; caro enim viua si lepra aspergitur immunda est; quod si rursum versa fuerit in alborem, & totum hominem opperuerit, considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet: quomodo verò hæc eadem sententia ad mores sit transferenda, sectione sexta huius operis demonstrabimus.

APH. XVI.

Vbi fames laborandum non est.

Cõsensus inter aphorismũ; atq. sententiã Tobiæ

HAnc Hipp. sententiam possumus piè interpretari, dicentes, esse pauperibus, præcipuè famescentibus eleemosynam tribuendam, ne scilicet compellantur famescendo laborare. Sic autem habetur apud Tobiam cap. 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli faciem tuam auertere ab illo paupere, ita enim fiet, vt neque à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors; si multum tibi fuerit, abundanter, tribue, si exiguum tibi fuerit, etiã exiguum libenter impartiri stude.* Eò autem magis est nobis piè explicanda, quò magis ipsemet Hipp. fuerit erga pauperes pientissimus, vt in nostra diximus manuductione. Cœterum quẽadmodum vbi fames laborandum non est;

est; ita vbi multum laborandum est, nõ est parum comedendum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 33. *Cibaria, & virga, & onus asino; panis, & disciplina, & opus seruo. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrẽ sic eum tracta, quoniam in sanguine animæ tuæ eum comparasti.* Quod de labore tradit Hipp. est intelligendum non modò de labore corporeo, verùm etiam de labore ad mentem attinente, quod animaduertit Sap. prou. 14. *Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius, honorat autem eum, qui miseretur pauperis.* Et 15. *Omnes dies pauperis mali, secura mens quasi iuge conuiuium.* Quod si obijcias sententiam eiusdem prouerb. cap. sequenti. *Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum.* Respondebimus particulam, *quia compulit eum os suum*, esse intelligendam de fame non præsente, sed imminente; quasi velit, quod vexatio dat intellectum. Quod si velis esse intelligendam de fame præsenti, non aduersatur Hippocrati, quinimo contrarium prorsus suadet; neque Sapienti, qui paulò ante dixerat. *Est via quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Rursus famescenti non esse laborem inferendum admonnit prou. 22., quando inquit. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus causam eius, & confriget eos, qui confregerunt animam eius.* Et cap. 28. *Qui dat pauperi*

Labor tũ animi, tũ corporis deuitandus.

Obiectioni satisfit.

peri non indigebit; qui despicit deprecantem sustinebit penuriam. Et Ecclesiastes cap. 11. *Mitte panem tuum super transeuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum*. Est autem animaduertendum quod multi præ fame aliquando compelluntur ingerere cibos pessimos, quos præter naturã appellat Hipp. aphorismo subsequenti, quo factum est, vt post præsentem, statim subsequentẽ intulerit aphorismum, quemadmodum animaduertimus in commentarijs. Id significatur cap. 27. *Anima saturata calcabit fauum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet*. Est autem summopere aduertendum, eandẽ prorsus fuisse Hippocratis, atque horum sapientium virorum mentem, nimirum, vt nos arbitramur, illorum errorem corrigere, qui audientes pauperes esurientes, eleemosynam exposcentes, pro eleemosyna illos hortantur ad laborandum; quod certè in horum sapientum doctrina est impium, quando actu fames dominatur. Videtur autem huic aphorismo aduersari quod habetur in Ecclesiastico cap. 31. per hæc verba. *In omnibus operibus tuis esto velox*, si illis addantur, quæ habentur cap. 37., quando inquit. *Qui abstinens est, adijciet vitam*; videtur etenim abstinentia associari cum labore. Non tamen aduersantur, quoniam imperat vitandam esse satietatem, & crapulam; quod verò spectat ad laborem, commendat non nimium, sed moderatũ, quemadmoduũ inferiùs declarabimus.

Fames quomodo pariat ægritudines.

Aliæ difficultati satisfit.

APH.

APH. XVII.

Vbi cibus præter naturam plus ingestus est, hic morbum facit; ostendit autem sanatio.

QVemadmodum cibus præter naturam plus ingestus morbus facit, non secus ad malum blandientes incitare consueuerunt, habent etenim lac, & oleum, suaue quidem sed venenosum, & mortiferum, vt habet Bernardus epistola 78. Ideo monet Sapiens prou. cap. 1. *Fili mi si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis: si dixerint veni nobiscum, abscondamus tendiculas cõtra insontem frustra, deglutiamus eum sicuti infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum, omnem pratiosam substantiam reperiemus, implebimus domus nostras spolijs, sortem mitte nobiscum, marsupium sit omnium nostrum; fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum, pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem; ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas; sic semita omnis auari animas possidentium rapiunt*. Et cap. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam*. Quamuis autem cibus præter naturam ingestus non statim morbum faciat, & consimiliter qui maximum aliquod committit delictum

Animæ cibus præter naturam ingestus quos illi pariat morbos.

Obiectioni satisfit.

non

non statim persentit damnum inde proueniens, persentit tamen suo tempore; namque vt habetur cap. 22. *Qui seminat iniquitatem, metet mala, & virga irę suæ consumabitur*. Verùm non tantùm deuitanda quæ sua quantitate satietatem inducunt, verùm etiam quæ sua qualitate, iuxta illud prou. 25. *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi, ne fortè satiatus euomas illud*. Huc respexit Sirachius cap. 5. *Noli anxius esse in diuitijs iniustis; non enim proderunt tibi in die obductionis, & vindictę*. Et Sapiens in Ecclesiastes cap. 5. *Est & alia infirmitas pessima, quam vidi sub Sole; diuitiæ conseruatę in malum Domini sui; pereunt enim in afflictione pessima. Generauit filium qui summa egestate erit, sicuti egressus est nudus de vtero matris suę, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo, miserabilis prorsus infirmitas, quando venit sic reuertetur*. Est autem animaduertendum non sine ratione adhibuisse Hippocratem aduerbium plus, quoniam si ingeratur cibus præter naturam, non tamen plus, non necessariò faciet morbum; ideo admonet Ecclesiasticus cap. 20. *Fili peccati, non adijciat iterum, sed de pristinis deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te dentes Leonis, dentes eius interficientes animas hominum; quasi romphea bis acuta omnis iniquitas, plagę illius non est sanitas*.

Cibus præter naturam est in duplici discrimine.

Aduerbiũ plus cur additum ab Hipp.

APH.

APH. XVIII.

Eorum, quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoque sunt excretiones.

RAtio propter quã aliquorũ alimentorũ veloces fiunt excretiones, est quoniam velocem attulerunt nutritionẽ; quod prius indicauerat Sap. prou. cap. 13. *Substantia festinata minuetur*. id quod diffusè prosequitur Iob cap. 20., per verbum autem *festinata*, illud esse intelligendum, quod velociter comparatur, ex eo colligitur quod idem Sap. dicit cap. 18. *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis*. Quasi velit, quemlibet in substantijs acquirendis debere esse medium inter tardum, atque velocem; Est autem animaduertendum ex Gal. omniũ velocissimum esse in nutriendo odorem, quod Sap. aliquo indicauit cap. 27., quando inquit. *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor*. Secundo loco vinum, quod habetur cap. 9. Iudicum. *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lętifica Deum, & homines?* Et cap. 31. prouerbiorum *Date siceram mœrentibus, & vinum ijs, qui amaro sunt animo, bibant & obliuiscantur egestatis suę, & doloris sui nõ recordentur amplius*. Constat autem verum vino lætificare cor, quoniam cito habit in sanguinem arteriosum, atque spiritus vitales, quod

Odores citò nutriunt corpus, atq. recreãt animũ, quod idem de vino intelligendum.

Cuius ratio traditur manifesta.

 non

non efficit nisi celeriter nutriendo. E contra panis, quoniam habet substantiam quodammodo terream, tardiùs quidem nutrit, melius tamen agglutinatur, atque firmius corpori præbet robur. Quæ quidem optimè indicata fuere Psalmo 103. *Vt educas panem de terra & vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet.* Et libro primo Regum cap. 28. *Et robur non erat in eo, quia panem non comederat tota die illa.*

APH. XIX.

Acutorum morborum, non omninò sunt certæ prænunciationes, aut salutis, aut mortis.

Trãsfertur apho rismo de corporis morbo ad aliud quodlibet infortuniũ

EX præsenti aphorismo colligitur, non esse in morbo etiam perniciosissimo, qui scilicet plurima habet praua admodum symptomata, omninò desperandum; quod ante Hippocratem admonuerat Sap. prou. 24., quando inquit. *Si desperaueris lapsus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixeris uires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, & Seruatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera sua.* Quinimo ex præclara hac Sapientis sententia maius quid elici videtur, quod in aphorismo non fuit expressum, hoc est, in perniciosissima ægritudine, non modò medico, verùm

Quinimo aphorismus magis redditur illustris, atq. vtilis,

rùm neque etiam ægro esse desperandũ, siquidẽ desperatio imminuit illius fortitudinem. Vnde collige spem augere fortitudinem. Quemadmodum rursus prædicto aphorismo monet senex vt cauti admodum simus in salute prædicenda, etiamsi plura conspiciantur laudabilia signa; non secus admonet Sap. prou. 27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies.* Quamuis autem morbus acutus ex se sit admodum dubius, adeo vt nulla sit certa de illo pronunciatio: maxima autem ex parte poterit medicus funestum euentũ prænunciare, si longè plura fuerĩt signa praua, quàm bona, atque æger, & assidentes leges medicas contemnant. Nam ex prou. 29. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus, qui verò custodit legem beatus est.* Semper tamen debet medicus esse cautus in euentu prædicendo, quod animaduertit S. in Ecclesiastes cap. 5., quando inquit. *Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo; Deus enim in Cœlo, & tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui,* quod magis expresse cap. 9. quando inquit. *Nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta, eo quod vniuersa ęque eueniant iusto & iniusto; bono & malo; mundo & immundo; immolanti victimas, & sacrificia contemnenti; sicuti bonus, sic & peccator, vt periurus, sic ille, qui verum deierat.* Causa verò præcipua, propter

Quibus indicijs possimus magis certã prę nunciationem obtinere

Aph. demonstratio.

quam, nulla potest esse omnimoda certitudo, est quoniam materia; quæ morbum acutum constituit, est maximè mobilis, præcipuè talis est materia calida, quod habetur prou. 26. *Sicuti carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.*

APH. XX.

Quibus iuuenibus adhuc aluus humecta est, his senescentibus exiccatur: Quibus verò iuuenibus adhuc aluus sicca est, his senescentibus humectatur.

Omniũ rerum vicissitudo.

OMnium rerum esse vicissitudines præsenti aphorismo demonstrat D. Senex, atque proinde tacitè nobis indicat, non esse ægrè ferendum, si quis in iuuentute bonam nactus valetudinem, in senectute fiat valetudinarius, quod exemplo aluui fluidæ, vel exiccatæ manifestum facit, id etiam significat Sirachius cap. 11. *In die bonorũ ne immemor sis malorum; & in die malorum ne immemor sis bonorũ, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.*

APH. XXI.

Famem thorexis (idest vini potio) soluit.

Vini vtilitates recẽsentur.

QVemadmodum vini potio soluit famem; non secus soluit mœrorem, præcipuè si proueniat à fame, quod impulit Sapientem, vt dixerit prou. 31. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo; bibant, & obliuiscantur egestatis suæ; & doloris sui non recordentur amplius.* Et Ecclesiasticus. *Vinum, & musica letificant cor.* Quod autem per *famem* intelligat Hippocrates famem non tantum naturalem, verùm etiam morbosam, in nostris diximus commentarijs; de hac etiam loquutus fuerat Sap. prou. 13. *Iustus comedit, & replet animam suam; venter autem impiorum insaturabilis.* Eo autem magis videtur hæc sententia aphorismo analoga, quod fames tam naturalis, quàm morbosa mœrorem inducit, quemadmodum quotidie in praxi experimur.

Fames duplex.

APH. XXII.

Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.

HVic aphorismo fortasse videbitur refragari quod habet Sap. prou.

20. *Ne dicas reddam malum pro malo*; non tamen refragatur, subit enim. *Expecta Dominum, & liberabit te*; quoniã ad nos non spectat inimicum nobis cõtrarium destruere, sed ad D.O.M. illum humiliare. Cœterum quamuis Ioannes Baptista Vanhelmont vbique se munierit aduersus scholas locis ex sacris literis depromptis; quando tamen negauit contrarietates in natura reperiri, videtur vel præterijsse, vel paruifecisse quod habet Ecclesiasticus cap. 33., quando inquit. *Contra malum bonum stat, & contra mortem vita, & sic contra virum iustum peccator, & sic intuere in omnia opera altissimi; duo contra duo, & vnum contra vnum.* Quomodo autem in curatione contraria contrarijs sint opponenda; idem indicauit appositis exemplis cap. 37., quando inquit. *Cum uiro irreligioso tracta de sanctitate, & cum iniusto de iustitia, & cum muliere de ijs, quę ęmulatur; cum timido de bello; cum negotiatore de traiectione; cum emptore de venditione; cum uiro liuido de gratijs agendis; cum impio de pietate; cum inhonesto de honestate; cum operario agrario de omni opere; cum operario annuali de consummatione anni; cũ seruo pigro de multa operatione.*

Vanhelmõt quo modo hallucinatus fuerit.

Cõtraria quomodo cõtrarijs sint curanda.

APH. XXIII.

Acuti morbi in quatuordecim diebus iudicantur.

ESse decimi quarti magnam vim, colligitur nõ modò ex præsenti aphorismo, verùm etiam ex D. Matthæo in Euangelio, qui non temerè distribuit, per quatuordenas generationes, omnes ab Abraham vsque ad Iesum, quando inquit. *Omnes itaque generationes ab Abraham vsque ad Dauid generationes quatuordecim, & à Dauid vsque ad trãsmigrationẽ Babylonis generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis, vsque ad Christum generationes quatuordecim.* Sed cur decimus quartus dies sit acutorum morborum terminus in nostris diximus commentarijs, atque plura etiam Deo fauente in secũda editione proponemus; interim cur per quaternarios, & per septenarios morbi iudicentur, præter illa, quæ ex medicis deprompta fuere, nonnulla reperies in sequẽtis aphorismi explicatione, deprompta ex sacris literis. Interim animaduertendum aphorismi 19. huius eiusdem sectionis. *Acutorũ morborum non omnino sunt certę prænunciationes aut salutis, aut mortis*, talem rationem tradidisse Gal. in com. *hoc autem fit propter subitam in indicatione permutationem, quę naturam humorum sequitur morbificorum, & quia humor noxius non-*

Numeri decimi quarti efficacia.

Cur dies decimus quartus sit acuto rũ morborũ terminus.

Ratio 19 aph. ex Hipp. depromitur.

nonnunquam trsãfertur ex vno loco ad alterum; verùm id didicit ab Hipp. libro de decenti ornatu, vbi inquit. *Instabilia sunt quę in humidis consistunt, quare facilè & à natura, & à fortuna transmutantur*. Causa verò, propter quam acuti morbi quatuordecim diebus iudicantur, est quoniam prædicta materia, quæ cum magna celeritate, atque impetu mouetur, magnos infert labores, quos proinde diu natura substinere nequit, atque proinde morbus vel terminatur septima, vel vndecima, vel decima quarta; ipsã tamen decimam quartam diem, ob assignatam rationem; non trascendit. Terminatur verò solùm in die decretorio, quia talis dies ab astris regulatur. Quibus ita constitutis faciliorem nobis sternemus viam ad intelligenda illa, quæ de maris fluxu, atque reflu u dixit Iob cap. 38., quando inquit. *Qui conclusit ostijs mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens*, & paulò post. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi vsque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos*. Huiusmodi etenim maris æstus nõ vno, atque eodem modo fiunt; siquidem in mari aliquo mediterraneo conspicitur bis in die, in alio ter, in Oceano verò, in quo euidentius conspicitur, fit semel spatio viginti quatuor horarum; atque hi maris ęstus per septenos dies insignes habent mutationes; septem enim primis à nouilunio modici sunt, reliquis

Pręsentis aphorismi demõstratio.

De maris fluxu, atque refluxu.

septem

septem vsque ad plenilunium increscũt manifestè, subinde minui incipiunt tertio septenio; fiunt autem hæc tam determinata, atque firma lege, vt numquã vltra solitum progrediatur mare, sed certè sciant litorales quotidie quousque mare sit exundaturum; & quod magis est, ne transuersum quidem pedem errant; addo vt credendum sit D. O. M. hanc legem mari stabiliuisse, vt singulo quoque die de suis cauitatibus egrediatur, ne tamen vltra terminum præscriptum progrediatur; quoniam tamen hoc Dei præceptum medio vtitur naturali, atque de hoc plurimæ hucusque extiterint sententiæ, nos illam proponemus, quæ magis videtur rationi consentanea, quam aliqui doctissimi viri aliquatenus excogitarunt. Est verò quod prædicti circuitus aptissimè respondent motibus Solis, atque Lunæ, adeo vt diurna per senas horas repetitio respondeat motui diuino Solis, aut Lunæ, quæ verò per hebdomadas fit mutatio, menstruo Lunæ, & mutatio etiam per solstitia, & æquinoctia ad Solem refferantur. Addimus nos quotidianum terræ motum, obliquum, & inæqualem, quæ omnia fortasse complexus est Dauid psal. 92. *Mirabilis elationes maris, mirabilis in altis Dominus*.

Verùm de his fortasse
alibi pertractabi-
mus vbe-
rius.

APH. XXIV.

Septenorum quartus est index. Alterius septimanæ octauus principium; Est autem & vndecimus contemplabilis, ipse enim quartus est alterius septimanæ. Rursus verò & decimus septimus contemplabilis; ipse siquidem quartus est à quarto decimo, septimus verò ab vndecimo.

INter reliqua, quæ videntur necessaria ad hoc, vt perfecta contingat morbi solutio, præcipuum est, quod ipsa contigat in die decretoria; quod ex præsenti, antecedenti, atque alijs pluribus colligitur aphorismis; quibus indicat optimum esse quod suo tempori congruit, malum autem, quod non congruit. Id prius indicauerat Sap. prou. 25., quando inquit. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis eis, qui miserunt eum.* Et cap. 26. *Quomodo nix in æstate, & pluuiæ in messe, sic indecens est stulto gloria.* Causa verò cur dies septima sit decretoria dictum fuit à Sapiente in Ecclesiaste ca. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub Cœlo.* Cur verò in illa sit abstinendum à quacunque operatione, indicatur in Ecclesiastico cap. 43., quando inquit. *Altitudinis firmamentum pulchritudo eius, species cœli in visione gloriæ. Sol in aspectu annuntians in exitu. Vas admirabile opus excelsi. In meridiano exurit terram. & in conspectu ardoris eius quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris, magnus Dominus qui fecit illum, & in sermonibus suis festinauit iter, & Luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, & signum æui. A luna signũ diei festi, luminare quod minuitur in consummationem.* Quomodo autẽ Luna, secundum varias, quas à Sole suscipit illuminationes, sit causa dierum criticorum, in nostris diximus commentarijs; atque alibi etiam euidẽtius demonstrauimus. Interim satis sit in præsenti indicasse, quod quemadmodum ex hoc sapientissimo viro, *A luna signum diei festi,* non secus inde prouenit causa illius diei, in qua nihil est operandum, nisi maxima vrgeat necessitas. Hinc, vt arbitror, deprompsit Hippocrates, quod inquit, *esse quid diuinum in morbis.* Verùm cum dixerit Sirachius in sententia proximè citata. *A luna signum diei festi*, illi videbitur aduersari quod dixerat cap. 33. *Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum, & Sol Solem? à Domini scientia separati sunt facto Sole, & præceptum custodiente per Dei sapientiam diuiduntur, & immutauit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebrauerunt ad horam.* Verùm non aduersatur, quoniam causa immediata dierum decretoriorum est mensis luna-

Diebus decretorijs quæ vis.

Cur dies septima sit decretoria, atque in illa sit à quacumque operatione abstinendum.

Quomodo Luna sit caussa dierũ decretoriorum.

Apparẽs soluitur contradictio, atq; responsio ex sacris eruitur.

tis, hoc est 28. dies non integri; cuius dimidium ſunt dies quatuordecim; cuius medietas eſt ſeptenarius; cuius pars dimidia eſt dies quarta: cauſa verò mediata eſt Sol, ad cuius etiam motum in lunationibus indagandis confugiunt aſtronomi. Eſſe autem hanc reſponſionem tutiſſimam ex eo poteris colligere, quod Sapiens loco citato conſtituit cauſam communem, quando inquit *ſub cœlo*. Sirachius vero ante illa verba *A luna ſignū diei feſti*, iam de Sole fecerat mentionem, non modò quoniam Lunæ ſuū lumen tribuit, verùm etiam ob aliam à nobis aſſignatam cauſam. Interim adnotandum primam omnium cauſam eſſe D.O.M., nam cap. 38. Iob ipſe Dominus vt hominem inſcitiæ, & ignorationis rerum naturalium arguens ad ſui trahat cognitionem, poſt multa tradita de admirando ſuo opificio, ſubdit. *Quis poſuit menſuras eius, ſi noſti?* Et cap. 11. Sapientiæ. *Omnia diſpoſuit Deus menſura, numero, & pondere*: Et Eſdræ lib. 4. cap. 4. *Quoniam in ſtatera ponderauit ſeculum, & menſura menſurauit tempora, & numero numerauit tempora.*

A P H. X X V.

Aeſtiuæ quartanæ magna ex parte breues: Autumnales longæ; & maximè quæ hyemem attingunt.

Cur autūnales quartanę ſint lōgę.

CAuſa propter quam autumnales quartanæ, præcipuè quæ hyemem attingunt, ſunt magna ex parte longæ; nulla eſt alia, niſi quoniam materia talem quartanam progignens eſt craſſa, lenta, & contumax, & conſequenter eradicatu difficillima, cui proinde aphoriſmo proportione reſpondent omnes animi morbi, qui in obſtinatiſſimis, atque pertinaciſſimis quibuſq. hominibus reperiuntur, qui ſcilicet Dei mandatis obdureſcunt, de quibus tam multa in ſacris habentur eloquia, vt ſuperuacaneū ſit illa velle huc tranſcribere, ſatis ſit admonuiſſe quod etiam ſi Deus velit omnes homines ſaluos fieri; nihilominus aliquorum pertinacia eſt in cauſa, vt dictum illud ſit vulgatiſſimum. *Et induratum eſt cor Pharaonis*, atque illud. *Vos quęritis me, & non inueniſtis, & in peccato veſtro moriemini.*

Confertur quartana cū pertinacibus animi morbis.

A P H. XXVI.

Febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionem.

QVamuis conuulſio ſit morbus fortiſſimus, ſi tamen ſuperueniat febri mitiſſimæ, illam non diſſoluit, oppoſitum euenit, ſi febris ſuperueniat cōuulſioni, illam etenim diſſoluit: quemadmodum in commentarijs dictum eſt. Huic analogam ſententiam tradit Sap. in Eccleſiaſte cap, 9., quando inquit. *Hanc quoque vidi ſapientiam ſub Sole, & probaui maximam: ciuitas parua, & pauci in ea viri, venit contra eam Rex ma-*

Virtutis & ſapiētiæ vis, atq. efficacia.

magnus, & vallauit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio; inuentusque est in ea vir pauper, & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam. Verba sapientum audiuntur in silentio, plusquam clamor principis inter stultos; melior est sapientia, quàm arma bellica. Et prou. 21. *Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitque robur fiduciæ eius.* Cœterum sententiam huic analogam pronunciauit Sirachius cap. 19. quando inquit. *Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore Dei, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.*

APH. XXVII.

His, qui non ex ratione leuius se habent, non oportet fidere, neque multum formidare mala, quæ præter rationem eueniunt. Plurima enim talia stabilia non sunt, neque multum durare, & permanere consueuerunt.

Signæ fallacia in morbis corporis, atque animi.

Videntur aliquando in pratis admodum morbis bona signa, tamen bona quo ad apparentiam, non quo ad existentiam, quoniam scilicet non contingunt secundum rationem, quemadmodum in commentarijs dictum est. Idem euenit de impiorum iniquitatibus: quapropter inquit Sap. prou. 5. *Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur: ipse morietur quoniam non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur.* Et cap. 10. *Quasi tempestas transiens, nõ erit impius: iustus autem quasi fundamentum sempiternum.* Et cap. 12. *Via stulta recta in oculis eius qui autem sapiens est audit consilia.* Esse autem signa bona quo ad apparentiam quasi falsos testes colligitur ex ijs, quæ subdit paulò post. *Qui quod nouit loquitur, iudex est iustitiæ; qui autem mentitur, testis est fraudulentus. Labrum veritatis firmum erit in perpetuum, qui autem testis est repentinus concinnat linguam mẽdacij.* Quemadmodum rursus prudens medicus non multùm formidat mala, quæ præter rationem eueniunt. Non secus subdit in eodem capite. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo.* Rursus quemadmodum cordatus medicus non terretur, terretur autem ignarus; non secus habetur cap. 13. *Verbum mendax iustus detestabitur; impius autem confundit, & confundetur.* Rursus huc facit, quod habetur cap. 26. *Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perueniũt ad intima cordis. Labijs suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos; quando submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde eius. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in consilio. Qui fodit foueam, incidet in eam: & qui voluit lapidem, reuertetur ad eum.* Et

Signa falsa assimilanter falsis testibus.

Quomodo sint dignoscẽda.

Et cap. 27. *Meliora sunt vulnera diligẽtis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Euidentiùs tamen exprimit signa fallacia in Ecclesiaste cap. 8., quando inquit. *Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc viuerent, in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorum operum, sed & hoc vanitas est; etenim quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo, filij hominum perpetrant mala.* Illa verò, quæ cum ratione eueniunt, esse firma, & stabilia demonstrauit Ecclesiasticus cap. 11., quando inquit. *Datio Dei iustis permanet, & profectus illius successus habebũt in æternum.* Cæterùm admirandum quomodo ijsdem propemodũ dictionibus vtatur Hippocrates, quibus vsus fuit Sirachius, inquit etenim cap. 14. *Viro cupido, & tenaci sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum? qui aceruat ex animo suo iniustè, alijs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.* His etiam congruit quod habetur cap. 5. Iob. *Ego vidi stultum firma radice, & maledixi, & detestatus sum pulchritudinem eius.* Et cap. 15. *Cunctis diebus suis superbit impius, & numerus annorum, & tyranidis illius incertus est; non ditabitur, nec perseuerabit substantia eius, nec mittet in terram radicem suam, ramos eius arescet flamma, & auferetur spiritus oris eius ab eo.* Et Ioannes cap. 15. *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur.* Alia multa reperies in sacris litteris, quę breuitatis studio prętermitto.

Hippoc. quomodo ijsdẽ vtatur dictionibꝰ quæ habentur in sacris libris.

APH.

APH. XXVIII.

Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & nihil minui, vel etiam plusquàm ratio postulat, contabescere, malum. Illud enim morbi longitudinem; hoc verò imbecillitatem significat.

PErmanentia corporis, vel eiusdem contabescentia facta plusquam ratio postulat, præcipuè dignoscitur in facie, quemadmodum testatur experientia, atque ipse indicauit Hipp. primo præsagiorum textu 8., atque proinde quemadmodum talis contabescentia à praua admodum interna dispositione proficiscitur, nõ secus habetur in Ecclesiastico cap. 13. *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona siue in mala.* Quod verò inquit Hippocrates esse malum permanere corpus, & nihil minui, quod scilicet significat morbi longitudinem, proportione respondit illi, quod subdit. *Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè inuenies, & cum labore;* quoniam scilicet qui naturalem habent vafritiem, rarò immutant faciem, ne scilicet indicent quod gestant in corde. Quamuis autem prædicta contabescentia manifestissimè dignoscatur in facie, est tamen potissimũ intelligenda de toto corpore, cui proportione respondet animi morbus, de quo meminit Esaias cap. 7., quando inquit. *Attenuabitur gloria*

Contabescentia, atq. praua facies ex praua interna dispositione proficiscuntur.

Pertinet tamẽ ad vniuersũ corpus.

Iacob,

Iacob, & pinguedo carnis eius emarcesset; & erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium eius, &c.

APH. XXIX.

Quum morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue; quum verò consistunt, ac vigent, melius est quietem habere.

Quomodo possint mãgni morbi iugulari.

QVemadmodum prudens medicus nouit in principijs morborum, generosis adhibitis præsidijs, aliquãdo ipsos morbos iugulare, vt in cõmentarijs demonstrauimus; non secus poterit Sapiens plura imminentia mala deuitare, vt enim habetur prou. 16. *Indignatio regis, nuncij mortis, & vir sapiens placabit eam. In hilaritate vultus regis vita, & clementia eius, quasi imber serotinus.* Verùm quemadmodum in nostris diximus commentarijs, admonemur prædicto aphorismo aliquid operari in principijs morborum, vt possimus præcauere maximos insultus, qui contingunt in vigore; quod etiam animaduertit in Ecclesiaste cap. 7. *In die bona fruere bonis, & malam diem præcaue; sicuti enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo contra eum iustas querimonias*, & Sirachius cap. 9. *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore eius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias*

Præcipue operãdũ in principijs morborũ

speciem

speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt & ex his concupiscentia quasi ignis exardescit. Est etiam sententia huic analoga, quæ habetur cap. 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo, & nõ palpet proximorum ostia. Qui docet filiũ suum, laudabitur in illo & in medio domesticorum in illo gloriabitur. Qui docet filium, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo. Mortuus est pater illius, & quasi non est mortuus: similem enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo, in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis. Reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Equus indomitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet. Lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi ne condoleas, & in nouissimo obstupescent dentes tui. Non des illi potestatem in iuuentute, & ne despicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est, ne fortè induret & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Eo autem præcipuè dirigitur aphorismus, vt si non possumus totam morbi causam auferre, illam saltem minuamus; sic enim habetur prou. 26. *Cum defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto, iurgia conquiescunt.* Est autem ani-

Vt saltẽ minuantur.

Hipp. artificium

maduer-

maduertendum adhibuisse Hippocratẽ aduerbium *videtur* non sine artificio; vt scilicet indicaret, non semper adesse necessitatem operandi. Consimile quid est apud Sapientem reperire, præcipit etenim esse aliquando operandum, vt quando dixit prou. 27. *Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus.* Præcipit aliquando nihil esse operandũ; quemadmodum quando dixit cap. antecedenti. *Sicut qui apprehendit auribus canem, sic qui transit, & impatiens commiscetur rixæ alterius.* Et cap. 26. *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.*

APH. XXX.

Circa initia, & fines, omnia imbecilliora: quum verò consistunt, fortiora.

QVod præcipuè senem impulit ad hanc sententiam pronũciandam, fuit ne ideo parui faciamus morbum, quoniam videamus illum in principio esse mitem. Quod etiam & Sirachius cap. 11. *A scintilla vna augetur ignis, & ab vno doloso augetur sanguis, homo enim peccator sanguini insidiatur: attende tibi à pestifero, fabricat enim mala, ne fortè inducat super te subsannationem in perpetuum. Non omnem hominem inducas in domum tuam, multæ enim sunt insidiæ dolosi. Sicuti enim eructant præcordia fœtantium, & sicut perdix inducitur in caueam, & vt caprea in laqueum, sic & cor superborum; & sicut prospector videns casum proximi sui, bona enim in mala conuertens insidiabitur, & in electis imponet maculam.*

Demonstratur falsũ esse quod vulgo circũfertur de minimis non curat prætor.

Et cap. 28. *Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne forte labaris in lingua, & cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi & sit casus tuus insanabilis in mortem.* Esse autem circa initia timenda accidentia, quæ possunt cõtingere in progressu animaduertit cap. 14. *Sapiens timet, & declinat à malo, stultus transilit & confidit.* Et Sap. prou. 23. *Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa.* Et Sirachius cap. 9. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris. Ne respicias mulierem multiuolam nè fortè incidas in laqueos eius. Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne fortè pereas in efficaciam illius. Virginem ne conspicias, nè fortè scãdalizeris in decore illius. Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscientia quasi ignis exardescens. Speciem mulieris alieni multi admirati reprobi facti sunt, colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Cum alia muliere ne sedeas omnino, nec accũbas cum ea super cubitum, & non alterceris cum illa in vino, ne forte declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.* Quamuis etenim hæ postremæ sententiæ videantur pertinere ad

ad antecedentem aphorismum, longè tamen magis huic possunt accommodari.

APH. XXXI.

Eius, qui ex ægritudine bene cibatur, nihil proficere corpus, malum.

QVemadmodum ille, qui ex ægritudine bene cibans, nihil proficit, eo quod praua aliqua in corpore asseruatur humorum congeries, vel praua alicuius partis adest constitutio; non secus contingit impio; sic etenim prou. cap. 2. *Non roborabitur homo ex impietate, & radix iustorum non commouebitur.* Est autem animaduertendum Hippocratis artificium, qui dixit, *bene cibatur*, quoniam si malè cibatur, hoc est minùs quàm deberet, vel illa ingerit, quæ praua sunt, non est admirandum, quod nihil proficiat, cui est analogum, quod habet Sap. in Ecclesiaste cap. 6., quando inquit. *Est aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir cui dedit Deus diuitias & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quę desiderat; nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo sed homo extraneus vorabit illud*, nam huic est, praua aliqua animi constitutio, quod aperuit Sapiens, quando inquit. *Hoc vanitas, & magna miseria est. Si genuerit quispiam centum liberos & vixerit multos annos, & plures dies ętatis habuerit,*

Proponitur sententia aphorismo analoga, & Hipp. artificiū declaratur.

buerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ, sepulturaque careat, de hoc ego pronuntio, quod melior illo sit abortiuus. Et Ecclesiasticus cap. 21. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Verbum sapiens quodcumque audiuerit, scius laudabit & ad se adijciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suū.* Et prou. cap. 17. *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malū de domo eius.* Causam verò præcipuam, cur aliqui ex ægritudine bene cibati nihil proficiant, tetigit Sirachius cap. 39. quemadmodum adnotauimus ad aphorismum decimum huius sectionis. Interim adnotamus quod quemadmodum id prouenire consueuit, eo quod partes dicatæ nutritioni magnum aliquem contraxerunt recessum à constitutione naturali, non secus ille, qui recedit à Deo, nullum suscipit commodum ex ijs, quæ sua natura bona existunt, sic etenim habet Hieremias ca. 17. *Maledictus qui confidit in homine, & à Domino recedit cor eius, erit enim veluti myrica, quæ in siticulosa, ac ieiuna terra posita est, nullum bonum, nihil sentit commodi ex aeris clementia.*

Aphorismi ratio proponitur.

APH. XXXII.

Omnes ferè, qui malè se habent circa initia, bene cibati, neque quicquam proficientes, circa finem rursus cibum non appetunt, qui vero circa initia

initia cibum valde non appetunt, postea bene appetentes, ij melius euadunt.

Ex hoc aphorismo colligitur, quod non satis est bene comedere, sed oportet ex eo, quod comeditur, fructum percipere, hoc est corpus nutritionem suscipere, quod Hipp. vocat *proficere*, quod indicauerat Sap. in Ecclesiaste cap. 5. *Hoc igitur visum est mihi bonum, vt comedat quis, & bibat, & fruatur letitia ex labore suo quo laborauit ipse sub sole numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus, & hæc est pars illius: Et omni homini cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur de labore suo: hoc est Dei donum. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet delicijs cor eius.* Vt verò hoc commodius inferret, talem sententiam præmiserat, quod perbelle respondet primæ aphorismi particulæ. *Quid ergo prodest ei quod laborauit in ventum? Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, atque tristitia.*

Quomodo debeat quilibet ex substantijs suis fructum suscipere

APH. XXXIII.

In quouis morbo mente constare, & bene se habere ad illa, quæ offeruntur, bonum, contrario verò malum.

Hvic analogam profert sententiam Sap. prouerbiorum cap. 1., quando inquit. *Sapientia foris pędicat in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat: in foribus portarum vrbis profert verba sua; dicens vsquequo paruuli diligetis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupiēt; & imprudentes odibunt scientiā? Conuertimini ad increpationē meam: En proferam vobis spiritum meū, & ostendam vobis verba mea. Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo cum vobis quod timebatis aduenerit: cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non inuenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersę correptioni meę: comedent igitur fructus viæ suę, suisq; consilijs saturabuntur: aduersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos. Qui autem me audiuerit absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato.* Est inquam analoga non quo ad verborum inopiam, sed quo ad sententiarum veritatem, atque illarum reconditam doctrinam; quemadmodum etenim mente non constare, & malè se habere ad oblata, prauam indicat partium principum constitutionem; non

Mente non constare quo modo proueniat à praua corporis dispartione, siue cōstitutione: & quomodo ex proprijs signis dignoscatur.

ſecus medicinam, animi ægritudinibus oblatam reſpuere, totius corporis prauã indicat conſtitutionem, dicente Ariſt. in phiſiognomicis, atque Gal. libello huic rei dicato, quod animi mores ſequuntur corporis temperaturam. Cœterum mentis conſtantia, vel inconſtantia ex proprijs eius actionibus dignoſcitur, quemadmodum habet prouerb. 12. *Homo verſutus celat ſcientiam, & cor inſipientum prouocat ſtultitiam.* Quod ſi velis ſententiam huic analogam, reperies illam apud eundem in Eccleſiaſtes cap. 3., quando inquit. *Et cognoui quod non eſſet melius niſi lætari, & facere bene in vita ſuæ. Omnis enim homo qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc eſt donum Dei*, quod paucis immutatis repetit cap. 8. Eſt autem animaduertendum, non temere adhibuiſſe Hippocratem aduerbium coniunctiuum, &, vt indicaret hæc ſimul iuncta, non autem disiuncta ad ſanitatem conſpirare, quinimo, vt in noſtris diximus commentarijs, conſpirat etiam optima cordis conſtitutio, quandoquidem Hipp. conſtituit mentem non ſolùm in cerebro, ſed etiam in corde. Quapropter ex aphoriſmo colligitur præclara illa ſententia, quæ habetur in libello de alimento. *Confluxus vnus, conſpiratio vna, conſentientia omnia*, quod exemplo artium omnium, atque diſciplinarum ad humanam vitam neceſſariarum ſapientiſſimus demonſtrat Sirachius cap 38., quẽadmodum quilibet videre poterit. Quod verò

Sentẽtia aph. analoga.

Hippoc. artificiũ.

verò Hipp., vt diximus, mentem collocauerit non modò in cerebro, vt Gal., verùm etiam in corde, quod exiſtimauit Ariſtoteles, id deprompſit ex ſapientiſſimo Iob, qui capite 38. ſic habet. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam, vel quis dedit gallo intelligentiam?* Quoniam ſcilicet ſolus homo inter reliqua animantia, habet ſapientiam, quoniam ſoli homini ineſt mens; reliqua etenim animantia habent facultatem ſolam cogitatiuam, quam intelligentiam vocauit Iob.

Diſcrimẽ inter hominẽ, atque bruta.

APH. XXXIV.

In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus ſecundum nihil iſtorum congruit.

QVemadmodum illi morbi ſunt magis periculoſi, qui non conueniunt naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori; non ſecus plura huic analoga pronunciauit Sap. prouerb. 26. *Quomodo pulchras fruſtra habet claudus tibias: ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola. Sicuti qui mittit lapidem in acerum Mercurij: ita qui tribuit inſipiẽti honorem, quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti: ſic parabola in ore ſtultum.* Eſt autem animaduertendum in quouis magno morbo illos maximè deterreri,

Qui maximè deterreãtur in morbis.

terreri, qui non sunt in prædicto morbo assueti, qui etenim aliàs euaserunt, non desperant, quapropter illis optimum consilium præbet Sap. prou. 24. quando inquit. *Si desperaueris lapsus in die angustiæ, imminuetur fortitudo tua.* Causa verò, propter quam magis periclitantur illi, quibus morbus secundum nullum illorum conuenit, est, quoniam nimium confidentes suo robori, numquam desinunt errores committere; cui respondet quod habetur Ecclesiastes cap. 7. *Hec quoque vidi in diebus vanitatis meę, iustus perit in iustitia sua. & impius multo viuit tẽpore in malitia sua. Ne impie agas multum, & nol i esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.* Et cap. sequenti. *Omni negotio tempus est, & opportunitas est multa hominis afflictio, quia ignorat preterita, & futura nullo potest scire nuncio. Non est in hominis potestate probibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis, nec sinitur quiescere ingruente bello, nec saluabit impietas impium. Vidi impios sepultos, qui etiam cum adhuc uiuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate, quasi iustorum operum. Sed & hoc vanitas est, etenim, quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala; attamen peccator ex eo quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur. Ego cognoui quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* Est autem animaduertendum non aliam ob causam di-

Cur non assueti magis periclitẽtur

dixisse Hippocratem aphorismo 5. primæ sectionis. *Propterea etiam sanis periculosus existit valde exquisitus victus, & constitutus. quoniam errores grauius ferunt.* vt scilicet hinc colligeremus nimis accuratam viuendi normam esse periculosam, atque eò magis si fuerit voluptuosa. Cui respondet quod habetur apud Hieremiam Trenos 4. *Qui voluptuosè vescebantur. in vijs interierunt; qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.*

Nimis accurata & voluptuosa viuẽdi norma, periculosa.

APH. XXXV.

In quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes crassitudinem habere melius est; multum verò extenuari, & contabescere prauum. Sed hoc quoque ad inferiores purgationes periculosum.

RAtio est, quoniam huiuscemodi partes sunt dicatæ nutritioni; atque proinde si crassitudinem habeat, optimam esse illarum constitutionem demonstratur; si verò multùm extenuentur, colligitur oppositum. Huic est analoga sententia, quæ habetur in Ecclesiastico cap. 13. *Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia, & nequissima est paupertas in ore impij.* Est inquam analoga, quoniam Hippocrates non laudat falsam crassitudinem, quæ scilicet prouenit à vitio succorum,

Aphorismi veritas, vnde eliciatur.

De qua crassitudine sit intelligendus aph.

ſed veram, quæ ab illorum valido calore innato proficiſcitur.

APH. XXXVI.

Qui ſalubritatem corporis habent, cum per medicamenta purgantur, cito exoluuntur; & qui prauo vtuntur cibo.

Cur illi, qui ſunt prauo tã corporis quàm animi alimēto aſſueti reſpuũt medicamētum.

NOn quilibet vſus praui victus reſpuit medicamentum purgans, ſed ille, qui fuerit ex longo tempore cõſuet[u]s, atque habitualis factus, quoniam ſcilicet illius carnes inde nutritæ fuerunt. Non ſecus contingit animo iam praua in diſciplina, atque peſſimis moribus habituato, iuxta illud Sap. prou. cap. 1. *Quia vocaui, & renuiſtis, & extendi manum meam & non fuit, qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cum id, quod timebatis, vobis aduenerit.* Quod verò pertinet ad priorem aphoriſmi particulam, eius explicatio in ſubſequẽti habetur aphoriſmo. Interim tamen non eſt ignorandum quod de corporis ſalubritate dictum fuit ab Hippocrate, eſſe intelligendum non abſolutè, ſed vt dicunt Logici, ſecundum quid; non etenim datur ſalubre ſimpliciter, quod etiam habetur prou. 20. *Quis poteſt dicere mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Illa tamen cor-

Cur non detur ab-

poris ſalubritas, quæ in aliquibus indiuidu[i]s eſt omnium optima, tanti eſt facienda, vt Hipp. id tanquam magni momenti in præſenti aphoriſmo expreſſerit; id quod etiam habetur Eccleſiaſtici cap. 30. *Melior eſt pauper ſanus, & fortis viribus, quàm diues imbecillis, & flagellatus malitia. Salus animæ in ſanctitate iuſtitiæ, & melior eſt omni auro, & argento, & corpus validum, quàm cenſus immenſus, non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis, & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.*

ſoluta ſalubritas tã in corpore quã in animo.

APH. XXXVII.

Qui bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes.

QVi bene ſe habent corpore, difficulter ferunt medicationes, quoniam carent prau[i]s, ſeu noxijs humoribus, qu[i] indigent expurgatione. Non ſecus, qui bene ſe habet, animo, non indiget eiuſdem expurgatione; quoniam Dominus cuſtodit illos. Id eſt, quod animaduertit Sap. prouerb. cap. 2., quando inquit. *Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius prudentia, & ſcientia, cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter, ſeruans ſemitas iuſtitiæ, & vias ſanctorum cuſtodiens.* Verùm, quod præcipuè habetur tam in antecedenti, quàm etiam præſenti aphoriſmo, eſt medicinam eſſe ægris tantùm corporibus neceſſariam, quod manifeſtè colligitur ex cap.

Cur illi qui bene ſe habẽt tã corpore quam animo non indigeãt medicatione.

cap. 38 Ecclesiastici, quando inquit. *Honora medicum, propter necessitatem etenim illum creauit Altissimus*. Cui cōsonat vulgatissimum illud euangelij monitum. *Non est opus medico benè valentibus.*

APH. XXXVIII.

Parùm deterior potus, & cibus, suauior autem, melioribus quidem, sed minus suauibus, est præferendus.

Quemadmodum hic aphorismus, qui videtur quodammodo paradoxon, præcipuè fuit conscriptus ab Hippocrate ad nimiam seueritatem euitandam. Non secus animaduertit Sap. in Ecclesiaste cap. 7. *Noli esse multum iustus*. Cœterum quemadmodum prædictus aphorismus prudentissimis tantùm medicis tamquam verissimus recipitur; sic non auaris, atque ignaris, sed tantùm prudentissimis quibusque viris, pro verissima, atque vtilissima recipitur sententia, quæ habetur prou. 22. *Melius est nomen bonum, quàm diuitię multę; super argentum, & aurum gratia bona*. Multo autem magis aliquibus videbitur paradoxum, quod habetur cap. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis quàm fraudulenta oscula odientis*. Non tamen sunt huiusmodi sententiæ paradoxæ; nam quod ad sacras attinet, quamuis iustitiæ partes tres, nimirum distributiua, commutatiua, & pu-

Sentētiæ aph. analogæ.

Cur nimia seueritas sit deuitāda

Iustitiæ partes tres; & de qua sit aph. intelligendus.

punitiua, non possint esse nimiæ, quoniam scilicet sunt virtutes, potest tamen iudex esse in illarum aliqua multùm iustus, & consequenter decipi; nam cum leges non sint de singularibus, vt neque scientiæ, neque artes, quia hæc sunt infinita, atque quotidie nascuntur, & intereunt, atque vniuersale non possit deficere in multis singularium, necesse est, vt iudex in multis aliquid condonare debeat, atque quandam seruet æquitatem, quæ nihil aliud est ex Aristotel., quàm emendatio legis in eo, quod deficit ob vniuersale; hoc est, detrahere aliquod ei, quod lege sancitum est ob circumstantiam aliquam, quam legislator non præuidit. Verùm quemadmodum prædicta Sapientis sententia est de omnibus iustitiæ partibus intelligenda, non secus præsens aphorismus fuit tantùm de iustitia commutatiua conscriptus; aphorismus decimus septimus de parte distributiua est intelligendus, alij verò de punitiua, quemadmodum ibi demonstratum fuit.

æquitas quid.

APH. XXXIX.

Senes iuuenibus magna ex parte ægrotant minus. Qui verò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem.

Sentẽtia. aph. proportione respõdẽs

Cur dixerit Hipp. magna ex parte.

IN præsenti aphorismo recenset Hippocrates, quod morbi lungi in senibus euadunt incurabiles, quibus analogum morbum explicat Sap. in Ecclesiaste cap. 6., quando inquit. *Est & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines. Vir, cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil aliud deest animæ suę ex omnibus, quæ desiderat, nec tribuit ei potestatem Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud. Hoc vanitas, & magna miseria est. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non vtatur bonis substantiæ suæ: de hoc ego pronuntio quòd melior illo sit abortiuus. Frustra enim venit, & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius.* Est autem adnotandum Hipp. non sine artificio apposuisse aduerbium, *magna ex parte*, ne scilicet existimemus senes sic affectos esse absque curatione deserendos, prædicta etenim particula indicat aliquos admittere curationem. Cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 8. *Non spernas hominem in sua senectute, etenim ex nobis senescunt.*

APH. XL.

Raucedines, & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt.

Tã corporis quã vt animi morbi longi in valde senibus cu: rationẽ non admittunt.

Cur Hip. vs⁹ fuerit aduerbio valde.

QVemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs, in præsenti aphorismo euidentem rationem tradit eius, quod in præcedenti dictum fuerat. Causa etenim, propter quam morbi longi, qui contingunt senibus, illos plerumque comitantur vsque ad mortem, est, quoniam humores crudi morbos longos progignentes, indigent concoctione, quæ natiuo calore perficitur; iam verò valde senes tali calore sũt destituti. Consimili artificio vtitur Sapiens, postquam eteuim cap. in antecedenti aphorismo citato recensuit habitualem ægritudinem aliquibus senibus contingentem, huius rationem tradere volens inquit id prouenire, quoniam sunt recto rationis vsu destituti; subdit etenim. *Non vidit solem, neque cognouit distantiam boni, & mali, etiam si duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Nonne ad vnum locum properant omnia. Omnis labor hominis in ore eius, sed anima eius non implebitur bonis. Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid pauper, nisi vt pergat illuc, vbi est vita.* Est autem animaduertendum non sine ratione apposuisse

fuisse in aphorismo aduerbium *valde*, vt scilicet indicaret decrepitos, qui septuagesimum annum pertranseunt; alioquin sententia non esset omnino vera. Cur autem aliqui octuagesimum annũ, atque etiam centesimum aliquando pertranseant, in nostris animaduertimus commentarijs. Maiorem facit difficultatem apparens in sacris libris contradictio; capite enim sexto Geneseos sic habetur. *Eruntque dies illius centum, viginti annorum*. Capite verò 18. Ecclesiastici dicitur. *Numerus dierum vitæ hominum, vt multùm centum anni*. Breuiorem vitæ, periodum proposuit Dauid, quando inquit. *Vita hominis septuaginta anni, in potentatibus octuaginta*. Valesius opere de sacra philosophia, vt hanc litem dirimeret, animaduertit annum centesimum vigesimum esse vltimum clymatericum, centesimũ verò annum esse & ipsum clymatericũ, quemadmodum octuagesimus, atque septuagesimus. Verùm, vt hanc admittamus doctissimi viri contemplationem, hoc certissimum est, contradictionem non fuisse adhuc solutam, cum dicat Ecclesiasticus *vt multùm centum anni* Nos Respondemus terminum constitutum à D. O. M. Geneseos loco citato esse terminum, quem pertransire sit ferè impossibile. Quando verò inquit Sirachius *vt multùm centum anni*, id non pronunciauit, quoniam existimauerit hunc annorum numerum non posse pertransiri, cum & nos nostro hoc æuo ali-

Apparẽs contradictio soluitur.

aliquos dignouerimus prædictum numerum pertransiuisse; sed significare voluit, id raró admodum contingere, atque, quando contingit, esse vitam magis neci, quàm vitæ propinquam, quod etiam Dauidis locus manifestè declarat, quando etenim inquit, *amplius autem labor, & dolor*, significauit posse quidem produci vitam post octuagesimum, miseram tamen, atque ærumnis plenam.

A P H. XLI.

Qui frequenter, ac fortiter absque causa manifesta, exoluuntur, derepente moriuntur.

DEscribit hic Hipp. desperatum casum, in quo scilicet sit sperandus repentinus interitus, quoniam tres habet pessimas conditiones, sunt verò *frequenter, fortiter, & absque manifesta causa*. Cui analogum est, quod proponit Sap. prouerb. cap. 1., quando inquit. *Cum irruerit repentina calamitas, & interitus, quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio, & angustia, tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint*. Est inquam sententia non parum analoga; quoniam, quod inquit Hipp. *derepente moriuntur*, expressit Sap. ijsdem ferè verbis, *repentina calamitas, & interitus*, quod inquit Hipp. *frequenter, ac fortiter,*

Mors repentina vnde proueniat.

Sentẽtiæ aphorismo prorsus analogæ.

ter, expressit Sap. illis verbis, *quasi tẽpestas ingruerit*; Quod tandem inquit absque manifesta causa, expressit, quando inquit, *& timorem Domini non susceperint*. Est inquam causa non manifesta, quoniam qui timorem Domini non suscipit, id in suo corde gestat absconditum, iuxta illud vulgatissimum eiusdem Sapientis, *dixit insipiens in corde suo non est Deus*. Huic a'iam analogam sententiam pronunciauit Sirachius cap. 26. *Propter inopiam multi deliquerunt, & qui querit locupletari auertit oculum suum. Sicuti in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & inter medium venditionis, & emptionis angustiabitur peccatis, conteretur cum delinquente delictum. Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua*. Est autem animaduertendum, quod causa præcipua, propter quam aliqui in huiusmodi incidunt perniciosissimum affectum, est, quoniam nullam susceperunt medelam, quando morbus erat circa initia, quo tempore, vt dixit Hipp., omnia sunt mitiora: cui propterea conuenit, quod habet cap. 29. *Viro, qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus*. Et cap. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subita enim veniet ira Domini, & in tempore vindicta deperdet te.*

Cur aliqui aliquãdo incidãt in mortem repẽtinã corporis, atq; animæ.

APH.

APH. XLII.

Soluere Apoplexiam fortem impossibile, debilem verò non facile.

Apoplexiam debilem soluere non est facile, quoniam etiam, si affectus sua natura sit debilis, occupat tamen membrum nobilissimum, nimirum cerebrum, quod etiam subinde trahit in consensum aliud membrum non minus nobile, nempe cor. Consimile est, quod habet Sap. prou. cap. 1., postquam etenim descripsit illos, qui mentem habent auersam à disciplina, atque timorem Domini non suscipiunt, subdit, *Aduersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet eos*. Quod si dignoscere velis, quomodo sola causa externa possit inducere apoplexiam fortem, lege historiam, quæ habetur libro Iudith cap. 8, in quo narratur mors Manasses mariti Iudith, hunc in modum. *Vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordaceæ; instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est*. Quod potest nos inducere ad credendum ex vehementi æstu pronatam fuisse apoplexiam fortem, vel saltem, ex tribus debilibus, potentiorem; testatur experientia: siquidem obseruauimus nos, atque alij etiam præclari viri obseruarunt prius, nonnullos afferri ex messibus, in quibus suborta fuit apople-

Cur apoplexiam debilem soluere non sit facile.

Quomodo sola caussa externa possit inducere morbum maximum.

xia

xia obstructis meningibus, atque toto cerebro à conuocato in caput confertim sanguine; præcipuè autem id contingit quotiescumque in corpore internus præcedit apparatus.

APH. XLIII.

Qui strangulantur, ac dissoluuntur, nondum verò mortui sunt, non referuntur, quibus spuma circa os fuerit.

Qui nã possint à maximis corporis, atq. animi morbis liberari & qui non.

IN hoc aphorismo tradit Hippocrates notas, seu indicium illorum, qui suffocantur, quando scilicet referri possunt in vitam, & quando non. Non secus in Ecclesiastico cap. 31. tradit indicium diuitis, qui possit iustificari, & qui non. Inquit etenim. *Qui aurum diligit non iustificabitur, & qui insequitur consumptionem replebitur ex ea, multi ligati sũt gratia auri, & facta est in specie illius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium. Væ illis, qui sectantur illud, & omnis imprudens. deperiet in illo. Beatus est diues, qui inuetus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia, & thesauris: quis est hic, & laudabimus eũ? Fecit enim mirabilia in vita sua. Qui probatus est in illo, & perfectus est, & erit illi in gloria æterna. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit. Et ideo stabilia sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius*

lius narrabit omnis ecclesia Sanctorum. Est autem animaduertendum, quod in nostris probauimus commentarijs, Hippocratem respexisse in aphorismo, quod suis temporibus fieri consueuit, aliqui etenim serui, ob comissa scelera, strangulabantur à suis dominis, id quod, vt arbitror, respexit Sap. prou. 29. *Peccãtem virum iniquum inuoluet laqueus, & iustus laudabitur, atque gaudebit.*

Antiquorum consuetudo.

APH. XLIV.

Qui natura admodum crassi sunt, citius intereunt quàm qui graciles.

QVemadmodum athlethæ, de quibus aphorismo tertio primæ sectionis dictum est, non sunt à natura, sed ab arte, & vitæ quodam studio, vt in eius commentario dictum est; non secus tam illi, qui admodum sunt crassi, quam illi, qui graciles, tales à natura esse consueuerunt; his proportione quadam respõdent diuites, & pauperes, de quibus Sap. prou. cap. 22. *Diues, & pauper obuiauerunt sibi, vtriusque operator est Dominus.* Respondet inquã, quoniam idem cap. subsequenti post quam dixit. *Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quę sũt apposita ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo; si tamen habes in potestate animam tuam; ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij, statim subdit. Noli laborare vt diteris, sed pru-*

Illis, qui à natura sunt admodum crassi, atque gracilibus, quomodo proportione respondeant diuites, & pauperes

prudentiæ tua pone modum. Quasi velit med um quendam modum expetendum esse inter diuitias atque paupertates, iuxta illud vulgatissimum. *Neque diuitias, neque paupertatem dederis mihi, sed tantùm tribue necessaria*. Quod si percon-

Verū sit melius deflectere ad diuitias quàm ad paupertatem.

teris, quando mediocritas ad vnguem seruari non possit, vtrum sit melius deflectere ad diuitias, quam ad paupertatem, respondebit Christus Dominus, vt habetur cap. 20. actuum Apostolorum, quod, *Beatius est dare, quàm accipere*, quæ sententia videbitur prima

Difficultatem respondebitur.

fronte Hippocrati nostro aduersari, vel saltem sententiæ, quam illi analogam esse pronunciauimus. Verùm si accuratè consideres, non aduersatur, quoniam Hippocrates supponit in aphorismo, illos, qui natura sunt admodum crassi, citiùs interire, quam qui graciles, quoniã nullam sui habentes custodiam (cum tamen bona sua illis suspecta esse deberent) facilius illabuntur in mortem repentinam, quàm qui graciles; secus si sibi prospiciant, poterunt, proba instituta victus ratione, ad meliorem habitum deduci; nam quemadmodum in nostris animaduertimus cõmentarijs exẽplo morbi comitialis indicauit aphorismo subsequenti, posse quemlibet morbum habitualem ad meliorem statum deduci, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque. Quem aphorismum ad verba Seruatoris trasferentes, videbimus, illa sibi voluisse. Beatius esse dare, quàm accipere,

pere, quoniam supponit illum, qui dat, esse diuitijs onustum, atque consequenter posse illarum portionem largiendo indigentibus, talem deponere sarcinam, quæ fiat cum conferentia, atque tolerantia.

APH. XLV.

Quicumque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporis, & locorum, & victuum quoque liberantur.

Epilepsiæ notæ, & qui animi morbus illi proportione respondeat.

Est morbus comitialis conuulsio quędam, in qua non modò contorquẽtur oculi, verum etiam tota facies; cui perniciosissimo affectui proportione respondet, quod habet Ecclesiasticus cap. 14., quando inquit. *Nequam est oculus liuidi, & auertens faciem suam, & despiciens animam suam. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis, non satiabitur, donec consumat, arefaciens animam suam: oculus malus ad mala*. Et quemadmodum epilepticus, seu comitialis non sanatur ijs validissimis præsidijs, quæ alijs magnis morbis opem ferre consueuerunt, subdit Sirachius. *Et non satiabitur pane indigens*. Et quemadmodum ex Hippocrate epileptici fiunt melancholici; non secus subdit Sirachius: *Et in tristitia erit super mensam suam*. Est autem animaduertendum, quod quemadmodum Dæmon potest melancholicos maximè agitare, ipso

Quomodo possit Dæmon melãcholicos agitare.

ipso melancholico humore, tamquam instrumento, vtendo, vt sectione sexta demonstrabimus; non secus potest excitare epilepsiam, (fiunt etenim melancholici etiam epileptici) id, quod non ignorarunt antiquissimi, qui ante Hippocratis tempora id ipsum indicarunt, si quidem idem dictator libello de morbo sacro de epilepsia verba faciens, hæc haber; *Cœterum qui primi hunc morbum sacrum pronunciarunt, tales mihi fuisse videntur, quales etiam nunc sunt magi, & expiatores, & circulatores, qui se vehementer pios simbulabant, & amplius quid scire; hi itaque consilij, atque mentis inopes, praetexentes diuinitatem, cum nihil haberent, quod exhibitum prodesset, vt ne manifesta fieret eorum ignorantia, sacram esse hanc affectionem pronunciarunt, & rationibus idoneis collectis, curationem constituerunt sibi ipsis securam, expiamenta offerentes, & incantamenta.* Quibus verbis quamuis Hipp. reijciat remedia, quibus huic morbo obstitere studebant, non tamen negat hunc affectum à Dęmone excitari posse. Iam verò à Dęmone agitabatur ille, de quo fit mentio cap. 9. Diui Marci, quando inquit. *Et attulerunt eum, & cum vidisset eum, statim spiritus conturbauit illum, & elisus in terram volutabatur spumans.*

Antiqui magi qui ex Hipp.

Epilepticus de quo D. Marcus.

APH.

APH. XLVI.

Duobus doloribus simul non eundem locum infestantibus, vehementior alterum obscurat.

HVic analogã sententiam Sirachius pronunciauit cap. 31. quando inquit. *Cogitatus præscientiæ auertit sensum, & infirmitas grauis sobriam facit animam.* Est autem animaduertendum, quemadmodum in nostris diximus commentarijs, præsentem aphorismum posse intelligi non minus de doloribus ad animum attinentibus, quàm de illis, qui soli corpori tribuuntur, adeo scilicet vt maior animi dolor minorem obscuret, vtriusque tamen dolor sedatur etiam lætitia, sic etenim Sirachius cap. 31. *Exultatio animæ, & corporis vinum modera è potatum, sanitas est animæ, & corpori sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit; amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietas, animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.*

Vehemẽtior dolor tam animi quã corporis minorẽ obscurat. Animi dolor vt sedatur lætitia.

APH.

APH. XLVII.

Dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm ipso iam confecto.

Quomodo non omnes dolores existunt mali.

EX hoc aphorismo colligitur, non omnem dolorem esse malum, sed aliquando, adueniente dolore denunciari ipsam naturam quodammodo vincere, atque domare causam morbosam; siquidem huiusmodi suppuratio non finit materiam longo temporis spacio fieri rebellem, atque insuperabilem, vt qualis præcipuè est scirrosa; est etiã talis suppuratio bona tanquã signum, quoniam demonstrat materiam non esse malignã; hæc etenim nulla ratione potest domari ab ipsa natura, alioquin morborum medicatrice. Plurima habentur in sacris literis, quæ demonstrãt D.O.M. multoties nobis dolores, atque molestias inferre, vt latentia, atque stabulantia in nobis vitia excernantur, quibus excretis cessant dolores, atque labores; hæc autem sunt varijs sententijs expressa, quemadmodum in progressu operis videbimus.

APH.

APH. XLVIII.

In omni corporis motu, vbi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert.

Lassitudo duplex spõtanea & non spõtanea. Illi quæ prouenit ex labore sentẽtia quadrat aph. analoga.

SI lassitudo non prouenerit ex interno apparatu morboso, sed ex labore externo, illam statim auferre poterit quies, præcipuè quæ fit in somno, quod animaduerterat Sap. Ecclesiastes cap. 5., quando inquit. *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire*. Sirachius verò in cap. 31. indicat quietem, quæ aufert lassitudinem ex labore, & illam, quæ non aufert, quando innuit. *Laborauit diues in congregatione substantiæ, & in requie sua replebitur bonis suis. Laborauit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit*. Videbitur tamen alicui hunc aphorismum aduersari ijs, quæ habentur in Ecclesiastico, sic etenim habetur cap. 31. *In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi*. Videtur inquam aduersari, quoniam in præsenti aphorismo Hipp. damnat nimiam defatigationem. Verùm respondemus nullam esse contrarietatem, quoniam Sirachius per velocem non intelligit præcipitem in laboribus, sed illum, qui non sit piger, quemadmodum aphorismo 5. huius sectionis demonstratum est.

Apparẽs cõtradictio soluitur.

APH.

APH. XLIX.

Qui consueti solitos labores, etsi fuerint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus, atque iuuenibus facilius ferunt.

Consuetudo altera natura.

EX hoc aphorismo elicitur consuetudinem esse alteram naturam, quando præcipuè longa fuerit, quod prius admonuerat Sap. prouerb. 22., quando inquit. *Prouerbium est. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Maximè verò adhuc aphorismum explicandum confert, quod habetur libro Iudith cap. 8., in quo narratur Manassem eius virum ex diutina mora sub sole interijsse, quod tamen ipsis messoribus non euenit, quoniam scilicet erant assueti. Sic etenim habetur. *Vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ; instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est.* quem locum ad aliud institutum alibi proponimus.

Manifesto exẽplo demõstratur.

APH.

APH. L.

Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. Oportet igitur ad insueta permutari.

QVamuis quæ longo tempore consueta sunt, etsi deteriora sunt, insuetis minus molestare soleant; iubet tamen Hippocrates vt paulatim deuitentur. Quinimo admonet Sap. ne in illis assuescamus, sic etenim habetur prouerb. 22. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Cæterum quemadmodum ex his colligitur consuetudines bonas esse retinendas; non secus habetur prou. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui,* &c. 27. *Sicuti auis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum. Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris.* Causa verò propter quam, quæ longo tempore consueta sunt, etsi deteriora, insuetis minus molestare soleãt, est quoniam carnes ex prædictis alimentis nutritæ, atque efformatæ fuerunt; iam verò quodlibet nutritur à simili, quod etiã habetur in Ecclesiastico cap. 13. *Omne animal diligit sibi simile, sic & omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi*

Demonstratur non esse in prauis assuescẽdum.

Cur mala cõsueta sint minus molesta.

I

sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur. Sicut comunicat Lupus agno aliquando, sic peccator iusto; quæ communicatio sancto homini ad canem, aut quæ pars bona diuiti ad pauperem? Venatio Leonum onager in eremo, sic & pascua sunt diuitum pauperes, & sicuti abominatio est superbo humilitas, sic & execratio diuitis pauper. Et c. 27. *Volatilia ad sibi similia conueniunt, & veritas ad eos, qui operantur illam, reuertetur.*

APH. LI.

Plurimum, atq; repentè euacuare, vel replere calefacere, vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniam omne nimiū est naturæ inimicum: sed quod paulatim fit, tutum est, tum aliàs, tum quum ab altero ad alterum transitus fit.

PLurimum, atq; repentè replere esse malum, atque naturæ inimicum, quod autem paulatim fit, tutum esse, suo more animaduertit Sap. prou. 13. *Substantia festinata minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu multiplicabitur.* Et 20. *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit.* Et 23. *Noli laborare vt diteris, sed prudentiæ tuæ pone modum.* Et 28. *Qui conseruat diuitias vsuris, & fœnore liberali, in pauperes congregat eas. Vir fidelis*

Omnis nimia repletio mala.

delis multùm laudabitur, qui festinat ditari, non erit innocens. Vir, qui festinat ditari, & alijs inuidet, ignorat quod egestas superueniet ei. Prædictum autem aphorismum longè euidentiùs declarat, quod habetur cap. 30. *Qui fortiter premit vbera ad eliciendum lac exprimit butyrum, & qui vehementer emungit, elicit sanguinem; & qui prouocat iras, producit discordias.*

Idem de nimia inanitione declaratur.

APH. LII.

Omnia secundum rationem facienti, si non succedat secundum rationem, non est transeundum ad aliud, stante eo, quod à principio visum est.

ALiquando omnia secundum rationem facienti, non succedit secundum rationem, quoniam sic vult. D.O. M., namque vt habetur prouerb. 21. *Non est sapientia non est prudentia, non est consilium aduersus Dominum. Equus paratur ad diem belli; Dominus autem salutem tribuet.* Operanti autem omnia secundum rationem, ad alia non esse transeundum animaduertit Ecclesiasticus cap. 5., quando inquit. *Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui, & scientia, & prosequatur te verbum pacis, & iustitię.* Neq; nos terrere debet, quòd aliqua præter rationem eueniant, quod considerauit Sap. in Ecclesiaste cap. 7. *Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua,*

Cur operanti secundum rationem aliquãdo secundū rationem non succedat.

Demonstratur tamen non esse ad alia transeundū.

sua. Sic etenim habetur in Ecclesiastico cap. 4. *Pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos*. Et cap. 22. *Cogitatus sensati in omni tempore, vel metu non deprauabitur. Sicut ornatus arenosus in pariete limpido, & sicut palea in excelsis, & camenta sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui omni tempore non metuet; sic & qui in præcepto Dei permanet semper*. Rursus constantem debere esse medicum exemplo à Sirachio proposito persuaderi potest, sic etenim habetur in Ecclesiastico cap. 26. *Columna aurea super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris. Fundamenta æterna supra petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sancta*. Et cap. sequenti. *Homo sensatus in sapientia manet sicut Sol; nam stultus sicut Luna mutatur*. Et cap. 33. *Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. Præcordia fatui quasi rota carri, & quasi axis versatilis cogitatus illius*. Et cap. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.*

Atque proinde medicũ debere esse constantem demonstratur, atq; eius constantiæ fundamentum stabilitur.

APH.

APH. LIII.

Quicunque aluos humidas habent, siquidem iuuenes fuerint, meliùs degunt his, qui siccas habent. Ad senectutem verò deteriùs degunt: nam senescentibus magna ex parte exiccantur.

SI senes deterius degunt, eo quod aluus magna ex parte illis exsiccatur, hinc tenemur addiscere, ne sint proni ad multum ingerendum, quando pauca admodum excernunt. Est etenim ventris segnities totius corporis confusio. Cui proportione respondet quod habetur in Ecclesiastico cap. 4. *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta*. Quod verò habetur in postrema aphorismi particula, *nam senescentibus magna ex parte exiccatur*, dictum est ab Hippocrate, vt significaretur, id non esse perpetuum, quamuis etenim senescentes omnes aliquali humido substantifico sint destituti, quemadmodum in ipsis plantis est videre; cõtingit tamen aliquando senescentes inter reliqua naturæ dona hoc obtinere, quod illis aluus sit fluida, cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.*

Cur senes vt plurimũ deterius degant, quã iuuenes.

Cur dixit Hip. magna ex parte.

 APH.

A P H. LIV.

Magnitudo corporis iuuentæ quidem, nec indecens, nec illiberalis: senectæ verò inutilis, & deterior paruitate.

Cur magnitudo corporis sit iuuẽtæ neque indecẽs, neque illiberalis.

CAusa propter quã magnitudo corporis iuuentæ quidem sit nec indecens, neque illiberalis, est quoniã iuuenis, dummodo non sit infirmus, est fortis, & consequenter bene sustinet corporis magnitudinem; quam senex, ob imbecillitatem, non valet sustinere; atque proinde senectuti euadit inutilis, atque deterior paruitate; quod aliquatenus indicauerat Sap. prou. 20., quando inquit. *Exultatio iuuenum fortitudo eorum.* Et quemadmodum senectæ magis est accommodata corporis paruitas, quàm magnitudo; non secus senectuti magis est decens canities, quam illa penitus carere; atque id propterea subdit. *Et dignitas senum canities.* Est autem animaduertendum, quod ad corporis magnitudinem, refertur magnitudo gigantea, quam inter reliquos, vidit Senogaliæ Amatus Lusitanus; nos etiam vidimus nostro hoc æuo in hac augustissima Venetiarum Vrbe Antonium Pancettã, medicum non vulgarem, qui omnium hìc degentium hominum longitudinẽ multùm excedebat, adeo vt & ipsum giganteam habere magnitudinem dicere possemus. Inter reliquas historias, quæ de

Antonij Pancettæ gigantea magnitudo.

de gigantibus faciunt mentionem, illa extat admiranda, quæ habetur c. 6. Geneseos, hunc in modum. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis postquã .n. ingressi sunt filij Dei ad filias hominũ, isti sunt potentes à seculo viri famosi.* Existimarũt aliqui hìc filios Dei vocari Dæmones, siquidẽ c. 1. libri Iob ita habetur. *Quadam die cum venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, affuit etiam inter eos Sathan,* atq; proinde existimãt Dæmones ex quodã facto cõcubitu cũ mulieribus ante diluuium progignuisse gigãtes; quidquid huius sit sententiæ, atq; de illius veritate, nos id Theologis pensiculãdum relinquimus, memores illius vtilissimæ sententiæ. *Ne sutor vltra crepidam.* Quamuis autem Hipp. aph. 35. huius sectionis demonstrauerit quid portẽdat crassitudo, vel extenuatio dimidiæ corporis partis, atq; aph. 44., quid portẽdat nimia crassities, vel gracillitas totius corporis, atq; in præsenti aph. quid prædicendum ex magnitudine, vel paruitate; dubitabit tamen aliquis, cur cũ aph. tam magnam habeant ad sacras sententias analogiam; atq; in illis tã multæ habeantur ad physiognomiam attinentes (quemadmodum in Ecclesiaste c. 8. & in primo Paralipomeni c. 1 :. atq; libro Iob c. 37. atq; alijs pluribus in locis) cur inquam nullus extet aphorismus similiter ad physiognomiam attinens. Augetur difficultas eo quod ipse dictator hanc contemplationem alibi non prætermiserit, quemadmodũ libro secundo Epide-

Gigantũ historiæ quæ habẽtur in sacris.

Cur Hip. nullum cõscripserit aphorismũ ad physiognomiã attinentem.

miorum. *Quicunq; ruffi, naso acuto, oculis paruis, mali.* Et Rursus. *Magni, calui, balbi, gracili vocẽ prediti, boni.* Rursus. *Caput magnum, oculi parui, balbi, iracũdi sunt.* Et rursus. *Oculi nictantes, iracundi.* Et rursus *Magnum caput, oculi nigri, & magni, nasum crassum, & simum habentes, boni.* Cui quæsito respondemus, hos ipsos præcitatos aphorismos tacito quodam modo ad physiognomiam pertinere; nam præterquam quod animi mores sequuntur corporis temperaturam, in hoc etiam præsẽti aphorismo aliquid magis manifestè ad physiognomiam attinens continetur, siquidem quod dicitur, *inutilis, & deterior paruitate*, significat malum, non modò ad euentum, verùm etiam ad mores.

Finis secundæ Sectionis.



APHORISMORVM HIPP.

SECT. TERTIA.

APH. I.

Mutationes temporum potissimum pariunt morbos: & in quibusdam temporibus magnæ mutationes, aut frigoris, aut caloris, & alia pro ratione eodem modo.



MAXIMO quidem artificio adhibuit Hippocrates verbum, *pariunt*, siquidem morbi, qui iam per multum ante tempus fuerunt concepti, tandem nascuntur, qualibet magna data occasione; prçcipuè verò ob temporum mutationes, quod animaduertit Ecclesiasticus cap. 5. quando inquit. *Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiatu peccatorum noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum & ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; miseri-*

Cur Hip. adhibuerit verbũ pariunt.

Mutationes temporum proueniunt à Deo.

cordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores proximat ira illius. Huiusmodi autem temporum mutationes prouenire à Deo, vt nos arbitramur, indicauit Hipp. præsagiorum textu 7. quãdo inquit. *Quum etiam si diuinum quidpiam morbis inest, huius quoq; prouidentiam perdiscere, sic enim optimo iure, & admirabilem, & bonum se prestabit medicum: quos enim superstites fore cognouerit, eos rectius quoque seruabit, vtpote ex multo tempore singula consulto perpendens: itaque morituros, victurosq; præsentiens, atque denuncians, omnem prorsus calumniam vitabit*. Verùm id didicit præcipuè ab eodẽ in Ecclesiastico c. 18., quando inquit. *A mane vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei. Homo sapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attendit ab inertia*. Verùm quomodo hæc, atque reliqua meteora dirigantur à Dei voluntate, vberiùs explicabimus aphor. 16. huius sectionis; interim est admirãdum sapientissimi Senis artificium, qui etiam si alibi monuerit medico esse considerandos astrorum ortus, & occasus, nimirum pleiadum, & arturi, aspectus Solis, atq; Lunæ; in hoc tamen aphorismorum opere, atque primùm in hac ipsa sectione, hæc ipsa tamquam pauci momenti prætermittit, demonstrans morborum varios prouentus esse potiùs prædicendos ex magnis temporum mutationibus præcipuè frigoris, aut caloris; quòd verò spreuerit astrologiam, atque

Cur Hip. astrorum ortus & occasus prætermiserit.

tutiorem prædicendi viam elegerit, fortasse didicit à Ieremia, qui cap. 10. sic habet. *Iuxta vias gentium nolite discere, & à signis cęli nolite metuere, quę timent gentes, quia leges populorum variæ sunt*. Et Esaias c. 47. *Defecisti in multitudine consiliorũ tuorũ; stent, & saluent te augures cœli, qui contemplantur sydera, & supputabant menses, vt ex eis annunciarent tibi ventura*.

APH. II.

Naturarũ hæ quidẽ ad æstatem, hæ verò ad hyemẽ bene, maleue se habẽt.

RAtio est, quoniã naturæ frigidæ ab æstate suscipiunt medelã, calidæ ab hyeme: cui videtur refragari, quod habetur in Ecclesiastico c. 13. quando inquit. *Pondus super se tollit, qui honestiori se comunicat; & ditiori te ne socius fueris, quid comunicabit cacabus ad ollam? quando .n. se collegerint, cõfringentur. Diues iniustè egit, & fremet; pauper autẽ læsus tacebit, si largitus ei fueris absumet te, & si nõ habuerit, derelinquet te*, & cætera, quę dicto cõtinentur capite; non tamẽ aduersatur, quoniã nõ negat pauperẽ debere seruire diuiti, atq; diuitẽ teneri nutrire pauperem; sed admonet consortiũ esse periculosũ, si quis in mediocri fortuna cõstitutus consortiũ habeat cum viro se longè ditiori, quapropter ille malè se habet ad ditiorẽ, atq; bene se habet ad sibi æqualẽ, siue parẽ, quemadmodũ ipse declarat, quando subdit. *Omne animal diligit sibi simile. sic & omnis homo proximũ sibi omnis*

Cur naturarum illæ quidem ad hyemẽ, illæ vero ad æstatẽ melius se habẽt.

Difficultati satisfit.

nis caro ad similē sibi coniungetur, & omnis homo simili sui sociabitur.

APH. III.

Morbi quoque alij ad alia benè, vel malè se habent, & quædam ætates ad tempora, & loca, & victus genera.

Sententia aphorismo similis.

Consimile quid habetur in Ecclesiastico cap. 37. *Fili in vita tua tenta animam tuam, & si fuerit nequam, ne des illi potestatem; non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.* Addit tamen, quod obscurè pronunciauerat Hipp. aphorismo 17. secundæ sectionis, nempe ciborum varietatē nemini esse proficuam, subdit enim. *Noli auidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam, in multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est adijciet vitam.*

APH. IV.

In temporibus, quando eadem die modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet.

Quomodo futura præuidentes

HIC, atque subsequentes etiam aphorismi ideo ab Hipp. fuerunt conscripti, vt prudens medicus futura præsentiens præcauere possit, quæ ignarus medicus præcauere nequit, quod innuit Sap. prouerb. 22. *Callidus videt malum, & abscondit se; innocens pertransit, & afflictus est damno.* Magis autem huic aphorismo sententiam analogam pronunciauit Ecclesiasticus c. 18., quando inquit *A mane vsq. ad vesperam immutabitur tempus, & hęc omnia citata in oculis Dei. Homo sapiens in omnibus metuit, & in diebus delictorum attendit ab inertia.*

possimus imminētia mala præcauere.

APH. V.

Austri auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quando huiusmodi tempestas præualuerit, talia in morbis patiuntur. At si Aquilonia fuerit; tusses, fauces, alui duræ, difficultates vrinæ, horrores, costarum dolores, & pectoris. Quando hæc tempestas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.

Sentētia aph. analoga.

CVm dixerit Hippoc. aph. primo, quod mutationes temporū pariunt morbos, hoc ipsum in præsenti, atque subsequentibus aphorismis etiam tradit de Ventorum mutationibus, id quod prius de licentiæ ventis pronunciauerat Sirachius cap. 5. quando inquit. *Non ventilles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam; sic enim peccator probatur in duplici lingua.* Cur austrinus ven-

Cur ventus australis sit calidus, & humid⁹, explicatur per caussam, & effectum.

ventus sit calidus, & humidus; aquilonaris frigidus, & siccus, non explicuit Hippocrates expressè, indicauit tamen implicitè, dum illorum effectus in aphorismo ob oculos nobis proposuit, quemadmodum in nostris demonstrauimus commentarijs; quod si velis dignoscere à priori, hoc est per suas causas, consule Sapientissimum Iob, id consimiliter aphoristicè demonstrantem cap. 37., quãdo inquit. ***Ab interioribus egreditur tempestas, ab arcturo frigus.*** Vocat etenim tempestates illas, quas communiter *temporales* vocare cõsueuimus, quæ scilicet fiunt per æstus fortes; è contra dicit frigus fieri ab arcturo, est verò astrũ, quod vocatur *vrsa maior*, atque proinde eandem vocat nunc cæli partem nomine illius astri, *arcturũ* quam nomine inde venientis vocauerat *aquilonem*, quę scilicet sep̃tẽtrio nuncupatur; cui opponitur illa mundi pars, quæ inter duos polos mũdi sita est, ab illis æquidistans, atq; ad mediũ diametri distans, quæ meridies nuncupatur, quam interiorẽ partem appellat; atq; proinde quando inquit, ***ab interioribus egreditur tempestas, & ab arcturo frigus***, significat quod à meridie, quæ est calidissima mundi pars, perflat auster ventus calidus, atq; à septentrione frigus; quoniam inde prouenit ventus aquilonaris. Neque verò huic sententiæ refragatur, quod habetur c. 3. Euangelij secundum Ioannem. ***Spiritus vbi vult, spirat, & vocem eius audis, neq; scis vnde venit, neque quò vadit***; quando

Difficultati satisfit.

do etenim inquit ***neq; scis vnde venit***, intelligit de terræ parte determinata; quoniam scilicet vndequaque terra effumet, potest exoriri ventus; quamuis autem eius audiamus sibilum, atq; sonitum, nõ tamen dignoscimus determinatam partem, vnde prouenit. Esse autem hanc explicationem veritati consonam, colligitur ex Arist. lib. 2. meteororum cap. 5., ibi etenim inquit. ***Auster quidem à solstitiali fertur signo, neque ab alteris septemtrionibus.*** Est autem animaduertendum, sapientissimum virum non fuisse contẽtum explicasse ventorum naturas per suas causas, verùm etiam eius qualitates expressisse per suos effectus, quod solum præstitit, vt vidimus, Hipp. inquit etenim in eodem capite. ***Flante Deo*** (hoc est per aquilonarem ventum) ***concrescit gelu, & rursus latissimè funduntur aquæ***, scilicet flante austro, atque paucis interpositis subdit. ***Non ne vestimenta tua calida sunt, cum perflata fuerit terra austro?***

APH. VI.

Quando æstas sit veri similis, sudores in febribus multos expectare oportet.

VER sua natura est calidum, atque humidum, cui si succedat æstas similis, maxima progignitur humidi putredinosi congeries, vnde febres, atque sudores multi. Atque proinde huic

Sentẽtia aphorismo analoga.

huic respondet, quod habetur prouerb. 29. *In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scellera, & iusti ruinas eorũ videbunt.* Est autem animaduertendum, ideo compulsum fuisse dictatorem hũc conscribere aphorismum, quoniam aliqui videntes ver esse saluberrimum, & minimè exitiale, quemadmodum ipse indicabit paulò post, possent existimare, quod ob eandem rationem, si æstas sit veri similis, non sint expectandi morbi: in præsenti etenim admonet, non modò esse expectandas febres, verùm etiam indicat quæ nam in illis sint expectanda symptomata. Cui respondet quod habetur in Ecclesiastico cap. 11. *In die bonorũ ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum, quoniam facile est coram Deo in die obitus retribuere vnicuique secundum vias suas.*

Hip. artificium aperitur.

APH. VII.

In siccitatibus febres acutæ fiunt, & si annus magna ex parte fuerit talis, qualem fecerit constitutionem, tales magna ex parte morbos oportet expectare.

IN siccitatibus, non modò expectare oportet morbos, de quibus in aphorismo loquitur Hipp., verùm etiam frumentaceorum, atque aliorum omnium, quæ ad probam nutritionem magis videntur necessaria, inopia. Quod prius admo-

Ex siccitatibus expectãdi non tantum morbi, verum etiã frumenta ceorum inopia.

admonuerat Ecclesiasticus cap. 18 *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem pauperis in die diuitiarũ. A mane, vsque ad vesperam immutabitur tempus, & hæc omnia citata in oculis Dei.*

APH. VIII.

In constantibus temporibus, quum tempestiuè tempestiua redduntur, morbi constantes, & boni iuditij fiunt. In inconstantibus autem, inconstantes, & mali iuditij.

IPse sapiens Ecclesiastes cap. 3. declarat quomodo tempestiuè tempestiua redduntur, quando inquit. *Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cœlo. Tempus nascendi, & tẽpus moriendi. Tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est. Tempus occidendi, & tempus sanandi. Tempus destruendi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus saltandi. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus custodiendi, & tempus abijciendi. Tempus scindendi, & tempus consuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus pacis.* Cum verò intempestiuè in-

Quomodo tempestiuè tẽpestiua reddãtur, & intempestiuè intempestiua.

intempestiuæ redduntur, apposito exemplo declaratur prou. 26. *Quomodo nix in æstate, & pluuiæ in messe, sic indecens stulto gloria. Nam sicut auis ad alta transuolans, & passer quolibet vadens: sic maledictum frustra prolatũ in quempiam superueniet.* Quomodo etiam in constantibus temporibus Dei iussu tempestiua tempestiuè reddantur, admonuit Sapientissimus Iob cap. 37. quando inquit. *Qui præcepit niui, vt descendat in terram, vt hyemis pluuijs, & imbri fortitudinis suæ.* Hyeme etenim pluuiæ consueuerunt esse moderatiores, atque sine impetu cadere; æstate verò cadunt largæ, & cum impetu magno, quas proinde dicit indicare Dei fortitudinem, quoniam scilicet hæc fiunt nutu Dei; à qua certè sapientia non abhorret Hippocratis doctrina, quemadmodum in explicatione aphorismi primi dictum est. Est autem animaduertendum, particulam illam, *qui præcepit niui, vt descendat in terrã,* significare, quod tẽpore hyemis tempestiua redditur, quoniã est in causa vt inter reliqua vtilitates, frumentum facilius enascatur, atq; augeatur, postquam terra satis fuit à pluuijs irrigata; quandoquidem in eodem capite subdit paulò post. *Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum. Quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas gubernantis voluntas duxerit, ad omne quod præcepit illis super faciem orbis terrarum, siue vna tribu, siue in terra sua, siue in quocunque*

Explicatur præcitatus locus Iob, verbis ex psalte regio desumptis.

loco

loco misericordiæ suæ eas iusserit inueniri; inseruit etenim tunc temporis nix tanquam operimentum, quo fouetur terræ calidum innatum, ad hoc vt frumentum, atque reliquæ fruges faciliùs augeantur, quod fortasse significatum fuit psalmo 14. *Qui dat niuem sicut lanam.* Quomodo autem nubes spargant lumen suum, varij varia dicunt; nos existimamus aquas pluuiales non esse luminoso quodam spiritu destitutas; nam prætequamquod ex aquis emergunt Castor, & Pollux, atque animalcula *noctilucæ* nuncupata, atque aquis in obscura nocte à remis agitatis quidam conspicitur splendor, quod ante nos alij eruditi viri animaduerterunt, id etiam est admodum rationi consentaneum, siquidem *natura spiritus, qui in frumento existens proportione respondet elemento stellarum,* quemadmodum indicauit Arist. libro secundo de generatione animaliũ cap. 3. non posset augeri, atque multiplicari, nisi pluuiæ aliquando desferrent lumen. Id verò eò magis videtur verosimile, quòd idem Iob subdit paulò post.

Quomodo nubes spargant lumen.

Nunquid scis quando præcepit Deus pluuijs, vt ostenderent lucem nubium?

APH.

APH. IX.

Autumno morbi acutissimi, atque exitiales maxima ex parte. Ver autem saluberrimum, & minimè exitiale.

Cur autumnus sit exitialis; at ver sit saluberrimum.

QVamuis verno tempore contingant morbi perniciosissimi, quos inferiùs recensebit Hippocrates; adueniunt tamen non ratione temporis verni, quod sua natura est saluberrimũ, & minime exitiale, sed ob coaceruationem factam autumno, atque hyeme, quemadmodum optimè animaduertit Gal. Causa verò, propter quam ver sit saluberrimum, est quoniam tũc Sol propiùs ad nos accedit, cuius moderatus calor adeo suscitat, atque adiuuat nostrum calidum innatũ per omnes solidas corporis partes disseminatum, atque ipsum etiam calorem influentem, vt inde vtrinque non leue suscipiat robur. Id proposuit (vt arbitror) Sapiens prouerbiorum cap. 20. *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Est etiam saluberrimum, quoniam verno tempore herbæ omnes, atque hollera replentur humido substãtifico, vnde pinguiora proueniunt animantia, quæ ad hominum alimoniam sunt idonea. Quod videtur indicasse c. 27. quando inquit. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbę virentes, & collectæ sunt*

Vere cur omnia pinguiora.

sunt fœna de montibus. Agni sunt ad vestimentum tuum, & hædi ad agri preciũ. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.

APH. X.

Autumnus tabidis malus.

PEr tabidos intelligendi, tum qui sũt actu tabidi, tum illi, qui ad hunc affectum sunt maximè propensi, quemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs; atque proinde tam his, quàm illis autumnus est malus: quoniã autumnus est omnium anni temporum pessimum; quemadmodum è contra ver est omnium saluberrimum; causa verò præcipua propter quam autumnus est pessimus; est quoniam conditiones habet veri ex diametro oppositas; quapropter ex illius conditionibus, quas in antecedenti demonstrauimus, has facillimè poteris haurire. Sciendum tamen tabidis posse comparari auaros, quinimo auaritia tabitudinem inducit. Sic enim habetur in Ecclesiastico cap. 10. *Auaritia nihil est scelestius; nihil est iniquius quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet quoniã in vita sua proiecit intima sua. Peccantem in animam suam quis iustificabit?* Euidentiùs autem describit cap. 40. quomodo malè operantes tabescant, inquit etenim. *Substantia iniustorũ sicut fluuius*

Per tabidos, qui nàm sint intelligẽdi.

Cur autumnus sit tabidis malus.

Auari comparãtur tabidis.

nius siccabuntur, & super tonitruum magnum in pluuia personabunt; in aperiendo manus suas latabitur, sic praeuaricatores in consummatione tabescent. Est inquam analoga hæc etiam sentẽtia, quoniam autumnus vt frigidus, & siccus calidum innatum multùm debilitat; vt tempus inæquale concitat fluxiones, vnde tabidi longè magis tabescunt.

APH. XI.

De temporibus autem, siquidẽ hyems sicca, & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum, & australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines (Græci ophtalmias vocant) & intestinorum difficultates, præcipuè verò mulieribus, & viris, qui natura sunt humidiores.

CVm, vt alibi nobis dictum est, ideo Hippocrates has nobis ob oculos ponat ventorum, atque temporum constitutiones, vt possimus præsagire, quæ morbis sint superuentura; videbitur huic aphorismo refragari Sapientis sententia in Ecclesiastes cap. 11., quando inquit. *Qui obseruat ventum, non seminat; & qui considerat nubes, nunquam metet.* Sed non aduersatur, siquidem statim subdit hanc renitentiam in solis pigris reperiri, inquit etenim. *Quomodo ignoras, quæ sit via spiritus, & qua ratione cõpingantur, ossa in ventre prægnantis: sic nescis*

Apparẽs contradictio soluitur.

nescis opera Dei, qui fabricator est omnium: mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis quid magis oriatur hoc, aut illud, & si vtrumque simul, melius erit.

APH. XII.

Si verò hiems australis, & pluuiosa, & serena fuerit, ver autẽ siccum, & aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver inest, ex quacũq; occasione abortiunt; quæ verò pariunt, imbecilles, & morbidos infantes pariunt; quare vel statim intereũt, vel tenues, & valetudinarij viuũt. Cæteris verò mortalibus difficultates intestinorum, & lippitudines siccæ fiũt; Senioribus autẽ destillationes, quæ citò interiment.

REcenset Hippocrates in præsenti aphorismo morbos prouenientes à vere sicco, & aquilonio quod succedit hyemi australi, & pluuiosæ. Cui non est absimile, quod habetur in Ecclesiastico c. 39. *Benedictio illius quasi fluuius inundabit, & quomodo cataclysmus aridam inebriauit; sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit; quomodo conuertit aquas in siccitates & siccata est terra, & via illius vijs illorum directe sunt, sic peccatoribus offensiones in ira eius. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis bona, & mala.* Cæterũ quamuis in præsenti aphorismo præ-

Sentẽtia aphorismo similis.

Signa quibus possimus tam serenitatẽ, quam tẽpestatem præsagire

prætermiserit signa, quibus possimus tam serenitatem, quàm tempestatem præsagire; illa tamen habentur cap. 16. D. Mathæi per hæc Domini verba. *Vespere facto dicitis, serenum erit, rubicundum enim est cœlum: & mane, hodie tempestas, rutilat enim triste cęlum.* Qua de re si vberiorem doctrinam exposcis, consule doctissimum Maldonatum.

APH. XIII.

Si verò æstas sicca fuerit, & aquilonia, autumnus verò pluuiosus, & australis, doloris capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines, atque grauedines, quibusdam autem & tabes.

Cur ventus aquilonaris sit frigidus & siccus, australis calidus & humidus

QVod ventus aquilonaris sit frigidus, & siccus; australis verò calidus, & humidus, per suos effectus, siue (vt dicunt logici) à posteriori indicauit Hippocrates, non modò in præsenti aphorismo, verùm etiam aphorismo 5. huius sectionis, quemadmodũ vidimus. Hunc eundem progrediendi modum videmus seruatum fuisse apud D. Lucam c. 12. *Nonne cum videritis nubem orientem ab occasu: statim dicitis nimbus venit, & ita fit: Et cum austrum flantem, dicitis: quia æstus erit, & fit.* Per quæ verba indicat Christus Dominus noster, austrum esse calidum, quoniam effectus pro-

producit calidos; nos verò id, ad vlteriorem doctrinam, declarauimus à priori, præclarorum virorum vestigijs inhęrentes, qui scilicet aiunt austrum esse calidum, quoniam flat à meridie versus septentrionem, meridiana etenim mundi pars abundat maximo calore inter reliquas mundi regiones, quapropter non est mirum, si hunc calorem allicit australis ventus. Aquilonaris autem ventus ob contrariam causam frigidus est, quoniam scilicet defertur aduersus ignẽ, & consequenter illum abigit. Aquilonaris etenim ventus non modò prouenit à frigidiori mundi regione, verùm etiã quoniam à frigidiori cœlo repellitur, & non effertur in sublime, sed decurrit iuxta terram, ac proinde humiditati aeris sublimioris minus admiscetur. Contra qui prouenit à calidiori mundi parte, effertur in mediam aeris regionẽ, vbi à vaporibus, cum quibus comiscetur, multam recipit humiditatem. Quod verò præmissum fuit in Euangelio. *Cum videritis nubem orientem ab occasu: statim dicitis nimbus venit.* Videtur illud esse propemodum, quod tertio Regum cap. 18., in quo habetur Eliam prophetasse Regi Achab futuram pluuiam post longam ariditatem, inquit etenim. *Ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat à mari*, hoc est à mari palestinæ, quod scilicet ad occasum situm est; cuius vlteriorem indaginem prætermittimus, quoniam ad prę-sens institutum non videtur attinere.

APH. XIIII.

Si verò aquilonius, & ſiccus, his, qui naturam habent humidiorem, & mulieribus confert; reliquis autem erunt lippitudines ſiccæ, & febres acutæ, & grauedines, nonnullis verò, & atræ biles.

IN hoc verò aphoriſmo recenſentur morbi prouenientes in autumno ſicco, & aquilonio, qui ſuperuenit æſtati ſimiliter ſiccæ, & aquiloniæ. Cum enim ſicca in vtroque tempore retineatur cōſtitutio, neceſſariò etiam debent ſiccæ naturæ in perniciosos morbos incidere. Quibus reſpondet, quod habetur in Eccleſiaſtico cap. 39. *Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt; beſtiarum dentes, & ſcorpij, & ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios: in mandatis eius epulabuntur, & ſuper terrã in neceſſitate præparabuntur, & in temporibus ſuis non præterient verbum.* Obijcies hanc ſententiam non eſſe aphoriſmo analogam, ſiquidē conſtitutio, de qua loquitur Sirachius, eſt omnino mala; illa verò, de qua loquitur aphoriſmus, eſt aliquibus vtilis, vt his, qui naturam habent humidiorē, & mulieribus. Verùm huic difficultati facillimè occurres, ſi conſideres, quod idem pronunciauit paulò ſupra, quando inquit. *Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic*

Sentētia aphoriſmo analoga.

Difficultati ſatisfit.

ſic & nequiſſimis bona, & mala. Subdit autem poſtmodum in fine capitis ſentētiam, quæ omnibus prauis temporum conſtitutionibus poteſt accommodari. *Propterea ab initio confirmatus ſum; & conſiliatus ſum, & cogitaui, & ſcripta dimiſi. Omnia opera Domini bona, & omne opus hora ſua ſubminiſtrabit; non eſt dicere, hoc illo nequius eſt; Omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur.*

APH. XV.

Ex anni autem conſtitutionibus, quod in totum dixerim, ſiccitates imbribus, ſunt ſalubriores, & minus mortiferæ.

VIdetur huic aphoriſmo aduerſari ſententia, quæ habetur in Eccleſiaſtico cap. 36. *Speciosa miſericordia Domini in tempore tribulationis: quaſi nubes pluuiæ in tempore ſiccitatis.* Non tamen aduerſatur, quoniam prædictæ ſententiæ non reſpiciunt vnum, & idem; aphoriſmus etenim reſpicit corporum ſalubritatem, atque proinde inquit ſiccitates eſſe imbribus ſalubriores, quod declarat, quando ſubdit, *& minus mortiferæ.* Sirachius autem reſpicit frugum penuriam, quæ neceſſariò ſiccitates conſequitur, quod ipſe declarat cap. 40., quando inquit. *Subſtantiæ iniuſtorum ſicut fluuius ſiccabuntur, & ſicut tonitruum magnum in pluuia perſonabunt.* Quomodo autem

Apparēs contradictio tollitur.

tem siccitates sint minus mortiferæ, ipse dictator explicat aph. subsequenti. Verùm quandoquidem ab initio nostrum fuit institutum demonstrare Hippocratis aphorismos magnam habere ad sententias sacras analogiam; percontabitur aliquis, cur dictator de constitutione nebulosa, quæ tamen & ipsa morbosa existit, nullam fecerit mentionem; iam verò de ipsa mentionem fecit Iob cap. 26. per hæc verba. *Qui tenet vultum solij sui, & extendit super illud nebulam.* Et Dauid. *Qui dat niuem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Cui difficultati respondemus, iure merito prædictam constitutionem prætermissam fuisse à dictatore, quoniam raro admodum tandiu perdurat, vt inde multi praui morbi, vel symptomata prouenire possint. Quæ responsio eò magis videtur rationi consentanea, quòd prædicti etiam sancti viri prædictas sententias pronũciauerint, ita vt magis cedant in Dei optimi laudem, quàm in nostrum detrimentum; nihil etenim aliud sibi volunt; nisi quod D. O. M. spargens nebulam sicut cinerem, operit vultum solij sui, ne scilicet aspiciatur. Aristoteles verò existimauit nubem caliginosam esse quidem nubem quandam sterilem, cum hoc tamen esse serenitatis causam. Interim ex ipsa serenitate, quatenus talis est, nullus morbus potest prouenire.

Cur Hip. de constitutione nebulosa ne verbũ quidem.

APH. XVI.

Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, & attoniti (quos apoplexias Græci vocant), & anginæ. In siccitatibus autem, tabitudines, lippitudines, articulorum morbi, stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum.

Etiam Sapiens prouerb. 28. cõsiderauit damna ex pluuiarũ multitudine prouenientia, quando inquit. *Vir pauper calumniat pauperes similis est imbri vehementi, in quo paratur fames.* Quoniam tamen ab initio dictum est, quod Hipp. per *diuinum in morbis*, considerauit temporum mutationes, morbos parturiẽtes, prouenire à Deo, quod etiam sexcentis sententijs priùs indicatum fuerat à Sapiente, atq; Sirachio. Animaduertẽdum, tandem post pluuiarum multitudinem, atq; morbos inde prouenientes, relucere eiusdem misericordiam Iridis signo, ab ipso Altissimo post diluuium constituto, vt c. 9. Genes., sic etenim habetur in Ecclesiastico c. 23. *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum; valde speciosus est in splendore suo: gyrauit cœlum in circuitu glorię suę, manus excelsi aperuerunt illum; imperio suo accellerauit niuem,*

Sentẽtia aphorismo anaga.

Dei Misericordia in pluuiarũ multitudine.

& accellerat corruscationes emittere iudicij sui; propterea aperti sunt thesauri & euolauerunt nebulæ sicut aues. Huc etiã spectat quod habetur c.26. Iob. *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non irrumpant pariter deorsum*. Capite vero 8. Geneseos proponit causam naturalem, qua vsus fuit Deus, vt cessarent pluuiæ, inquit etenim. *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ & clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cœli, & prohibitę sunt pluuiæ de cœlo*. Rursus c. 37. Iob hæc habentur. *Frumentum desiderat nubes, & nubes spargunt lumen suum, quæ lustrant cuncta per circuitum, quocumque eas gubernantis voluntas duxerit ad omne quod præcipit illis super faciem orbis terrarum, siue vna tribu, siue in terra sua siue in quocunque loco misericordię suę, eas iusserit inueniri*. Esse autem hæc omnia referenda ad Dei voluntatem subdit paulò post, quando inquit. *Nunquid nosti semitas nubium, magnas, & perfectas scientias?* Neque verò prædictis aduersatur, quod habetur apud Mathæum cap.5., nimirum, *Pluit super iustos, & iniustos*, quoniam scilicet misericordia Dei extenditur etiam ad iniustos, quo factum est, vt nuper citato loco Iob prædictæ misericordiæ fuerit facta mentio. Esse autem nostram hanc contemplationem Hippocraticæ sententiæ apprimè consentaneam manifestè dignosces, si perlegeris vtilissimũ opusculum eruditissimi Ioannis Stephani, quod scripsit, atque inscripsit de Hipp. Theologia.

Caussa naturalis qua cessant pluuiæ.

Apparẽs cõtradictio diluitur.

APH.

APH. XVII.

Quotidianæ autem cõstitutiones, aquiloniæ quidem corpora densant, & bene firma, & bene mobilia, colorAtiora, & melius audientia faciunt, & aluos exsiccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis prius obsederit, dolorem augent. Austrinæ dissoluunt corpora, & humectant auditum obtundunt, capita aggrauant, & vertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant.

Quamuis quotidianæ constitutiones Aquiloniæ aliquas humanis corporibus inferant noxas, quas retulit in præcedentibus, atque præsenti etiam aphorismo dictator, illarum tamen aliquas memorat vtilitates, quas priùs retulerat Sap. prou. 2., quando inquit. *Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem*. Est autem animaduertendum Hippocratem in vno, atque eodem aphorismo proposuisse vtriusque venti, aquilonaris scilicet, & australis iuuamenta, atque nocumenta, plura verò nocumenta, præcipuè verò australis. Quemadmodum etenim naturarum hæ quidem ad æstatem, illæ vero ad hyemem meliùs, vel deteriùs se habent, vt aph.2. dictum est; non secus de ventis est existimandum.

Constitutionis aquiloniæ vtilitates.

 Cæte-

Cæterum illi, quòd habet Hippocrates. quod austri auditum obtundunt, proportione respondet, quod habetur in Ecclesiastico c. 27 *Effusio sanguinis in rixa superborum, & maledictio illorum auditus grauis*. Habere autem quotidianas cõstitutiones aquilonias maximam exiccandi potentiam, colligitur ex cap. 14. Exodi, in quo habetur, quod ad siccandum vna nocte mare, vsus est vento vehementi, atque vrente; quamuis autem D. O. M. potuisset sola sua potentia hũc effectum producere, voluit tamen prædictam causam naturalẽ adhibere, quemadmodum passim in sacris literis est videre. Verùm cum hucusque tam multa dicta sint de magnis mutationibus frigoris, & caloris à temporum mutationibus prouenientibus; de varijs ventorum constitutionibus, de pluuiarum multitudine, atque siccitatibus, percontabitur iure merito aliquis, cur Hippocrates ne verbum quidem fecerit de tempestate grandinosa? Cui quæsito respondemus, dictatoris scopum fuisse in præsenti sectione demonstrare quæ nam sint constitutiones temporum, quæ morbos parere consueuerint, quemadmodum ipse in primo statim aphorismo nobis indicauit; iam verò constitutio grandinosa, præterquamquod non perdurat multum tempus, per se non excitat morbos, sed si fortasse excitat, id præstat per accidẽs, quatenus .s. aerem refrigerat; illius autem causa finalis est tantummodo ob peccatorum vltionem, quemadmodum &

Sentẽtia aph. analoga.

Quomodo constitutio aquilonia maximam habeat exiccãdi vim.

Cur Hip. de cõstitutione grãdinosa ne verbũ quidem.

& fulmina, atque alia huiusmodi, quæ nullum præstant commodum; id quòd ipse Dominus apud Iob cap. 38. animaduertit per hæc verba. *Thesauros grandinis aspexisti, quę pręparaui in tempus hostis, in diem pugnæ, & belli*. Euidentiùs in Ecclesiastico cap. 39. superius citato id explicatur per hæc verba. *Ignis, grando, fames, & mors; omnia hæc ad vindictam dicata sunt; bestiarum dentes, & scorpij, & serpentes, & romphea vindicans in exterminium impios*.

A P H. XVIII.

Per tempora anni, Vere quidem, & prima æstate pueri, & qui hos sequuntur ætate, optimè degunt, & sani sunt maximè. Aestate verò, & autumno, vsque ad aliquid senes: reliquum, autumno, & hyeme, qui mediam ætatem habent.

QVod ætates temperatæ, quales sunt puerorum, & adolescentum, conseruentur per anni tempora temperata; & quod illæ, quæ sunt intemperatæ, quales sunt iuuentus, atque senectus, corrigantur per anni tempora intẽperata, declaratur ab Hipp. in præsenti aphorismo. Non secus plura reperiuntur in sacris literis, quæ demonstrant D. O. M. illos in summa quiete, atq; mentis tranquillitate detinere, qui sunt cun-

Quemadmodum ver est ætati temperatæ analogum nõ secus vtiq; est analoga temperãtia.

continentes, atque temperati, iuxta illud vulgatum. *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat.* Plurima reperies ad hoc ipsum facientia in sacris literis, quæ breuitatis studio prætermittimus.

APH. XIX.

Morbi omnes quidem in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibusdam ipsorum, & fiunt, & excitantur.

Expenditur verbum excitantur quo vtitur Hip.

VErbum *excitantur*, quo in aphorismi fine vtitur Hippocrates, propriè significat aliquem morbum in aliquo quidem tempore fuisse progenitum, in alio verò excitatum, quemadmodum in subsequentis aphorismi declaratione fiet manifestum; quapropter licèt in vno fiat tempore, illius tamen exortus ad aliud tempus reseruatur; id quod etiam Ecclesiasticus animaduertit c. 28., quando inquit. *Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictã, & peccata illius seruãs seruabit. Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur; homo homini seruat iram, & à Deo quærit medelam.*

APH.

APH. XX.

Vere etenim furores, & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & anginæ, & grauedines, & raucedines, & lepræ, & tusses, & impetigines, & vitiligines, & pustulæ vlcerosæ plurimæ, & tubercula, & articulorum morbi.

Cum ver sit, saluberrimũ, quomodo tunc multi excitentur morbi.

QVomodo vere tot excitentur morbi, cum dixerit Hippocrates aph. 9. huius sectionis, Ver esse saluberrimum, & minime exitiale, in nostris declarauimus commentarijs. Interim animaduertimus aduentãtem veris calorem, atque ipsam etiam tunc tẽporis increscentem Solis lucem, maximam habere facultatem fundendi sanguinem, qui antea quiescebat, atque ipsum simul cum spiritibus vehementer agitandi; habere autem res externas maximam efficaciam ad mouendũ sanguinem, atq; excitandum furorem manifestè colligitur ex tauris, leonibus, atque alijs similibus animalibus, quæ visis palijs rubeis maximè irritãtur; idq; colligitur ex cap. 6. libri primi Machabeorum, vbi id præcipuè habetur de elephantibus per hæc verba. *Elephantis ostenderunt sanguinem vuæ, & mori ad acuendos eos in prælium.* Esse autem his animalibus spiritus agiliores, ex eo colligitur, quod sint ingeniosa, atque ad-

Sanguis quomodo à rebus externis moueatur.

 modum

modum docilia, quemadmodum nobis hîc Venetijs videre contigit anno 1654.

Cur Hip. primo loco propo fuerit furores.

Cæterum non fine maximo artificio Hippocrates in recenfendis morbis, qui vere contingunt, primo loco recenfuit furores, atque atras biles, tanquam horrendos, quod etiam non filuit Concionator cap. 27. *Ira, & furor vtraque execrabilia funt, & vir peccator continens erit illorum.* Eft autem fummopere animaduertendum videri Hippocratem fibi contradicere, fiquidem in præfenti aphorifmo plurimos recenfet morbos verno tempore prouenientes; cum tamen aphorifmo 9. dixerit. *Ver autem faluberrimum, & minimè exitiale.* Verùm animaduertant illi, qui in prædictos incidunt morbos, quod contingunt quidem in vere, non tamen ratione veris, quod eft faluberrimum, & minimè exitiale, fed ratione errorum, quos in alijs anni temporibus commifferant, vel ob reliquias à præcedenti autumno feruatas, quæ hyeme, tanquam animalcula in latibulis delitefcebant, atque poftmodum verno tempore fe fe manifeftant. Non fecus multi, ob aliqua priùs perpetrata fcelera, incidunt in ærumnas peffimas, & tamen non dignofcunt qua de caufa proueniant; fic etenim habetur c. citato. *Qui in altum mittit lapidem, fuper caput eius cadet; & plaga dolofa dolofi diuidet vulnera; & qui foueam fodit, incidet in eam; & qui ftatuit lapidem proximo, offendet in eo; & qui laqueum alij ponet, peribit in illo; facienti nequiffimum*

Apparēs contradictio foluitur.

fimum confilium, fuper ipfum diffoluetur, & non agnofcet vnde adueniat illi. Illufio eft improperium fuperborum, & vindicta ficut leo infidiabitur illi.

APH. XXI.

Aeftate autem nonnulli horum, & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ febres plurimæ, & quartanæ & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines, & aurium dolores, & oris vlcerationes, & genitalium putredines, & fudamina.

AEftiuum tempus eft adeo accommodatū ad producendos morbos, quos in aphorifmo recenfet dictator, vt ipfi etiam fani tunc temporis videantur febricitare, fiquidem tunc perfentimus totius corporis incalefcentiam, eiufdem laffitudinem, pulfus frequentes, atque ingentem fitim, quapropter dicto tempori accommodatum præfidium propofuit Sap. prou. 25. quando inquit. *Sicut frigus niuis in die meffis; ita legatis fidelis ei qui mifit eum, animam eius quiefcere facit.*

Aeftiuo tempori accōmodatum præfidiū.

APH.

APH XXII.

Autumno verò, & multi æstiui morbi fiunt, & febres quartanæ, & erraticæ, & lienes, & aquæ inter cutem, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & leuitates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ, & anhelationes (quas Græci asthmata vocant), ilei, morbi comitiales, furores, & atræ biles.

Cur autũno multi cõtingãt morbi perniciosi.

QVicumque morbi contingunt autumnali tempore, secundum magnam partem proueniunt ob multorum fructuum comestionem, atq; maximas compotationes, quæ æstiuo tempore fieri consueuerunt; quos ideo recenset Hippocrates, vt ab illis possimus præcauere, atque bona victus forma instituta ab illis præseruari. Consimile est quod admonet Sap. prou. cap. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem stertit æstate, filius confusionis.*

APH. XXIII.

Hyeme verò, morbi laterales, & pulmonis inflammationes, grauedines, atque raucedines, tusses, dolores pectoris, & laterum, atque lumborum, capitis dolores, vertigines, & apoplexiæ.

Cur hyeme vigẽt morbi ab Hippocr. descripti

CAusa, propter quam in hyeme præcipuè vigent morbi ab Hippocrate in aphorismo connumerati, est quoniam per illud tempus, quod est frigidum, & humidum, caput, cerebrum, atque pectus, quæ sunt partes frigidæ, redduntur imbecilles, est etenim frigidum prædictis partibus inimicum, quemadmodum in operis progressu demõstrabit ipse dictator. Quemadmodum verò hi morbi in quibusdam ætatibus, atque naturis excitantur ab hyemis intemperie frigida, & humida; non secus in alijs ætatibus, atque naturis calidis, facta ab ambiente frigido antiparistasi, errata quælibet in viuendi norma commissa facillimè tollerantur, hinc plurima consurgunt animi vitia, de quibus passim in sacris literis verba fiunt, quemadmodum in operis progressu demonstrabimus.

Et tunc etiã plurima excitentur animi vitia

APH. XXIV.

In ætatibus autem talia contingunt, paruis, & nuper natis puerulis oris vlcera (quæ Aphthæ vocantur) vomitus, tusses, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.

Hip. artificium aperitur.

NON sine maximo artificio Hipp. hos affectus, nuper natis contingentes, hoc ordine disposuit; siquidem, vt in nostris animaduertimus commentarijs, vnus ex prædictis affectibus alteri superuenit, quoniam vnus quodammodo alterius causa existit, namque aphthę possunt vomitus excitare, quoniam eadem causa, quæ aphthas progignit, potest etiam facultatem expultricem ad vomitum excitare; vomitum multoties tussis consequitur, quemadmodum hãc vigiliæ insequuntur, atque vigilias pauores; nihil etenim magis potest in nuper natis pauores excitare, quàm vigilia nocturna, prædicti autem pauores apti sunt lumbricos, siqui adsint, excitare; vnde pessima subscrescunt symptomata; sin minus per se ipsos deterrimos possunt affectus excitare, sunt autem motus epileptici, & conuulsiui; qui proinde quãdo contingunt, opinatur ignarum vulgus, præcipuè verò mulierculæ, id vel à fascinatione prouenire, vel saltem ab aliquorum aspectu, quem Lusitani vocant *oliado*, Itali verò *mal d'occhio*; quod verò non proueniant ob fascinationem, satis

Pauores in pueris quos affectus valeãt progignere.

satis superque à Vallesio comprobatum est in suo eruditissimo opere de sacra philosophia. Quapropter superest considerandum, an possint ab aliorum valido aspectu prouenire, etsi proueniant, quomodo id contingat. Prædictus Vallesius id constanter negauit, quoniam non videt quomodo per oculos possit deletheria aliqua qualitas transmitti, quæ prædictorum infantium spiritus inficiat, atque proinde opinatus fuit id prouenire, quoniam tunc temporis puerili sunt coloratiores, atq; nitidiores, adeo vt inciderint in habitum plethoricum, atque proinde cum non possint in eodem statu permanere, nec quiescere, reliquum est, vt progrediantur in deterius, quemadmodum constat ex aphorismo 3 primæ sectionis. Verùm his præclaris alioquin viris erat animaduertendum, prædictum aphor. fuisse conscriptum ab Hip. de nõ quolibet nitidiore habitu, sed tantũmodo de exercitatis, quales non sunt infantes; præterquamquod hi nuper nati euidenter admodum crescunt, atq; proinde cum plurima alimenti pars absumatur in augmentũ, non possunt ad illam plethoriã peruenire, quæ decidat in deterius; quemadmodum .n. in nostris animaduertimus commentarijs, non quilibet plenior corporis habitus est periculosus, sed ille magis, qui *in extremo consistit*. Præterquamquod prædictis viris erat animaduertendum, alios etiam infantes, qui pleniori non sunt præditi, ex aliorum aspectu maximè lædi consueuisse.

Vallesius conuellitur.

Eius rationi satisfit.

se. Existimamus igitur nos, prædictam læsionem ex aspectu prouenire posse, non quia inde proueniat fascinatio, vel quoniam ex aspicientis oculis fiat aliqua venefici spiritus extramissio; sed quoniã ex insolito aspectu maximè deterentur, vnde pauores dicti consurgunt, pessima symptomata inducentes, præcipuè circa cerebrum, quod in prædictis nuper natis maximè existit excrementitium. Quod si ex pauore fiat vigilia, tanto maior fit virium prostratio, atque augmentum morbi pessimi.

APH. XXV.

In progressu verò quum iam dentire incipiunt, gingiuarum prurigines, febres, conuulsiones, alui profluuia, & maximè quum caninos edunt dentes, & his præsertim pueris, qui crassissimi sunt, & aluos duras habent.

Dentium emmissio laboriosa

QVàm laboriosa sit humano generi dentium emmissio, in præsenti demonstratur aphorismo, siquidem hac emmissione tot consurgunt morbi, quot ab Hippocrate recensentur, quinimo & plures, cum dictatori satisfuerit, de præcipuis, atque magis frequentibus mentionem fecisse. Cæterum quemadmodum hæc ætas ob prædictam causam est prædictis morbis obnoxia, non secus ob parentum incuriam facil-

facillimè in non paucos illabitur animi morbos. Committuntur etenim non semel nutricibus plebeis, ebriosis, luxuriosis, rixosis, peruicacibus, contumeliosis, atque alijs pluribus vitijs obnoxijs. Hunc errorem deuitauit Hanna, vt habetur primo Regum cap. 1., quæ diu sterilis Samuelem peperit, atque vt ibi habetur. *Mansit mulier, & lactauit filium suum, donec amoueret eum à lacte.*

Cur ætas puerilis facillime in non paucos animi morbos illabatur.

APH. XXVI.

Quum verò iam magis adoleuerint, tonsillæ, & vertebræ, quæ in occipitio, ad interiora luxationes, crebri anhelitus (quos Græci asthmata vocant) calculi, lumbrici rotundi, ascarides, verrucæ (quas Græci acrochordonas vocant) satyriæ, stranguriæ, strumæ, & alia tubercula, sed præcipuè ante dicta.

Antecedens aphorismus adhuc declaratur.

QVemadmodum pueris, qui in aphorismo recensentur, morbi contingunt; non secus pueris aliud magis miserandum malum contingit, nempe animi morbus. Ne autem id contingat, hoc proponitur præceptum in Ecclesiastico c. 30. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, vt lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia. Qui docet filium suum, laudabitur in illo, & in medio domesticorum*

in

in illo gloriabitur. Qui docet filium suũ in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.

APH. XXVII.

Grandioribus autem, & iam accedentibus ad pubertatem plurima ex his, & febres diuturnæ magis, & ex naribus profluuia sanguinis.

Animi morbus pueris maximè familiaris. Eius validum præsidiũ.

INter alios animi morbos, qui sunt pueris magis familiares, est ille, quem simul cum accommodato præsidio proponit Sap. prou. 22., quando inquit. *Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit illam*, & cap. sequenti *Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim percusseris eum virga, non morietur. Tu virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis*. Et cap. 29. *Virga, atque correctio tribuit sapientiam; puer autem, qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ*. Signum autem futuræ eruditionis tradiderat c. 20.

Ex studijs suis intelligitur puer, si munda, & recta sunt opera eius; aurem audientem, & oculum videntem, Dominus fecit utrumque.

APH.

APH. XXVIII.

Plurimæ autem passiones puerulis iudicantur, nonnullæ quidem in quadraginta diebus, nonnullæ in septẽ mensibus, non nullæ verò in annis septem. Quædam verò iam ad pubem accedentibus. Quæ verò permãserint, nec in pubertate finierint, puerulis, aut fœminis quũ menstrua erumpunt, consenescere consueuerũt.

Hip. artificium aperitur.

EX præsenti colligitur aphorismo, quod quemadmodum morbi breues suos habent dies decretorios, non secus morbi longissimi suos habent annos decretorios; quod artificiosissimum senem impulit, vt de ijsdem simul in eodem loquutus fuerit aph. Cæterum quod pertinet ad annos decretorios, maxima est admiratione dignum, quod habetur apud Danielem cap. 4., in quo verba faciens de quadam regis metamorphosi, quasi in belluinam naturam, quemadmodum alibi declarabimus; tandem recenset sensum suum reuersum fuisse ad illum, atque ad honorem regni sui, decoremq; peruenisse, & figuram suam ad illum reuersam fuisse anno suæ ægritudinis septimo, quod tempus multis morbis est decretorium, quemadmodum in præsenti aphorismo demonstrauit Hippocrates. Cæterum quemadmodum multi morbi iudicantur pue-

Anni septimi decretorij admirandum exẽplum.

ris,

ris, quando ad pubertatem peruenerint, aut fœmellis, quando secundum naturæ leges menstrua eruperint. Non secus animaduertit Sap. prou. 29. *Verbum custodiens filius, extra perditionem erit*. Et quemadmodum morbi, qui in pubertate non finierint puerulis, aut fœminis, quũ menstrua erumpunt, consenescere consueuerunt; nempe ob magnum aliquod internum vitium. Non secus inquit Ecclesiasticus cap. 11. *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt; qui autem exultant in malis, consenescunt in malo*. Cæterum percontaberis cur non dixerit Hippocrates, aliquas passiones indicari puerulis, vel septem, vel quatuordecim, vel viginti diebus, sed tantummodo quadraginta diebus. Quod spectat ad decimum quartum non est difficilis responsio, siquidem morbi, qui decimum quartum diem attingunt, secundum magnam partem sunt acuti, quos ætas infãtilis perferre nequit, atque proinde cũ rarò admodum terminentur ad bonum, de illis nullam mentionem fecit dictator. Quod spectat ad vigesimum, de illo nullam mentionem fecit, quoniam aliquatenus diei quadragesimi naturam sortitur, qui etenim pertranseunt decimum quartum diem, vt plurimum perueniunt ad quadragesimum, id quod ipse dictator significare visus est, quando etenim dixit, *plurimæ autem passiones* quodãmodo nobis indicare voluit, paucas aliquot ante quadragesimum iudicari posse. Maior est difficultas de die septima.

Cur aliqui morbi nõ terminẽtur pueris in pubertate.

Quæsito fatisfit.

septima. Nihilominus, etiamsi illi posset quadrare responsio, quam de die quartadecima proposuimus, aliam tamen longè tutiorem proponemus, est verò, quod antequam exactus sit dies septimus, parum constat, an fœtus sit perfectus, & vitalis, an imperfectus, & abortiuus, quemadmodum quotidiana, testatur experientia; id quod non ignorauit Aristoteles, qui capite vltimo libri secundi de historia animalium sic habet. *Plurimi, antequam exactus sit dies septimus intereunt, & hanc ob causam tunc nomina imponuntur, tanquam salutì iam pueri magis credamus*. Videtur autem vterq; respexisse decretum, quod habetur capite duodecimo Leuitici. *Mulier si concepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ, & die octauo circumcidetur infantulus*.

Locus Leuitici explicatur.

APH. XXIX.

Adolescentibus autem sanguinis sputiones, tabes, febres acutæ, morbus comitialis, & alij, sed præcipuè antedicti.

HOs omnes morbos iuuenibus prouenire ex erroribus in viuendi norma, in nostris demonstrauimus commẽtarijs, id quod aliquatenus indicauit Sapiens Ecclesiastes cap. 11., quando inquit. *Lætare ergo iuuenis in adolescentia*

Cur adolescentibus lethales morbi cõtingant.

tia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tua, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quod pro omnibus ijs adducet te Deus in iudicium. Et cap. sequenti. *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua, adolescentia enim, & voluptas vana sunt*. Et Ecclesiasticus cap. 18. *Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere: si prestes animę tuę concupiscentias eius, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Prædictos autem morbos, præcipuè tabitudinem, secundum magnam partem prouenire ex ira diù in pectore reseruata animaduertit idem c. 28., quando inquit. *Homo homini reseruat iram, & à Deo quęrit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse, dum caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro delictis illius? Memento nouissimorũ & desine inimicari; Tabitudo enim, & mors imminent in mandatis tuis*. Esse autem iuuenes ad iram, & consequenter ad tabitudinem, reliquis magis propensos, ipse indicauit paulò post, quando subdit. *Homo enim iracundus incendit litẽ, & vir peccator conturbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit inimicitiam; secundum .n. ligna sylue, sic ignis exardescit; & secundum virtutem hominis. sic iracundia illius erit; & secundum substantiam suam exaltabit iram suam*. Et cap. 31. *Vigilia diuitiarum tabefaciet carnes, & cogitatus illius aufert somnum*.

Tabitudo vnde prouenire cõsueuerit.

APH.

APH. XXX.

Vltra hanc ætatem asthmata, (idest crebri anhelitus), morbi laterales, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardores, diuturnæ profluuia, choleræ, difficultates intestinorum, læuitates intestinorum, hæmorrhoides.

SI contuleris morbos consistentis ætatis, qui in pręsenti recensentur aphorismo, atque senectutis, qui habentur aphorismo subsequenti, ad illos, qui contingunt iuuentuti, de quibus in antecedenti dictum est; reperies esse longè plures, atque longè deteriores, atque magis periculosos. Quod considerans Sap., hortatur iuuenes, vt lætentur in iuuentute sua Ecclesiastes cap. 11., quando inquit. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre Solem. Si annis multis vixerit homo, & in ijs omnibus lętus fuerit meminisse debet tenebrosi tempori, & dierum multorum qui cum venerint, vanitatis arguentur preterita. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tua, & ambula in vijs cordis tui & in intuitu oculorum tuorum, & scito, quod pro omnibus ijs adducet te Deus in iudicium*. Quibus videtur suadere, esse quidem in iuuentute lætandum, bene tamen viuendum, ne vltra hanc ætatem in pernicio-

Morbi ætatis cõsistentis, atque senectutis lõgę plures, quã in iuuentute.

Quatenus sit gaudẽdũ in iuuentute.

L sissimos

sissimos animi morbos incidamus, id quod ipse indicat capite subsequenti, quemadmodum in eius enarratione manifestum fiet.

A P H. XXXI.

Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, vrinæ stillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, vertigines, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigiliæ, alui, oculorum, & narium hũmiditates, visus obtusus, glaucedines, auditus graues.

Morbi ex ipsa senectute absq. errore externo prouenientes.

QVemadmodum in reliquis ætatibus morbi, qui contingunt, magna ex parte proueniunt, non ex ipsa ætate, sed ex erroribus, qui committuntur in viuendi norma; non secus qui contingunt in senectute, maxima ex parte ex ipsa proueniunt ætate; est enim senectus ipsa morbus, id quod aliquatenus indicauit Sapiens Ecclesiastes c. citato in antecedenti enarratione. Cæterum quemadmodum senex in aphorismo narrat morbos, qui senes ducunt ad interitum; non secus Sapiens cap. 12. ipsum describit interitum hunc in modum. *Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuę, antequam veniat tẽpus afflictionis tuæ, & appropinquẽt anni, de quibus dicas, non mihi placent. Antequam*

Quomodo in ipsa senectute quę libet corporis partes paulatim ducantur ad interitũ.

tequam

tequam tenebrescant sol, & lumen, & stella, & luna, & reuertantur nubes post pluuiam. Quando commouebuntur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & ociosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina, & claudent ostia, in platea, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis. Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in via. Grauabitur dorsum: dissoluetur libido, quoniam ibit homo in domum æternitatis suę, & circuibũt in platea plangentes. Antequã rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vita aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam, & reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Est autem admirandum, quàm concordi passu progrediantur Sapiens, atque ipse etiã Sapientis æmulus Hippocrates, siquidem recensent causam mortis naturalis, est verò facultatum omnium paulatina diminutio, atque tandem illarum etiam omnimoda ablatio, quæ nihil est aliud, quàm prædictus naturalis interitus, quinimo & huiusmodi causæ causam magis phisicam iam tradiderat aphorismo 14. primæ sectionis, quando inqnit. *Senibus parum calidi innati inest*, & in fine aphorismi. *Frigidum enim eorum corpus*, atque huius etiam causæ adhuc magis superiorem causam, quoniã scilicet maior semper in illis fit deperditio

Cur non possit per alimenta optimi succi reparari humidum primogenium, quodquotidie deperditur.

humidi substantifici per exiccationem externam, & internam, quàm eiusdem reparatio per alimenta; quod subobscurè indicauit aphorismo 53. secundæ sectionis, in quo de partibus nutritioni dicatis verba faciens, inquit. *Senescentibus magna ex parte exiccantur*, ex quibus manifesta elicitur causa, propterquam alimentum, quamuis sit in se optimum, atque ipsi etiam senectuti apprimè accommodatum, nihilominus tandem nutriendi vires amittat, adeo vt amplius nutrire non possit, est verò causa potissima, qnoniam vt ex aphorismo colligitur, ipse tandem nutriendi facultates emoriuntur; quoniã illarum instrumenta corrũpuntur; Est etenim anima act⁹ corporis phisici organici, & si senex haberet hepar iuuenis, sanguificaret vt iuuenis, quod idem habetur cap. 6. Geneseos. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est*; quasi dicere voluerit, quoniam mixtum, & consequenter corruptibile est, quemadmodum ex subsequenti com. magis euadet manifestum.

Finis tertiæ Sectionis.

APHO.



APHORISMORVM HIPP.

SECT. QVARTA.

APH. I.

Vtero gerentes sunt medicandæ, si materia turgeat, quarto mense, & vsq; ad septimum; sed hæ minus. Iuniora autem, & seniora vereri oportet.



NON possum non existimare, sapientissimum Hippocratem, imitatum fuisse Salomonem, atque Sirachium, non solùm in modo doctrinæ, verùm etiam in cõnexione sententiarum. Hippocrates etenim in fine præcedentis sectionis demonstrauit quibus morbis ruat senex, qui tendit ad interitum, secundum naturæ leges, & cum etiam hominis ortus fiat secundum naturæ leges, demonstrat in præsenti aphorismo quomodo sit seruandus fœtus in vtero mulieris ægrotantis, & cum fœtu etiã mater. Videre est his aphorismis analogas

Hip. methodus ex sapiẽtibus deprompta.

 sen-

ſententias apud Eccleſiaſticum cap. 14. quando inquit. *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur, & alia deijciuntur, ſic generatio carnis, & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur. Omne corpus corruptibile in fine deficiet; & qui illud operatur, ibit cum illo; & omne opus electum iuſtificabitur, & qui operatur illud, honorabitur in illo*; id quod ante illum dixerat Sap. in Eccleſiaſte cap. 1. per hæc verba. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt; quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt; nihil ſub ſole nouum, nec valet quiſquam dicere, Ecce hoc recens eſt; iam enim præceſſerunt in ſeculis, quæ fuerunt ante nos.* id quod de rebus naturalibus eſt intelligendum. Sed cum ex prædictis locis manifeſtè colligatur naturam humanam non potuiſſe ſeruari in indiuiduis, atq; proinde ſeruatam fuiſſe in ſpecie; percontabitur aliquis cur ignis dummodo non deficiat alimentum, ſemper ſeruetur, homo autem non poſſit ſemper alimento aſſumpto in vita permanere. Cauſa eſt, quemadmodum in antecedenti dictum eſt, quoniam homo eſt mixtum, quod proinde propriè nutritur, ignis verò eſt corpus ſimplex, quod proinde non propriè nutritur, ſed per quandam materiæ appoſitionem, quemadmodum in aqua fluminis eſt videre; iam verò, vt dictum eſt, homo cũ ſit corpus mixtum, corrumpitur, adeo vt inſtrumenta concoctioni dicata tandem

Cur ignis dummodo non deficiat, alimentũ ſemper ſeruetur, quod tamen homini nõ cõtingit.

dem ſuas ammittant vires, id quod aliquatenus indicatum fuit in Eccleſiaſtico cap. 41. *O mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantijs ſuis, viro quieto, & cuius viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. O mors bonum eſt iudicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt.* Et paulò poſt. *Omnia, quæ de terra ſunt, in terram conuertentur.*

APH. II.

In medicationibus talia educere è corpore, qualia & ſponte prodeuntia, vtile; quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet.

Qvamadmodum praui, atque omnino indirecti naturæ motus, non ſunt imitandi, ſed omnino prohibendi; non ſecus homines praua quælibet molientes non ſunt imitandi, quod animaduertit ſapiens prouerbium cap. 3. quando inquit. *Ne æmuleris hominẽ iniuſtum, nec imiteris vias eius: quia abominatio eſt Domini omnis illuſor, & cum ſimplicibus ſermocinatio eius. Egeſtas à Domino in domo impij: habitacula autem iuſtorum benedicentur. Ipſe deludet illuſores, & manſuetis dabit gratiam. Gloriam ſapientes poſſidebunt, ſtultorum exultatio ignominia.* Et cap. 4 *Ne delecteris in ſemitis impiorum, nec tibi*

Praui naturæ atq. hominũ motus deuitandi; quomodo id præſtandum accõmodatis ſententijs explicatur.

Si placeat malorum via; fuge ab ea, nec transeas per illam, declina & desere eam: non enim dormiunt nisi cum malefecerint, & non rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint. Comedunt panem impietatis & cimũ iniquitatis, bibunt; iustorum autem semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruãt. Et 24. *Ne emuleris viros malos, nec desideres esse cum eis; quia rapinas meditatur mens eorum, & fraudes labia eorum loquuntur.* Esse autem naturam malè operantem corrigendam, dixit cap. 21. *Vir impius procaciter obfirmat vultum suum, qui autem rectus est. corrigit viam suam.* Præsidijs autem exhibitis cum vtilitate, vel detrimento, respondent sententiæ, quæ habentur apud Sirachium cap. 20. *Est processio in malis viro indisciplinato, & est inuentio in detrimentum; est datum quod non est vtile, & datum cuius retributio duplex. Est qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum. Est propter gloriam minoratio, & est qui ab humilitate leuabit caput. Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundẽtur. Datus insipientis non erit vtilis tibi, oculi enim illius septemplices sunt. Exigua dabit, & multa improperabit, apertio oris illius inflammatio est. Hodie fœneratur quis, & cras expetit, & odibilis est homo huiusmodi. Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis?*

APH.

APH. III.

Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt; contraria verò grauiter.

Cur in medicationibus sint tantum imitandi boni naturæ mot⁹. his analogæ sententiæ proponũtur.

Ratio propter quam in medicationibus talia educere è corpore, qualia & sponte prodeuntia, vtile, quæ verò contrario modo prodeunt, cohibere oportet, quod in antecedenti monuit aphorismo, est quoniam, vt habetur in præsenti, atque etiam in prima sectione dictum est, si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt; contraria verò grauiter. Non secus habetur in Ecclesiastico cap. 34. *Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia malefacientium, vanitas est. Et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur, nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio.* Quibus declarat somnia non prouenire cum conferentia, nisi ab Altissimo fuerint emissa: paulò post subdit. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacita subsannationes iniustorum. Dominus solus substinentibus se in via veritatis, & iustitię. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit oblationes iniquorum. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium vita pauperis est, qui defrauda-*

dat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Quinimo ipse etiam Sap. prou. cap. 21. animaduerterat. *Excogitat iustus de domo impij, vt detrahat impios à malo.*

APH. IV.

Medicari æstate superiores magis, hyeme verò inferiores.

Dum occasio est tempus est; & dũ tẽpus est, occasio est.

EX hoc, atque subsequentibus aphorismis colligitur quamcunque bonam operationem fieri tempore opportuno, quod ipse etiam Sapiens non semel indicauit, precipuè prouerb. cap. 15. *Latatur homo in sententia oris sui, & sermo opportunus est optimus.*

APH. V.

Sub cane, & ante canem difficiles sunt medicationes.

Quomodo aliquã do intempestiuè intempestiua redduntur.

HÆc sententia est verissima, dummodo huiusmodi tempus suam seruet constitutionem; aliquando etenim aliter contingit, quod animaduertit Sapiens prouerb. cap. 26. *Quomodo nix in æstate, & pluuię in messe, sic indecens est stulto gloria.*

APH. VI.

Graciles, & facilè vomentes, purgare superiùs, cauentes hyemem.

Graciles & facilè vomẽtis canibus assimilãtur.

GRaciles, & facilè vomentes possunt aliquo pacto assimilari canibus, de his etenim inquit Sapiens prouerb. 26. *Sicuti canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam.* Sunt verò biliosi vt ad vomendũ, ita ad irascendum magis propensi, quod elicitur ex cap. 29. *Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis erit, erit ad peccandum procliuior*; id quod colligitur ex aph. 9. in quo opponit gracilibus, & facilè vomentibus, melancholicos, quos proinde, ibi vult esse expurgandos per regiones inferiores. Cur faciliùs excitetur vomitus in æstate, quàm in alijs anni temporibus, causa est inter reliquas, quòd ventriculus tunc temporis faciliùs relaxetur, quàm in alio quolibet anni tempore, atque proinde nos, naturæ motum imitantes faciliùs tunc temporis vomitum excitamus; & quemadmodum tunc temporis fluitat in ventriculo pituita à bile moderatè calefacta, atque excitata, non secus, quando vomitum excitare intendimus, illa adhibere consueuimus, quæ aliquã laxandi facultatem obtineut, sunt verò maximè ad hoc opus idonea illa, quæ tepida existũt, id quod habetur in Apocalypsi cap. 3. per hæc verba. *Vtinam fri-*

Cur faciliùs excitetur vomitus in æstate, quam in alijs anni temporibus.

Vomitũ excitãtia, quæ facillima.

frigidus, aut calidus esses, sed quia tepidus, neque calidus, neq; frigidus, incipiã te euomere ex ore meo. Quamuis enim non desint alia, quæ alijs facultatibus sint ad vomitum excitandum maximè accommodata; sunt tamen quæcumq; tepida maximo in vsu, atque facilè parabilia, adeo vt sola aqua tepida id facillimè præstare possit.

APH. VII.

Vomentes verò difficulter, & mediocriter bene carnosos, per inferiora, cauentes æstatem.

QVemadmodum ex antecedenti aphorismo, graciles, & facilè vomentes sunt purgandi per superiora, cauentes hyemem; non secus; vt habetur in præsenti, vomentes difficulter, & mediocriter bene carnosi sunt expurgandi per inferiora, cauentes æstatem: ratio etenim colligitur à contrario. Quapropter vt difficulter vomentes non supernè, sed infernè, si tẽpus exigit, sunt purgandi; non secus qui delicta euomenda non patefaciunt, alia ratione sunt compellendi ad veritatem eruendam, semper etenim illud memoria custodiendum, quod habetur apud regium psaltem. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia, & pax obsculata sunt.* Nõ desunt alia sacræ scripturæ loca ad hanc rem facientia, quemadmodum suis locis indicabimus.

Occulta veritas quomodo sit.

APH.

APH. VIII.

Tabidos verò, cauentes ad superiora purgationes.

HOC aphorismo admonuit Senex, tabidos non esse expurgandos per superiora, ne in vomitu ad thoracem attrahatur materia noxia; sic etenim facilè eueniet, vt illi, qui sunt tabi obnoxij, actu fiant tabidi, rupita vena, aut excitato vlcere in pulmone. Cui aphorismo est analogum quod habetur cap. 31. Geneseos, in quo habetur Rachelem furatam fuisse patris idola; atque illum decepisse, inquit etenim. *Cumque intrasset tentorum Rachelis illa festinans abscondit idola subter stramenta camelli, & sedit desuper, scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti, ait ne irascatur Dominus meus, quod corã te assurgere nequeo, quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi, sic delusa sollicitudo quærentis est.* Quã actionem si accuratè contempleris, reperies vel ipsum Rachelis patrem, vel coniugem potuisse, illam ad furtum patefaciendum compellere, noluisse tamẽ, ne tali veritatis confessione ingens aliquod malum suscitarent; quod quidem optimè successit, namque licèt prædicta idola sic abscondita permanserint; ipsi tamen Iacob, atque Laban, inito fœdere, ad propria discesserunt.

Cur tabido non sint purgãdi per superiora.

Et cur occulta veritas aliquãdo detegenda.

APH.

APH. IX.

Melancholicos plenius inferiores, eadem ratione contraria apponentes.

DVbium est, an Hippocrates fuerit auctor sectæ rationalis, quidquid sit, hoc certissimum est, quod quemadmodum semper in medendo cum ratione progressus fuit; non secus cum ratione suas proponit sententias, atque in medendo semper esse cum ratione progrediendum animaduertit passim, præcipuè in aphorismis, vt secuuda sectione. *Omnia secundum rationem operanti, &c.* vt in præsenti, atque alijs non paucis. Id quod Sapiens appellauit *operari cum consilio*, præsertim prouerb. 13. *Inter superbos semper iurgia sunt, qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia.*

Mederi cum ratione pro portione respōdet operari cum cōsilio.

APH. X.

Medicari in valde acutis, si materia turgeat, eadem die. Tardare enim in talibus malum est.

COnsimilem procrastinationem damnat Sap. prouerb. cap. 3. quando inquit. *Ne dicas amico tuo, vade, & reuertere, & cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Et Ecclesiasticus cap. 5. *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas*

Vrgenti necessitati cur procrastinatio sit mala.

feras de die in diem, subitò enim veniet ira Domini, & in tempore vindictæ disperdet te. Et Sap. Ecclesiastes cap. 5. *Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis, & stulta promissio, sed quodcumque voueris, redde; multoque melius est non vouere, quàm post votum promissa non reddere.* Et cap. 35. *Et Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos. Et faciet iudicium, & fortissimus non tardabit, vt contribulet dorsum ipsorum, & gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet; donec reddat hominibus secundum actus suos.*

APH. XI.

Quibus tormina, & circa vmbilicum dolores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neque aliter soluitur, in aquam inter cutem siccam firmatur.

REcenset Hippocrates in præsenti aphorismo, nonnulla praua symptomata, quæ multis, atq; validis adhibitis præsidijs non possunt extirpari, adeo vt morbus in aliū degeneret morbum incurabilem, cuius illa est ratio, quam tetigimus in com. quoniam scilicet præsidia non adinueniunt naturam adminiculantem. Cui est affine, quod habetur prouerb. 19. *Multæ cogitationes in corde viri. Voluntas autem Domini*

Cur aliqua symptomata curationem non admittāt.

Facultati debili proportione respõdet manus remissa.

in æternum permanebit. Est autem animaduertendum, quod prædictus morbus degenerat in hydropem ventosum, quoniam interna viscera eò deueniunt, vt suo munere non fungantur, cui est analogum quod dixerat cap. 10. *Egestatem operata est manus remissa; manus autem fortium diuitias parat; qui autem nititur mendacijs, hic pascit ventos; idem autem ipse sequitur aues volantes.*

APH. XII.

Quorum alui intestinorum læuitate laborant, hyberno tempore supra purgare, malum.

Cur pituita facilius detrudatur per inferna, quam per superna.

CVm existimauerit Hippocrates lienteriam (quam intestinorum læuitatem appellat) hyberno tempore euenientem; fieri à pituita; consequens erat existimare hanc ob sui grauitatem hyberno tempore faciliùs descendere per inferiora, quàm ascendere ad superiora, atque proinde prohibet in præsenti aphorismo expurgationem factam per vomitum hyberno tempore. Sed quemadmodum non est quodcunque tẽpus idoneum ad pharmacum exhibendum, vt à morbo liberetur æger; ita non est quodlibet tempus accommodatum ad fraternam correctionem efficiendam; atque id propterea sic habetur apud Matthæum cap. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corri-*

Ad fraternam correctionẽ, quod tempus eligendũ

pe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum ad huc vnum, vel duos, & in ore duorum, vel trium est omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Est inquam hæc sententia illi analoga, quoniam materia lienteriam hyberno tempore efficiens est sua natura grauis, admodum corrupta, quæ proinde ad sui excretionem conuenientem regionem, atque idoneum etiam tempus exposcit. Non secus peccatum, quo loco citato corrigendum præcipit Dominus, est graue, atque sua natura intollerabile, atque Ecclesiæ quoquo pacto aduersum; siquidem correctione non iuuante, atque nihil proficientibus vno, vel duobus, præcipit esse Ecclesiæ dicendum; atque proinde priùs hortatur idoneum tempus expectandum esse, atque loco solitario fœtens hæc materia excernatur. Cæterum præclata hæc sententia nobis poterit ad postremum septimæ sectionis aphorismum explicandum inseruire, quemadmodum suo loco demonstrabimus.

APH. XIII.

Ad helleboros, qui non facilè supra purgantur, eorum corpora pluri cibo, atque quiete humectanda sunt.

Helleborus validum medicamentum.

PRæcipit Hippocrates, vt potaturus helleborum, qui est validum medicamentũ, corpus priùs fluidum efficiat. Cui aphorismo sunt analogæ sententiæ, quas aphorismo nono secundæ sectionis proposuimus, quas propterea inde exquire; non etenim est in ijs repetendis tempus conterendum.

APH. XIV.

Quum biberit quis helleborum, ad motiones quidem corporum ducere magis, ad somnos verò, atque quietem, minus. Indicat autem nauigatio, turbari motione corpus.

Ante expurgationem corporis atque animi quid faciendũ.

IN præsenti aphorismo demonstrat Hippocrates, quod quemadmodum nauigatione turbatur corpus; non secus in quacunque excretione, non modò per vomitum, verùm etiam per secessũ efficienda, non esse corpus somno, atque quieti tradendum, sed motu accellerandum opus medicamenti. Extant in sacris innumeræ sententiæ huic analogæ, quæ demonstrant, illum, qui velit salutare

tare

tare animæ pharmacum suscipere, non debere in ocio permanere, atque inibi torpescere, sed pœnitentiam agere, vt faciliùs peccata possit excernere. Sic autem habetur apud Ezechielem c. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia mea præcepta, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur.*

APH. XV.

Quum volueris magis ducere helleborum, moue corpus, quum verò sistere, somnum facito, & non moueto.

APhorismo 13. monuit Hippocrates, ad disponenda corpora ad faciliùs vomendum, oportere esse corpus priùs humectandum pluri cibo, in antecedenti aphorismo præcepit, post assumptum vomitorium, ad prouocandum vomitum esse mouendum corpus, quod etiam in præsenti præstat aphorismo. Hæc omnia vnica sententia perstringit Ecclesiasticus cap. 31. quando inquit. *Si coactus fueris in edendo multum, surge è medio, & vome.* Addit miram vtilitatem ipsum vomitum consequentem, subdit enim. *Et refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem.*

Admiranda sententia qua plures aphorismi declarantur.

APH.

APH. XVI.

Carnes sanas habentibus, helleborus periculosus, facit enim conuulsiones.

QVid sanitatem carnium destruat, seu quid sanis iuuenibus morbum inferat, in præsenti aphorismo demonstrat Hippocrates, quid verò sanitatem carnium efficiat, indicatur prouerbiorum 14. *Vita carnium sanitas cordis*; adeo vt ex duabus sententijs vnicam possimus hunc in modum constituere, quemadmodum magna totius corporis agitatio, seu violentius quidam motus sanis carnibus morbum infert, nō secus vitam præbet carnibus sanitas cordis, seu mentis tranquillitas. Est autem animaduertendum Hippocratis artificium, qui non dixit, vndiquaque sanis corporibus, sed *carnes sanas habentibus*: quoniam ex Gal. in arte medicinali non datur salubre simpliciter. Cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 13. *Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè inuenies, & cum labore.* Et cap. sequenti. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est stimulatus in tristitia delicti. Fœlix qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.*

Sanitas carnium vnde proueniat. Ex duabus sententijs vnica cōficitur.

Hip. artificium.

APH.

APH. XVII.

Si quis febrem non habens, abstineat à cibo, & cordis morsū, & tenebricosam vertiginem patitur, & oris amaritudinem sentit, purgatione indigere per superiora significat.

ABile exusta, niger eleuatus fumus, qui ad neruos opticos delatus, tenebricosam vertiginem inducit; tum quoniam spiritus animales, qui sunt luminosi, atque in ipsis neruis continentur, fiunt tenebrosi; tum etiam quoniam impeditur externi luminis intromissio. *Si* omnes spiritus in cerebro contenti à prædicto fumo reddantur tenebrosi, tota mens quasi tenebris sepulta iacet, vnde stultitia, amentia, mentis alienatio; quæ sunt melancholiæ soboliæ soboles. Id aliquatenus accommodatissimo exemplo translato indicauit Sap. Ecclesiastes cap. . *Et vidi, quod tantùm præcederet sapientia stultitiam, quantùm differt lux à tenebris.* Quod si obijcias hanc explicationem esse hic violenter appositam, memento quod statim subdit. *Sapientis oculi in capite eius, stultus in tenebris ambulat.*

Tenebrosæ vertiginis causa quæ?

Tenebrosæ vertigini, stultitia quo modo sit analoga.

APH.

APH. XXVIII.

Super septum transuersum dolores, purgatione indigere per superiora significant. Quicumq; verò inferiora molestant, per inferiora.

Cur doloribus supra septũ transuersum magis cõueniat purgatio per superiora, illi ratio analoga.

DOlores supra septum transuersum, sunt labores omnes, qui occupant vel cor, vel partes cordi anexas; atque proinde illis magis conuenit purgatio per superiora, quàm per inferiora, quemadmodum in nostra arte parua demõstrauimus. Non secus nequitiæ, quæ resident circa cor peccatorum expiatione, atque oratione sunt expurgandæ; hoc breuissima sententia præceptum fuit in Ecclesiastico cap. 21. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris; & qui timet Deum, conuertitur ad cor suum.*

APH. XIX.

Qui in medicamentis purgati non sitiunt non quiescunt priusquam sitiant.

Cur insufficiẽti expurgatione excitetur sitis.

DEmonstrant Hipp. in præsenti aphorismo, terminum purgationis esse sitim, cum priùs non extiterit, vt inde dignoscamus quantum robur habeat medicamentum. Est autem animaduertendum, quod quando succi redundantes sufficienter sunt expurgati, excitatur sitis, quoniam reliquiæ medicamenti trahunt humidum roridum ipsius ventriculi. Huic videtur aduersari sententia, quæ habetur in Ecclesiastico cap. 23. *Anima calida, quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo nequam, in ore carnis suæ, non desinet, donec incendat ignem.* Aduersatur inquam, quoniam supponit Sirachius illud, quod dixerat cap. 21. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris*: quod repetit in hoc eodem capite. *Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur*, & consequenter non sunt à nequitiæ colluuiæ expurgati, & tamen sitiunt. Cui difficultati respondemus nullam esse contradictionem, quoniam Sirachius non inquit hos sitire, sed esurire, excitatur autem fames à defectu humidi naturalis; vt sitis ad defectum humidi roridi, in ipso ventriculo existentis excitatur. Quemadmodum igitur, quando medicamẽta benè expurgant, excitatur sitis; ita fames non excitatur à medicamento, quoniam medicamentum distrahit calorem natiuum, quo excitatur fames, & ipsi vantriculo infert aliquem horrorem.

Obiectioni satisfit.

APH.

APH. XX.

Non febricitantibus si tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari inferiùs oportere significatur.

GEnuum grauitas, de qua in præsenti aphorismo mentionem facit Hippocrates, est non leuis morbus, siquidem illum purgatione indigere animaduertit. Huic est analoga infirmitas, de quà mentio fit in Ecclesiastico c. 15. *Manus debiles, & genua dissoluta; mulier quæ non beatificat virum suum; nõ des aquæ tuæ exitum nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi; si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum: à carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.*

Aphorismo sententia proportione respondẽs

APH. XXI.

Deiectiones nigræ, qualis est sanguis niger, sponte venientes, siue cum febre, siue sine febre, pessimæ; & quantò colores magis praui fuerint plures, peius, cum medicamento verò melius, & quantò colores plures non praui.

DE monstrat senex in præsenti aphorismo, quod humor niger, si spõte exeat,

exeat, est pessimum, quoniam veneni naturam sapit, aut est tanquam cinis nostri corporis, quinimo sponte profluentes, pessimam esse in corpore affectionem significatur; si verò à medicamento educatur, melius esse, quoniam semper est melius progredi à causa externa, quàm è contra, quod vberiùs explicatum reperies in nostris commentarijs. Cui aphorismo proportione respondet, quod si turpissimi cuiuslibet criminis signum sponte se prodat, est signum pessimum, si vero confessione expurgetur, est melius, quoniam, *misericordia, & veritas obuiauerunt sibi; iustitia, & pax osculatæ sunt.* Atque proinde non paucas huic aphorismo analogas sententias reperies in sacris literis; nobis etenim satis fuerit, Theologis illas indagandi, atque præsenti aph. comparandi modum indicasse.

Cur humor niger spõte exiẽs sit pessimũ, si vero medicamento educatur melius.

APH. XXII.

Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel supra, vel infra exierit, lethale.

ATræ bili supra exeunti, proportione respondet excandescentia, seu iræ diuitum aduersus pauperes, quos redarguit Ecclesiasticus c. 4., quando inquit. *Cor inopis ne afflixeris, & ne protrahas datũ angustianti. Rogationẽ contribulati ne abijcias, & non auertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram, & non relinquas*

Atræbili supra exeũti quo modo proportione respondeat excandescentia.

Eius pessima natura.

quarentibus tibi retro maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animę exaudietur deprecatio illius, exaudiet autem illum, qui fecit illum. Est autem atra bilis humor pessimus, qui per vniuersam cutem dispersus, progignit lepram, in parte determinata collectus, efformat cancrum, atque ad cerebrum delatus excitat maniam, qua præcipuè laborant mulieres zelotypæ, de quibus sic habet Sirachius cap. 26. *Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans. Sicut bouum iugum, quod mouetur, ita & mulier nequam, qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.*

APH. XXIII.

Quibuscunque ex morbis acutis, aut diuturnis, vel ex vulneribus, siue quouis alio modo extenuatis, nigra bilis, siue vti sanguis niger desubter exierit, postridie moriuntur.

Susurronis pessima natura.

DEmonstrat in præsenti aphorismo dictator, quomodo ex pessima excretione facta in pessimo morbo cum carnium extenuatione, non modò sit prædicendus malus euentus, verùm etiã mors propinqua. Cui respondet quod habetur in Ecclesiastico cap. 5. *Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris & confundaris, super furem enim est confusio & pœnitentia; & deuora-*

tio pessima super bilinguem; susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.

APH. XXIV.

Difficultas intestinorum, si ab atra bile inceperit, lethalis est.

Cur dysenteria ab atra bile incipiens sit lethalis.

SI dyssenteria ab atra bile incipiat, est lethalis, quoniam vt dictum est aph. 22. huius sectionis. *Quibuslibet morbis incipientibus, si atra bilis, vel supra, vel infra exierit, est lethale*, quoniam si absolutè talis humor mortem indicat, quãtò magis cum vlcere intestinorum, in quibus, cum aliàs difficile ibi omnia vlcera sanescant, carcinomata excitat, quæ etiam in partibus exterioribus vix igne, & ferro curari possunt. Consimilem calamitatem patiuntur aliquando illi, qui sederunt in cathedra pestilentiæ, postquam diu per impiorum vias progressi sunt, quemadmodum indicauit Psaltes regius; hi etenim quomodocũq; effutiant impietatem atræ bili analogam, in lethalem animi morbum incidisse significatur.

Qui animi morbus illi sit analogus.

APH. XXV.

Sanguis quidem supra, qualiscunque fuerit, malum, infra autem nigra deiecta, bonum est.

NAtura bene se habens non excernit sanguinem per superiores partes,

Cur sanguis supra erūpens sit malum.

præcipuè per os, atque proinde est excretio innaturalis, tū ratione eius, quod excernitur, nimirum sanguinis, quem tanquam thesaurum consueuit sibi natura reseruare, tum ratione loci, quoniā cum sanguis non sit alicuius grauitatis expers, nō consueuit per os excerni, nisi ob magnam aliquam violētiam. Si verò sanguis niger per infernam sedem excernatur, bonum est, ob rationem, quam sectione sexta proponemus. Interim priori aphorismi particulæ proportione respondet, quod habetur Geneseos c. 4. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra; nunc igitur maledictus er is super terram, quæ aperuit os suum & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua, cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos.* Secundæ autem aphorismi particulæ sunt analoga quæcunq; sacræ scripturæ loca demonstrant, sanguine expiari peccata, vt habetur in Leuitico cap. 17., atque alijs in locis, quamuis etenim niger non effundatur, paulò tamen post effusionem nigrescit.

Et si infra nigra deijciantur sit bonum.

Illi sanguis, qui vi effunditur pro portione respōdet.

APH. XXVI.

Difficultate intestinorum habito; si veluti caruncula exeant, lethale est.

Cur in diuturna dyssenteria si veluti carū-

A Dyssenteria diu laboranti, si veluti carunculæ exeant, est lethale; quoniam indicat vno perniciosissimo morbo alterum magis perniciosum superuenisse, nimirum ipsarum naturaliū partium

culæ exeant sit lethali.

tium destructionem, nempe ipsorum intestinorum corruptionem. Huic morbo non analogum, sed prorsus similem, & consequenter insanabilem reperies in libris Regum, quem proinde in medium non adduco, quoniam ad præsens non pertinet institutum, in quo sententias tantùm proportione respondentes contemplamur. Innumeras autem reperies in sacris literis, sunt verò quæcumq; demonstrant homines in sceleribus, & cōsequenter in impietate habituatos, qui proinde animam ad Dei similitudinem efformatam, non modò turpem reddūt, atque deformem, verùm etiam, illā tandem funditus destruunt, atq; euertunt.

Animæ deformatio assimilatur lethali dyssenteriæ.

APH. XXVII.

Quibus in febribus sanguinis fluxerit multitudo quacumq; ex parte, quum reficiuntur, alui his humectantur.

Nimia sanguinis extractio, seu excretio, tam spontanea, quàm artefacta, præcipuè in febribus, est diarrhææ prænūcia, quoniā virtutē naturalē imbecilliorē reddit: hac etenim imbecilli reddita cruditates progignūtur, vnde diarrhæa, quā Senex alui humectationē appellauit. Atq; proinde huic etiā aph. sunt analogæ omnes sentētiæ, quæ habētur in sacra pagina, demōstrantes frequētes admodū diuitiarū effusiones, nō modò annuos redditus dissipare, verū etiā relictū patrimonium funditus euertere.

Cur nimius sāguinis fluxus sit diarrheæ prænuncius. illi respōdet effusio diuitiarū

APH. XXVIII.

Quibus biliosæ deiectiones superueniente surditate cessant, & quibus surditas, superuenientibus biliosis deiectionibus cessat.

Qvemadmodum cessat surditas, si illi superuenerint biliosæ deiectiones, transposita scilicet materia noxia à parte nobili ad ignobilem; non secus contingit, quando transfertur angustia à viro iusto ad impium, hinc prouerbiorum 11. *Iustitia rectorum liberabit eos, & insidijs suis capientur iniqui. Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo.* Et quemadmodum nisi materia noxia abscedat à capite, non cessabit surditas, non secus admonet Sap. prouerb. 21. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non audietur.* Et cap. 29. *Superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria.* Est autem animaduertendum ex hoc aphorismo elici maximam auditus organi nobilitatem, quippe quòd à leui etiam causa tam magnam læsionem suscipiat, quo argumento cordis dignitatem indagauit Aris., atque ante illum diuinus noster Senex, atque proinde in illo conficiendo non minori sapientia vsum fuisse D. O. M., quam in oculi fabrica, quod apposito argumento indicauit psaltes regius psalmo 93. *Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* Quasi velit ex horum organorum admirando artificio, manifestè colligi ipsius conditoris oculatam, atque auritam sapientiam.

Cur biliosæ deiectiones superueniente surditate cessent, & è contra. Cui respondet humanarum rerũ vicissitudo.

Auditus organi nobilitas.

APH. XXIX.

Quibus in febribus sexto die rigores fiunt, difficile iudicium sequitur.

Dies sexta ideo à medicis vocatur tyrãnica, quòd sibi suscipiat, quòd diei septimæ magis videtur esse propriũ, vnde malum subsequitur iudicium. Sic habetur in Ecclesiastico cap. 20. *Qui potestatem sibi assumit iniustè, odietur.* E contra laudatur excretio facta debito tempore, quemadmodum prouerb. cap. 25. *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Et Ecclesiasticus cap. 20. *Est tacens qui inuenitur sapiens, & est odibilis, qui procax est ad loquendum. Est autem tacens, & non habens sensum loquelæ, & est tacens, sciens tempus apti sermonis; homo sapiẽs tacebit vsque ad tempus; lasciuus autem, & imprudens non seruabunt tempus.*

Cur dies sexta vocetur tyrannica. Qui nam illi assimilẽtur.

Ex ore fatui reprobabitur parabola; non enim dicit illam in tempore suo.

APH. XXX.

Quibuscunque accessiones fiunt, quacunque hora febris demiserit, si eadem cras occupauerit, indicium habent difficile.

Humana rum rerũ stabilis instabilitas acces sionibus eadẽ hora reuertentibus assimilatur.

EX eo quod accessiones eadem hora reuertantur, qua prius aduenerant, morbi longitudinem præsagiẽdam esse, animaduertit Hippocrates. Non secus humanarum rerum quandam instabilem (vt sic dicam) stabilitatem præsagire voluit Sap. Ecclesiastes cap. 1., quando inquit. *Cuncta res difficiles, non potest homo eas explicare sermone; non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Quid est quod fuit? Ipsum, quod futurum est. Quid est, quod factum est? Ipsum, quod faciendum est. Nihil sub sole nouum, nec valet quisquam dicere; Ecce hoc recens est. Iam enim præcessit in seculis, quę fuerunt ante nos.*

APH. XXXI.

Lassitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potissimum abscessus fiunt.

Cur in articulis cõtingãt abscessus

CAusa propter quam in articulis contingunt abscessus, est quoniam prædicti articuli prius imbecillitatem quandam contraxerunt; verùm postquam ipsi facti sunt abscessus, ipsi artus magis redduntur imbecilles; vnde morbosa quædam pigrities, quam postmodum non leuia detrimenta consequuntur. Id quod significauerat Sapiens Ecclesiastes cap. 10. quando inquit. *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus.*

Quomodo illi assimiletur pigritia.

Est verò animaduertendum, quod quemadmodum Senex ex actionibus læsis indagauit partes affectas, non secus Ecclesiasticus cap. 19. *Qui credit cito, leuis est corde, & minorabitur, & qui delinquit in animam suam insuper habebitur. Audiuisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te fidens, quoniam non te dirumpet. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa fœmori canis, sic verbum in corde stulti. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo: Est correptio mendax in ira contumeliosi; & est indicium, quod non probatur esse bonum & est tacẽs, & ipse prudens.* Et c. 21. *Notus à longe potens lingua audaci, & sapiens scit eum labitur ipse.*

Quomodo Sirachius ex actionib⁹ deprauatis dignouerit animũ male affectum

APH. XXXII.

Quibuscunque resurgentibus ex morbis, si quid laborauerit, hic fiunt abscessus.

Cur in conualescētibus fiant abscessus in illis partibus, quæ laborauerint. Qui animi morbi illis assimilentur.

IN conualescentibus fiunt abscessus in illis partibus, quæ laborauerint, quoniam labor, seu dolor debilitat partem, atque proinde facilior redditur ad recipiendum, qui aphorismus præcipuè intelligendus de ijs conualescentibus, in quibus aliqua portio causæ morbificæ fuit derelicta; siue sit manifesta, cui respondet illud. *Amplius laua me ab iniquitate mea*, siue occulta, cui illud. *Ab occultis meis munda me.* Iam verò psaltes regius hæc non pronunciasset, nisi horum aliquod vestigium in semetipso dignouisset. Reliqua, si lubet, hic apponito, nobis etenim satis est hæc pro exemplo indicasse.

APH. XXXIII.

Sed si ante morbum pars aliqua doluerit, hic morbus firmatur.

Cur si aliqua pars ante morbum laborauerit, ibi morbus firmatur.

FIrmatur ibi morbus, quoniam pars illa iam est disposita ad suscipiendum morbum, cui consonat, quod habetur in Ecclesiastico cap. 20. *Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione.*

APH. XXXIV.

Si à febre habito tumore non existente in faucibus, strangulatio repentè superuenerit lethale.

Cur à febre habito, tumore nō existente in faucibus strāgulatio repente superueniens sit lethalis. qui animi morbus illi respondeat.

SI à febre detento, nullo existente in faucibus tumore, strangulatio superuenerit, est affectus adeo lethalis, vt prorsus videatur deploratus, quippe cor refrigerari non sinit; vnde ineuitabilis interitus; per talem etenim affectum guttur adeo constringitur, vt aer attrahi non possit ad ipsum refrigerandum, cū tamen ob præsentem febrem prædictus aer sit adhuc magis necessarius. Sic exitiosum admodum est, si alicui capitalibus vitijs immersus laboret adeo, vt via ad auram salutarem, hoc est Dei mandata suscipienda, penitus intercludatur. De qua re plures sacras sententias ad alios aphorismos accommodauimus; suntque aliæ non paucæ, quæ breuitatis gratia prætermittimus.

APH. XXXV.

Si à febre habito collum peruertitur, & vix potest deuorare, sine vllo tumore, lethale.

EST animaduertendum, quod quemadmodum ex capitis, & cordis, vel

Lingua quomodo bono-rum, & malorū causa.

partium circa illa existentium bona, vel mala constitutione, prouenit bonum, vel malum, mors, vel vita, vt ex præsenti aphorismo, atque alijs pluribus colligitur; non secus habetur in Ecclesiastico c. 37. *Verbum nequam immutabit cor, ex quo partes quatuor oriuntur, bonum, & malum, vita & mors, & denominatrix illorum est assidua lingua.*

APH. XXXVI.

Sudores febricitanti si inceperint bo-ni, & tertio die, & quinto, & septimo, & nono; & vndecimo, & quarto decimo, & septimo decimo, & vigesimo septimo, & trigesimo quarto. Hi enim sudores iudicant morbos. Qui vero non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam.

Cur sudores, qui perfluūt diebus imparibus sintboni, & illi qui diebus paribus sint mali.

CONscripsit Hippocrates hunc aphorismum, vt demonstraret, qui dies sint probandi ad crisim, quæ per euacuationem fieri consueuit, & qui sint reprobandi; adducit autem sudores in exemplum, vt dignoscamus iudicia pēdere non solùm ex materia morbi, sed ex cœli virtute; atque proinde sudores, qui contingunt in diebus imparibus, fiunt secundum ordinem naturæ, quemadmodum ipsa monstrat experientia; qui verò in diebus paribus contingunt, extra ordinem naturæ mouentur. Id

Id proprerea quamuis sudor sit excrementum, quod multoties febricitantibus prouenit cum conferentia, atque tolerantia, est tamen malus, si non profluat conuenienti tempore, atque diebus iudicatorijs. Huic est analogum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 20. *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim dicit illam in tempore suo.* Verùm quod maioris est momenti, diuinus Senex, præter plurima hucusque proposita ad bonam, vel malam iudicationem attinentia, hunc etiam proposuit aphorismum, vt prudens quilibet medicus in promptu habeat, quæcumque ad sudores iudicatorios, vel non iudicatorios possint attinere; adeo vt hinc colligendum sit, esse pessimum medicum, atque humanæ naturæ accerrimum hostem, qui hæc contemnit. Cui ex altera parte respondet, quod habetur prouerb. 28. *Viri mali non cogitant iudicium, qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.* Quod si locum exposcis huic aphorismo magis analogum, illum suscipe ex 34. capite Geneseos, vbi sic habetur. *Ecce die tertio quando grauissimus vulnerum dolor est, arreptis duo filij Iacob, Simeon, & Leui fratres Dinæ, gladijs, ingressi sunt vrbem.* Est inquam analogus, quoniam non modò vulnerum, atque vlcerum exacerbationes, verùm etiam aliæ quælibet fluxiones fiunt in die impari, in qua mouetur biliosus humor, atque, vt dictum est, astrorum virtutes dominantur. Sic etenim habet Hip-

Medici, qui non contemplantur dies iudicatorios sūt in prudentes.

Qui nam illis assimilentur.

Locus Geneseos explicatur.

Hippocrates libro de fracturis sect. 4. *Tertio, & quarto die vulnera omnia minimè sunt exagitanda, & vt in summa dicam, specilli quoque omnes admotiones vitandę his diebus sunt, omniaq; alia, quibus vulnera irritantur; in totum .n. tertius, & quartus dies in plerisque vulneribus exacerbationes parit, & quæ inflammationes, & sordes incitantur, & quæcumque in febres tendunt, vnde magni admodum momenti, si quod aliud, documentum hoc est, nam quę sunt in medendi arte grauissima, quibus id non sit commune? non etenim pertinet ad vlcera tantùm, sed ad alios quoque morbos complures.* Ex quibus colligitur, quod non tantùm in vulneribus, & vlceribus, verùm etiam in alijs quibuslibet morbis fluxiones excitantur in die impari; quomodo autem dies quarta dicatur dies impar, in nostris diximus commentarijs. Est autem animaduertendum, vbi legitur *& vigesimo* in aliquibus codicibus legi, *& vigesimo primo*, esseque vtramque lectionem verissimam; cum etenim ex Hippocrate in prognosticis non numerentur integri dies, neq; menses, dicendum est diem decretorium esse vigesimum; quoniam verò huiusmodi terminus attingit horas quatuor diei vigesimi primi, id propterea potest etiam legi vigesimus primus. Simile quidpiã habetur in Euangelio D. Matthæi, qui distribuit generationes omnes ab Abraham vsq; ad Iesum per quatuordenas; quadraginta etenim, & vnum recenset, inter

Variæ lectiones vnde prouenerint & cur dicatur decretorius non modo dies vigesimus verum etiã vigesimus primus.

Locus Matthæi declaratus.

inter quatuordecim distribuit, cum tamen ter. 14. conflent 42., sic medici ex ter septem conflant viginti, quatuordecimo bis numerato, 28. finis secundæ, & initium tertiæ septimanæ.

APH. XXXVII.

Frigidi sudores, cum acuta quidem febre, mortem, cum mitiori autem, longitudinem morbi significant.

Demonstrat in præsenti aphorismo Hippocrates, quomodo ab excretis possimus prænunciare vel mortem, vel morbi longitudinem; mortem in acuta febre, quoniam indicat aliquam inflammationem internam, quæ ad se trahit, quasi cucurbitula, calorem, vnde partes externæ frigidæ permanent; in mitiori, morbi longitudinem; quoniam indicat membrorũ calorẽ esse extinctũ, vel saltẽ adeo exiguũ, vt non possit externas partes calefacere. Non secus quicunq; fuerit in diuinis legibus seruandis adeo hebes, vt frigidas edat operationes, si id proueniat, quoniam in carnalibus amoribus exardescat, mortem corporis, atq; ipsius etiã animæ portendit. Si verò proueniat ob amoris Diuini inopiam, quamuis morbi longitudinẽ, poterit tamen paulatim salutaribus monitis suscitari, vnde casus non erit adeo deploratus. Plures hac de re sentẽtias reperies in sacris libris; nobis satis erit tibi methodũ illas describendi demonstrasse.

Frigidi sudores cur cum acuta febre mortem, cum mitiori morbi lõgitudinẽ denũciet

Qui animi morbi illis respondeant.

APH.

APH. XXXVII.

Qua parte corporis sudor est, ibi significat morbum.

Quemadmodum ab excretis dignoscitur pars affecta, non secus à fallaci lingua, praua animi dispositio.

QVemadmodum cuiuslibet partis sudor eiusdem partis morbum indicat; non secus, vt habetur prou. 26. *Labijs suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos. Lingua fallax non amat veritatem, & os lubricum operatur ruinas.* Et c. 29. *Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum procliuior.* Inter omnes corporis partes, maximè attendendam esse faciem, atq; eius operationes alibi demonstrauit Hippocrates, quod hic etiam implicitè animaduertit. Id monuit Ecclesiasticus cap. 19. *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.* Vbi est aduertendum, quomodo vterque ab excretis indagauerit partem affectam.

APH. XXXVIII.

Et qua parte corporis calor, aut frigus, ibi morbus.

Quemadmodū ex qualitatibus mutatis dignoscitur pars affecta, non secus ex prauis moribus ipsius animi affectus.

QVemadmodum alicuius partis calor, aut frigus, eius partis indicat ægritudinem; non secus ex proprijs signis dignoscitur doctus, & indoctus. Sic

Sic etenim prouerb. 12. *Doctrina sua noscitur vir: qui autem vanus & excors est, patebit contemptui,* Cæterùm maximè cum ratione pergit Senex ex signis diagnosticis partem affectam indagare, hac etenim ignorata ignoratur morbus, & consequenter prognosis, & curatio; quod innuens Sap. prouerb. 27. animaduertit. *Diligenter agnosce vultum pecoris tui tuosq; greges considera: non enim habebis iugiter potestatem, sed corona tribuetur tibi in generatione, & generationem.*

APH. XL.

Et vbi in toto corpore mutationes, & si corpus refrigeretur, vel rursus calefiat, vel calor alter ex altero fiat, longitudinem morbi significat.

Cur mutationes calidi in frigidū, & frigidi in calidū sint morbosæ, cū in microcosmo, cum tamen in macrocosmo sint salutares.

CVm homo sit omnium consensu microcosmos atque microcosmo pro mutatione temporum fiant etiam mutationes, adeo vt totum magnum corpus refrigeretur, vel calefiat rursus, & calor alter ex altero fiat; est non leui dubitatione dignum, cur in microcosmo huiusmodi mutationes sint morbosæ, adeo vt longitudinem morbi portendāt; at in macrocosmo sint omnino naturales, adeo vt nihil sit adeo decantatum, non modò apud naturales philosophos, verùm apud ipsos etiam theologos. Videtur autem magis admirandū, quod mu-

mutationes temporum præcipuè morbos in ipso microcosmo parere consueuerint, quemadmodum ipse indicauit dictator aph. 1. sectionis antecedentis; cũ tamen in macrocosmo tantum abest, vt progignant affectum præter naturam, vt potiùs hinc pendere mundi æternitatem comprobauerit Aris. secundo de ortu, & interitu, quod sola mutatio circularis possit esse perpetua. Quinimo id videtur à sacris literis non alienũ, siquidem habetur c. 1. Ecclesiastes *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem semper stat. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur ibique renascens, gyrat per meridiem & flectitur ad aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.*

Expenduntur varijs sacræ scripturæ loci.

Verùm admirari desinet quicunq; considerauerit verissimum esse quod à Sapientissimis viris dictum fuit, mundum hunc corporalem, quem conspicimus, periturum aliquãdo esse, ac pro illo aliũ longè præstantiorem denuo creandum; si scilicet hæc series ortuũ, & interituũ, in æternum duratura non est, sed cessatura aliquando, cessaturusq; motus quieti, & tempus æternitati, quoniam scilicet alienum omnino à ratione est, corpora natura mobilia, quæque naturali impetu feruntur, vt cœlestes orbes, in æterna violentia contineri; nihil enim philosophis certius, quàm nullum violentum esse perpetuum; cœlum autem, cum naturaliter feratur in circulo, præter naturam detineretur: neque minor inferretur

tur violentia elementorum naturæ, si ea quoque, quali nunc sunt natura, perdurarent; ex quibus, atque alijs huiusmodi concludunt corpora hæc cœlestia, & elementaria, quę ad hanc veluti verã genesim optimè comparata nunc sunt, exacto toto tempore, & eleuatis successiuis mutationibus, quasi toto iam negocio peracto, veluti defuncta munere suo, finiri, atque alia pro illis pulchriora, & æternam illam requiem naturaliter expetentia, & secundum se tota inalterabilia, creari denuo, quæ immutabilibus, atque æternis subseruiant, vt priora hæc nascentibus, & intereuntibus deseruiunt modò, idque ex pluribus colligitur sacrę scripturæ locis, nimirum Esaia c. 65. his verbis. *Ecce enim ego creo cœlos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora;* atque Dauid psal. 101 *Opera manuum tuarum sunt cœli, ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabit eos & mutabuntur;* atque Ioannes in apocalypsi. *Et vidi cœlum nouum, & terram nouam; primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non est.* Quibus non aduersatur locus citatus Ecclesiastes; quoniam non dicit prædictũ motum esse perpetuum. Quemadmodum ante nos præclari aliquot viri considerarunt.

APH. XLI.

Sudor multus ex somno factus absq; causa manifesta, corpus vti pluri cibo significat. Si verò cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet quod corpus euacuatione indiget.

QVemadmodum sudor multus ex somno factus absque causa manifesta, indicat corpus vel vti pluri cibo, vel prauis humoribus scatere; non secus verum est, quod inquit Sapiens in Ecclesiaste cap. 5. *Multas curas sequuntur somnia, plurima sunt vanitates, & sermones innumeri, tu verò Deum time.* Cæterum primam aphorismi particulam videtur Hippocrates mutuasse ex Ecclesiastico, vbi habetur hominem cœnantem parcè maxima quiete dormire vsque ad mane; illum verò, qui se multis cibis repleuerit, dormire parum, & cum labore.

Quomodo Hip. aph. ex Ecclesiastico mutuauerit.

APH. XLII.

Sudor multus frigidus, vel calidus, semper fluens; frigidus magis, calidus minus significat morbum.

DEmonstrat Hippocrates sudorem semper fluentem esse symptomaticum, quoniā criticus nō semper fluit; fri-

Cur sudor semper fluēs

frigidus tamen magis, quoniam indicat humorem esse magis crudum, calidus minus, quoniam aliquale indicat naturæ dominium super causam morbificā. Sic qui in Dei mandatis frigidas edit operationes, maiorem indicat mentis ægritudinem, quàm qui calidas, etiamsi quodammodo sint deprauatę; de quibus non paucas reperies sacras sententias per hoc ipsum opus conspersas.

sit symptomaticus.

APH. XLIII.

Febres quæcumque non intermittentes tertia die fortiores fiunt, magis periculosæ. Quocumque autem modo intermiserint, periculum abesse significatur.

FEbres continuæ non modò proueniunt ex materia magis biliosa; & consequenter magis apta ad morbum acutum producendum, verùm etiam talis sunt naturæ, vt demonstrent, naturam minus habere super illam dominium, atque proinde magis esse periculosas. Contra euenit in intermittentibus. Sic errores perpetui aduersus diuinas leges sunt magis periculosi, tum ratione causæ, quoniam mentem indicant magis deprauatam, atque à Deo alienam; tum ratione effectus, quoniam ipsum morbum tandem reddunt habitualem, vnde eiusdem mentis, atque corporis dissolutio. Contra se res habet in interpollatis, de-

Febres continuę ex quanā materia progignātur. Qui morbi illis assimilentur.

demonstrant etenim aliqualem Dei timorem ob conscientiam peracti sceleris; id quod habetur in sententia iam alibi citata. *Fili peccasti, noli ampliùs peccare, &c.*

A P H. XLIV.

Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt.

Cur labores fiãt in articulis. illis proponitur accõmodatũ præsidiũ.

HIC vnica affertur causa laborum, qui contingunt in articulos, in sequenti aphorismo alias non leuis momenti reperies; hoc tantùm differunt, quod hi proficiscuntur à causa interna, alij verò magis ab externa, quemadmodum ibi dignosces; hi sunt ad determinatum tempus, illi verò magis persistẽtes; hi possunt faciliùs curari, nimirum præsidio, quod respiciat causam antecedentem, atque coniunctam, inter quæ primum locum obtinet mel, de quo habetur prouerb. c. 24. *Comede mel fili mi, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo.* Quoniam verò in hoc comedendo est modus adhibendus, quo possimus sanitatem custodire, atque ab imminentibus morbis præseruari, id propterea subdit. *Sic & doctrina sapientia animæ tuæ, quam cum inueneris; habebis in nouissimis spem, & spes tua non peribit.*

A P H. XLV.

Quibus tubercula, vel in articulis labores fiunt, hi pluri vtuntur cibo.

Præcipuè arthritidis causæ proponuntur.

QVamuis verissimum sit, quod in aphorismo habet Hippocrates, quod scilicet articulorum labores contingant ob plures cibos, his tamen vt plurimum associatur venus, atque immoderatus vini vsus, vt enim venus eneruat vires, sic copia bacchi; nam quod ad venerem attinet, id manifestè admodum colligimus ex aph. 28. 29., & 30. sextæ sectionis. Præcipuè verò qui nimia venere se imbecilles reddiderunt, nullum præstantius remedium excogitarunt, quàm copioso cibo, atque potu se replere; quum tamen vbi vires sunt prostratæ, prædictis auxilijs longè magis prosternãtur; adeo vt harum rerum ignorantia causa sit, vt abyssus abyssum inuocet; id quod ex contrario manifestè depræhendes, sic etenim habetur prouerb. 24. *Vir sapiens fortis est, & vir doctus robustus, & validus; quia cum dispositione initur bellum, & erit salus, vbi multa consilia sunt.*

Quomodo illam possimus deuitare.

Excelsa stulto sapientia, in porta non aperiet os suum.

APH. XLVI.

Si rigor incidat febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est.

Vnica spes in virium robore.

QVamuis, si febri ardenti superueniat rigor, illam soluat; quemadmodum aphorismo 58. huius sectionis animaduertit Hippocrates; ibi tamen supponit virtutem fortem. E contra euenit si æger sit debilis, quemadmodum in præsenti aphorismo admonet dictator; quapropter huic analogam sententiam reperies in Ecclesiastico cap. 8. *Non spondeas super virtutem tuam, quod si spoponderis, quasi restituens cogita.*

APH. XLVII.

Excreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & biliosæ, omnes malæ; & si bene exeunt, siue per alui excretionem, siue per vrinas bonæ. Si verò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernitur, malum.

Color liuidus malus; transfertur ad prauos mores.

NON sine maxima ratione primo loco proposuit Hippocrates colorem liuidum, tanquam omnium pessimum, hoc est indicantem corruptionẽ mum, hoc est indicantem corruptionē pessimam, siquidem etiam Ecclesiasticus cap. 14. virum pessimum describens,

bens, tali dictione vsus est, inquit etenim. *Homini liuido ad quid aurum?* Cæterùm excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ fœtidæ & biliosæ omnes malæ, quoniam valde distant à naturali excretione. Si verò bene exeunt siue per alui excretionem, siue per vrinas, bonæ, quoniam indicant prodire præcedente coctione, & consequenter cum conferentia, atque tolerantia. Si verò non aliquid eorum, quæ iuuant, per hæc loca excernatur, malum ob contrariam causam quoniam significat non educi illa, quæ educi deberent. Tribus his sententijs in præsenti aphorismo contentis multas reperies analogas in sacris literis; sunt verò omnes spectantes ad operationes, quæ proueniunt cum proximi conferentia, atq; tolerantia, vel è contra; quas proinde quibus signis dignoscantur, indicarunt Sapiens atque Sirachius varijs in locis, quos alibi citauimus.

Cur etiã excreationes liuidæ si bene exeũt sint bonę

APH. XLVIII.

In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & sitim habeat, lethale est.

Cura quã obrẽ sic appelletur.

Hilaritatis vtilitas.

INter reliqua, quæ calorem adurentem reuocant ab exterioribus ad interiora, sunt ingentes curæ, dicuntur etenim curæ, quoniam cor vrunt. E contra

Cura quã ob rem sic appelletur.

E contra hilaritas cum vitæ tranquillitate ipsum calorem reuocant ab internis ad externa; id quod indicatur prouerb. cap. 29. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.*

Hilaritas vtilitas.

Et in Ecclesiastico c. 3. *Qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Est autem animaduertendum, non temerè addidisse Hippocratem particulam, *& sitim habeat,* siquidem prædictis dictionibus demonstrat, adesse non quamlibet internarum partium vstionem, sed maximam, quæ scilicet sit inflammatio quædam attrahens calorem, quasi cucurbitula, à partibus externis ad internas; præterquam, quod symptomata est non leue, cũ ipso principali morbo, vel incipiens, vel illi superueniens. Est autem longè maius tormentum sitire, quàm esurire, quamuis vtrumque minetur æquale vitæ discrimen; quo factum est, vt Moses Deuteronomij cap. 8. sitim comminetur populo incredulo, per hæc verba. *Seruies inimico tuo, quem emittet ibi Dominus in fame, & siti, & nuditate;* vt interim alia prætermittam sacræ scripturæ loca, idq; breuitatis studio.

Stis magnum est tormentom.

APH. XLIX.

In febre non intermittente si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium peruertatur, vel non videat, vel non audiat, iam debili existente corpore, quicquid horum euenerit, mors proxima est.

QVemadmodum hæc pessima symptomata non modò morbum esse deploratum, verùm etiam proximam mortem denunciant; non secus aliqua consimilia sunt in viro impio, praua signa, quæ eius certum, & repentinum exitium portendunt, quod indicatur prouerb. c. 6., quando inquit. *Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat; huic extemplo veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit vltra medicinam.* Et c. 10. *Qui annuit oculo, dabit dolorem, & stultus labijs verberabitur, vena vitæ os iusti, & os impiorum operit iniquitatem.* Et 16. *Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua, perficiet malum.* Hanc autem faciei commutationem fieri à potentissima caussa demonstrauit in Ecclesiaste capit. 8., quando inquit. *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & potentissimus faciem illius commutabit.* Esse

Animi morbi deducentes ad festinatum interitũ.

Maxima faciei per mutatio à qua caussa proueniat.

autem pessimam causam, quæ oculis suam actionem aufert, indicatur in Ecclesiastico cap. 18. *Sultus acriter improperabit, & donum liuidi tabescere facit oculos.*

APH. L.

Vbi in febre non intermittente difficultas spirandi, & delirium acciderit, lethale.

Cur in febre nō intermittente difficultas spirandi, & delirium sit lethale.

IN febre non intermittente difficultas spirandi, atque delirium, est lethale, quoniam grauiter afficitur membrum princeps, nempe cerebrum; quo sic laborante, vniuersum corpus, atque reliqua membra citò trahuntur in consensum. Sic habetur prouerbiorum 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios.*

APH. LI.

In febribus, abscessus, qui ad primas indicationes non soluuntur, longitudinem morbi significant.

Abscessibus, qui non iudicāt, assimilantur viri promittētes, atque promissa nō complētes.

QVemadmodum hi abscessus, qui ad primas iudicationes non soluūtur, longitudinem morbi significant; non secus vt habetur in Ecclesiastico cap. 20. *Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis. Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior fur, quàm assiduitas viri mendacis, perditionem autem ambo hæreditabunt.* Et prouerbiorum cap. 25. *Nubes, & ventus, & pluuiæ non sequentes, vir gloriosus, & promissa non complens.*

APH. LII.

Quicunque in febribus, vel alijs morbis sponte illachrymant, nihil absurdum, qui verò non sponte, absurdius.

Cur lachrymæ sint meliores risu.

ESse lachrymas voluntarias tanquam signum, & tanquam causa, bonas; non voluntarias autem dicit Hippocrates malas. Addit Sapiens in Ecclesiaste cap. 7. esse meliores risu, cuius sententiæ etiam rationem tradit, quando inquit. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, in illa enim finis admonetur cunctorum hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit.* Subscribit Sirachius cap. 7. *Non desis plorātibus in consolatione, & cum lugentibus ambula.* Præcisè tamen demonstrat c. 12. lachrymas non spontaneas esse malas, quando inquit. *In oculis suis lachrymatur inimicus, etsi inuenerit tempus, non satiabitur sanguine, & si incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorem. In oculis suis lachrymatur inimicus, & quasi adiuuans suffodiet plantas suas: caput suum mouebit, & plaudet manu,*

Lachrymæ non spontaneæ cur malæ.

manu, & multa susurrans commutabit vultum suum. Causa verò propter quã lachrymæ non spontaneæ sunt malæ, est quoniam non excernuntur à natura noxium ab innoxio segregante, sed à natura irritata; namque id propterea habetur in Ecclesiastico cap. 22. *Pungens oculos, deducit lachrymas, & qui pungit cor, profert sensum.*

APH LIII.

Quibus circa dentes in febribus quidem lentores nascuntur, his fortes fiunt febres.

Oris custodia tã corporalis, quàm spiritualis.

QVod circa dentes fuit ab Hippocrate pronunciatum, est de quacunque oris parte intelligendum, atque proinde quamlibet oris partem esse custodiendam, ne scilicet ad illam decumbat materia pravæ conditionis, in nostris diximus commentarijs. Hoc animaduertit Sapiens prouerb. cap. 13. esse maximi momenti, quando inquit. *Qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est loquendum, sentiet mala.*

Et cap. 14. *In ore stulti virga superbia, labia sapientũ custodiunt eos.*

APH.

APH. LIV.

Quibus plurimum siccæ tusses leuiter irritantes in febribus ardentibus fiunt, non multùm siti infestantur.

Cur siccę tusses in febribus ardentibus non permittant ęgrotantem sitire.

SIccę tusses in ardentibus febribus humectant os, guttur, & fauces, atque proinde sitis longè minus præsentiri solet, quoniam scilicet tussis illa hamiditatem exprimit ab adiacentibus partibus partibus, quæ paulatim irrigat oris partes, quapropter mitescit sitis quælibet, siue oriatur ex pulmonibus, siue ex ventriculo. Est autẽ animaduertendũ, id pronũciasse diuinũ Senem, vt demõstret, quomodo natura sit morborũ medicatrix, siquidẽ etiã in febre ardẽti, cuius pathognomomicũ signũ est sitis, cõsueuit talẽ efficere irrigationẽ. Cui respondet, quod habetur apud Esaiã c. 41., quando populo afflicto, & desperationi proximo pollicetur, se subuenturũ, inquit etenim. *Irrigabo scaturigine aquarũ terrã aridã, ac siticulosam*, & quemadmodũ id posuit Hipp., vt imitaremur naturam bene operantẽ gargarismatibus, atq; alijs huiusmodi; non secus consueuimus nos in huiusmodi febribus ardẽtibus, quæ præcipuè æstiuo tempore excitantur, spargere frondes virentes per cubiculũ; cui respondet quod statim subnectit propheta. *Ponam in deserto abietem, vlmum, cedrum myrtum, cupressum; ponã in locis incultis, ac squalidis pinum, & buxum.*

Locus Esaiæ aphorismo comparatur.

APH. LV.

Ex bubonibus febres omnes malæ præter diarias.

Cur febres omnes ex bubone sint malæ præter diarias.

HVnc aphorismum conscripsit Hippocrates, vt nos edoceret distinguere glādium tumores malignos, ab his, qui sunt benefici; benigni etenim producunt tantùm febrem ephemerā; maligni verò dolores, recidiuas, morbi longitudinem, aut denique mortem. Sic habetur in Ecclesiastico cap. 22. *Ad amicum & si produxeris gladium, non despe-res; est enim regressus ad amicum. Si apparuerit os triste, ne metuas; est enim cōcordatio excepto conuitio, & improperio, & superbia, & mysterij reuelatio, & plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus.*

APH. LVI.

Febricitanti sudor superueniens, febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & multam significat humiditatem.

Cur sudor superueniens, febre nō deficiente malus

EST huiusmodi sudor malus, quoniam mendax; atque proinde huic aphorismo est analogum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 20. *Mores hominum mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis.*

APH.

APH. LVII.

Qui à conuulsione, aut distentione neruorum tenetur, febre superueniente liberatur.

Quomodo vtilitas ex inimicis capienda,

EX præsenti aphorismo colligitur esse vtilitatem ab inimicis capiendam, & consequenter de illius damno non esse lætandum, quod animaduertit Sap. prouerb. 24., quando inquit. *Cum ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum; ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Quinimo admonet nos, vt illi benefaciamus 25, quando inquit. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput eius, & Dominus reddet tibi.* Dubium tamen est, quomodo quod sua natura est malum, alteri prodesse possit, cum dixerit Sirachius cap. 14. *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* Est tamen animaduertendum, Hippocratem non intellexisse de quacunque febre, sed de illa tantùm, quæ per se non est omnino mala, cum ab alijs morbis possit preseruare. Est verò quartana, de qua sic habet section. 5. aphor. 71. *A quartana capti, non admodum à conuulsionibus capiuntur, si verò priùs capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.* Quomodo etiam morbus curetur à morbo superueniente indicauit c. 31. *Cogita-*

Quomodo, quod sua natura est malum, possit alteri prodesse.

tus præscientia auertit sensū, & infirmitas grauis sobriam facit animam.

APH LVIII.

A febre ardente habito, rigore superueniente, solutio.

CVm ira sit accensio sanguinis circa cor, illi potest assimilari febris, quæ est intemperies calida, & sicca accensa in corde; atq; proinde ira vehementior febri vehemētiori potest cōparari; potest scil. ardenti; & quemadmodum illam soluit superueniens rigor, non secus hanc extinguit superueniens hilaritas, id quod habetur prouerbiorum 19. *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira; & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius.*

In quo cōueniat ira cum febri.

APH. LIX.

Tertiana exquisita septenis circuitibus, quod longissimū est, iudicatur.

CAusa, propter quam tertiana exquisita septenis circuitibus, quod ad summum est, terminetur, est quoniam non modò est intermittens, verùm etiā, quoniam progignitur ex materia sua natura facilè alterabili, quæ proinde facillimè abit per sudorem, vomitum, & alui excretionem. Cui ægritudini sunt analogi omnes interpollati animi morbi, in quibus quamuis peccata aliquot grauia

Cur tertiana exquisita septenis circuitibus terminetur.

Interpollati animi morbi

grauia committantur, sunt tamen interpollata, atque intermedio tempore, non obliuiscitur æger creatoris sui, atque mandatorum suorum; quorum exempla plurima extant in sacris voluminibus.

bi quomodo illi assimilentur.

APH. LX.

Quibus in febribus aures obsurdescunt, sanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata soluit morbum.

NOn loquitur hic Hippocrates de vera surditate, sed de spuria, quam scilicet patiuntur aliqui in febribus, atque proinde dicuntur non surditatem pati, sed *obsurdescere*; quoniam scilicet flatuosus spiritus, qui ex putrescenti materia eleuatur, impetum faciens, sursum repit, atque in auditus organo, quasi carcere detentus, prædictum affectum parit, facilem tamen curationem admittit, quemadmodum habetur in aphorismo; huic est analogum, quod habetur Ecclesiastes cap. 10. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.*

Obsurdescentia, vnde proueniat quis animi morbus illi sit analogus.

A P H. LXI.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris reliquerit solet recidiuare.

Cur febris desinẽs diebus paribus soleat recidiuare.

RAtio est, quoniam motus parium dierũ non fuit à natura institutus; atque proinde si in illis fiat, solet reuerti, consueuit etenim natura ab astris adiuuata in diebus tantùm imparibus expellere; motus verò, qui fit in die pari, vt plurimùm esse consueuit naturæ coactæ; atque ideo vt plurimùm nõ potest exactè finire morbum. Id propterea abijt in prouerbium. *Numero Deus impari gaudet,* quorum tam multa extant exempla in sacris, vt in illis transferendis non sit tempus conterendum; cum præcipuè multa, eaque non vulgaria in secunda sectione fuerint proposita.

A P H. LXII.

Quibus in febribus morbus regius ante diem septimum accidit, malum.

Cur morbus regius ante septimum febri superueniens sit malus.

ESse quidem morbum regium ante diem septimum signum malum, non tamen pessimum, in nostris commentarijs aduersus Plinium demonstrauimus; huic analogum signum in peccatore ex Sapiente depromemus inferius. Interim adnotandum, quod morbus regius est quidam abscessus, atque proinde

proinde cum ante septimum fiat, non potest prouenire criticè, quoniam materia non est concocta; sed tantummodo symptomaticè, ratione morbi. Non secus si alicui animi ægritudine laboranti alius morbus superueniat, existente materia pertinaci, quæ morbo regio ante diem septimum superuenienti assimilatur, est malum, non parui momenti de his multa reperies in sacris, illorum scilicet, qui ex vno animi morbo labuntur in alium, non tamen desinente priore ob maximam causæ morbificæ pertinaciã: hoc est, vel maximam auersionem à diuinis præceptis, vel ob prauam aliquam corporis temperaturam, quàm vt plurimùm sequuntur animi mores, quemadmodum ante Gal. comprobauit Aris. in physiognomicis cap. 2.

A P H. LXIII.

Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres soluuntur.

Apparẽs contradictio soluitur.

VIdetur hic aphorismus aduersari aphorismo 46. huius sectionis, quãdo inquit. *Si rigor incidat febre non deficiente ægro iam debili, lethale est.* Non tamen aduersatur, quoniam ibi dixit ægro iam debili, hìc verò supponit ægrotantem non debilem. Quibus aphorismis consonat, quod habet Sirachius cap. 27. *Vasa figuli probat, fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.*

APH. LXIV.

Quibus in febribus morbus regius septimo, vel nono, vel vndecimo, vel quartodecimo superuenerit, bonum, nisi dextrum ilium obduruerit, si verò non, non bonum.

Icteritia quando mala, & quando non mala. Vtrique qui animi morbi assimilentur.

QVemadmodum cutis defedatio bonis associata signis est non mala, si verò prauis signis associetur, existit mala; non secus, tale quid, de animæ maiore, vel minore turpitudine pronunciatur prouerb. cap. sexto. *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit: furatur enim, vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, & liberabit se. Qui autem adulter est, propter cordis impiam, perdet animam suam, turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur: quia zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Quod si obijcias latrocinium esse malum, atque proinde non respondere icteritiæ diebus decretorijs superuenienti, quæ est bona; memento Hippocratem icteririam latrocinio analogam proposuisse aph. 62. quæ est quidem mala, non tamen semper lethalis. Illi vero, quod in fine aphorismi tradit Hippocrates, icteritiam apparen-

Obiectio ni satisfit.

parentem in die non decretorio, esse signum non bonum, respōdet, quod habetur prouerb. 24. *Cognoscere personam in iudicio non est bonum*; quemadmodū etenim crisis in die nō decretoria apparens, est signum non bonum; non secus, quod in prædicta habetur sententia.

APH. LXV.

In febribus circa ventriculum, & fortis æstus, & cordis morsus, vel dolor, malum.

AEstui forti, qui fit circa ventriculum, proportione respondet ingens cura, quam semper de filijs habent parentes, dicitur autem cura, quasi cor vrens. Cuius medelam proposuit prouerb. 29. *Erudi filium tuum, & refrigerabit te.* Cordis morsui, vel eiusdem vehementi dolori, est analogum, quod traditur in Ecclesiastico cap. 26. *Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa: in muliere zelotypa, flagellum linguæ omnibus communicans.*

Aestiui circa vētriculum & cordis morsui, qui animi affectus respondeat.

APH. LXVI.

In acutis febribus conuulsiones, & circa viscera dolores fortes, malum.

QVamuis huiusmodi morbi, atque symptomata proueniant à causa interna, quæ circa viscera progignit dolores fortes, atque ad neruosum

In acutis febribus conuulsiones, &

citca viscera dolores fortes cur sint mali.

Qui animi morbi illis respondeant.

sum genus delata efficit conuulsionem; huiusmodi tamen causa interna excitatur ab externa, quæ in hoc casu tantam habet efficaciam, vt manifesta morbi occasio dici possit. Inter reliquas externas, maximam vim obtinet metus ingens amittendæ vitæ & existimationis; proinde sic in Ecclesiastico cap. 4. *Ne accipias faciem aduersus faciem tuã, nec aduersus animam tuam mendacium.* Huic autem aphorismo sententia analoga cap. 19. *Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo; & est iustus qui se nimium submittit à multa humilitate, & est iustus qui inclinat faciem suam, & fingit non videre se quod ignoratum est: etsi ab imbecillitate viriũ vetetur peccare, si inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet.*

APH. LXVII.

In febribus ex somnis timores, vel conuulsiones, malum.

In febribus ex somnis timores cur sint mali.

Timores, vel conuulsiones, quæ febribus ex somnis contingunt, non sunt de nihilo, sed demonstrant latere anguem in herba, id quod animaduertit Sapiens Ecclesiastes cap. 10 *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Cæterùm cum dicat Hippocrates timores ex somnis esse malos, videtur intelligere fieri timores ex somnijs, quę in somno contigere. Cui videtur refragari Ecclesiasticus cap. 34., quando inquit. *Sana spes, & mendacium*

Apparẽs contradictio diluitur.

in sensato viro, & omnia extollunt imprudentes, quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic & qui attẽdit ad visa mendacia, secundum hæc visa somniorum; ante faciem hominis similitudo alterius hominis: ab immundo quid mũdabitur? & à mendace quid verum dicetur? Diuinatio erroris, & auguria mendacia, & somnia maleficientium vanitas est. Non tamen hæc aduersantur aphor., quoniã subdit statim. *Et sicuti parturiẽtis cor tuũ phantasias patitur, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio,* per quę verba videtur indicare, esse aliqua somnia, quæ nõ sunt contẽnenda, quę scil. à Deo missa fuere; nõ secus dictator videtur dãnare timores ex somnijs nõ quoscunq; sed in febribus, quoniã vel indicant humorẽ adesse atrabiliarẽ, atq; sic sunt mali vt signũ; vel mali vt causa, quoniã timor in ægrotantibus maximã efficit virium prosternationẽ. Dixit etiam *in febribus,* quoniã si ex somnis fiant timores citra febrẽ, erunt indifferentes, quod indicauerat in Ecclesiaste c. 5. *Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur stultitia.* Nisi velis id etiam prauã indicare animi constitutionẽ, siquidem subdit paulo post *Vbi multa sũt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri.* Possunt rursus timoribus ex somno prouenientibus assimilari timores, de quibus loquitur Ecclesiasticus cap. 40., quando inquit. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugũ graue super filios Adã à die exitus de*

Cui dixerit Hipp. in febribus.

Qui animi mor bi illis assimilentur.

ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium; cogitationes eorum, & timores cordis, adinuentiones expectationis, & dies finitionis à præsidẽte super sedem gloriosã, vsque ad humiliatum in terram, & cinerem; ab eo qui vtitur hyacintho, & portat coronam, vsq; ad eum qui operitur ligno crudo. Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseuerans, & contentio, & in tempore refectionis in cubiculi somnus noctis immutat scientiam eius. Est rursus admirandum Hippocratis artificium, quippe qui aphorismum prorsus conscripsit analogum sententiæ, quam pronunciauerat Sapiens prouerbiorum cap. 3., quando inquit. *Custodi legem meam, & consilium meum, & erit vita animę tuæ, & gratia faucibus tuis, tunc ambulabis fiducialiter in vita tua, & pes tuus non impinget, si dormieris non timebis.* Est inquam analogus, quoniam vitæ corporeæ respondet vita *animę*. Conuulsioni opponitur *ambulare fiducialiter, & pedem non impingere*, timoribus ex somnis opponitur, *si dormieris non timebis*. Nam quemadmodum in febribus ex somnis timores, vel conuulsiones malum, quoniam prauam indicant corporis constitutionem, non secus non ambulare fiducialiter, & pedem impingere, & timere dormiendo, prauam indicant animæ dispositionem, seu habitum.

APH.

APH. LXVIII.

In febribus spiritus offendens malum; conuulsionem enim significat.

Cur in febribus spiritus offendẽs sit malũ.

NON dixit Hippocrates hoc symptoma esse lethale, & formidandum, atque proinde non debere medicũ detereri, sed intrepidè curationẽ aggredi. Cui proportione respondet, quod habetur Ecclesiastes cap. 10. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te locum tuum ne dimiseris, quia curatio faciet cessare peccata maxima.* Est autem animaduertendum, quod spiritus nomine apud medicos intelligitur aliquando spiritus insitus, seu implantatus, quod idem est, atque calidum innatum, quod animam medicè loquendo appellare consueuit Hippocrates, aliquando verò vsurpatur pro vento, aliquando verò alio desumitur significato; in præsenti tamen aphorismo desumitur pro spiratione, quemadmodum etiam vsurpatum fuit aph. 50. huius eiusdem sectionis, & primo prognosticorum tex. 27. atq; alijs pluribus in locis. Non secus in sacris literis, quamuis vt plurimum *spiritus* nomen vsurpetur pro animas sæpiùs tamen significat spiritualia dona, quemadmodum cap. 11. Numerorum. *Descenditque Dominus per nubem & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris.* Hoc est, transtulit ad eos spiritum prophetię;

quo

quo significato exposcebat Eliseus dari sibi spiritum Eliæ, atq; secundum hanc significationem intelligendum, quod habetur c. 27. Numerorum. *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinẽ hanc,* Hoc est, distribuat omnibus hominibus spiritualia dona.

APH. LXIX.

Quibus vrinæ crassæ, grumosæ, paucæ non sine febre, multitudo veniens ex his tenuis iuuat; præcipuè verò tales veniunt, quibus ab initio, vel breui sedimen inest.

IN quibuscunque excretionibus per aluum iuuare excrementorum mutationem, dummodo non fiat ad malum mutatio, iam sectione secunda demonstratum est; hoc idem demonstrat Hip. in præsenti aphorismo, exemplo ab vrinis deprompto. Non secus qui graui aliquo vitio laborans, illud permutat in aliud minus malum, aliquod potest iuuamen persentire. Verùm quod maioris est momẽti, quemadmodum fit mutatio cum vtilitate quando permutatur vrina pauca in multam, cruda in coctã, & crassa in tenuem. Non secus contingit illi, qui in vitiorum excretione, pro paucis excernit multa, pro illis quæ temerè excernuntur, egerit cum præmeditatione, atq; pro crassis excernit illa, quæ fuerunt

Sẽtentia aphorismo analoga.

runt attritione præparata, namque *ex attrito fit contritum*, quemadmodum constat ex pluribus sententijs sacris.

APH. LXX.

Quibus vrinæ perturbatæ, quales sunt iumentorum, his dolor capitis, vel adest, vel aderit.

VRinæ perturbatæ quales iumentorũ maximam indicant perturbationẽ in sanguine, vnde multę proueniunt capiti perniciosissimæ molestiæ, quas sub vnico exemplo nimirùm dolore capitis complectitur Senex. Hinc etiam sapiens in reliquis damnat turbationem Prou. 25. quando inquit. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus oppressus ab impio.*

Vrinæ perturbatæ quales iumẽtorũ vnde proueniant.

APH. LXXI.

Quibus septima iudicatur, his nubeculam habet quarta die vrina rubeam, & alia ex ratione.

QVamuis iudicatio, seu morbi solutio, possit qualibet cõtingere morbi die; est tamen illa optima, quę aduenit in die iudicatoria, cuius exemplum tradit Hippoc. in præsenti aph. Non secus habetur in Ecclesiastico c. 36. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis.* Est inquam sententia analoga, quo-

Optima iudicatio quæ.

Dei misericordia quomodo illi sit analoga.

quoniam quemadmodũ est bona morbi solutio, quæ contingit in die decretoria, quoniam est dies, quæ regitur ab astris; ita misericordia Dei, quamuis omni tempore sit gratissima, est tamen tunc maximè, quando maxima adest necessitas, quoniam tunc maximè à Deo prouenire cognoscitur, quod indicat, quando subdit. *Miserere nostri Deus omniũ, & respice nos; & ostende nobis lucem miserationum tuarum, & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te, vt cognoscant, quia non est Deus nisi tu; vt enarrent magnalia tua. Alleua manum tuam super gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Sicuti enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis, vt cognoscant te, sicuti & nos cognouimus, quia non est Deus præter te Domine.* Et quemadmodum quando aliquid occurrit diuinum in morbis, hoc est in die iudicatoria, præcedit signum in die indicatoria, hoc est in quarta, quod exemplo nubeculæ rubeæ quarta die apparentis, & aliorum ex ratione declarat Hippocrates. Non secus subdit. *Innoua signa, & immuta mirabilia, glorifica manum, & brachium dextrum, excita furorem, & effunde iram, extolle aduersarium, & afflige inimicum; festina tempus, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua.*

APH.

APH. LXXII.

Quibus vrinæ albæ, & perspicuæ, malæ, præsertim si in phreniticis appareant.

SI verum est, quod dictum fuit aphorismo 70., quod vrinæ perturbatæ, quales iumentorum, sunt malæ; cum contrariorum contrariæ sint conditiones, deberent albæ, & perspicuæ esse bonæ, vel saltem non malæ; sunt tamen adeo malæ, vt quãdo præcipuè in phreniticis conspiciuntur, sint maximè formidandæ; ratio est potissima, quòd materia noxia morbum inferens, intus delitescat, atque ad cerebrum deferatur, & consequenter simul cum vrinis non excernatur; atque proinde tales vrinæ nullum præbent morbi indicium, adeo vt falsæ possint nuncupari. Tale quid habetur prouerbiorum cap. 27. *Verba susurronis, quasi simplicia, & ipsa perueniunt ad intima cordis. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile, sic labia tumentia cum pessimo corde sociata. Labijs suis intelligitur inimicus, cum in corde tractauerit dolos; quum submiserit vocem suam, ne credideris ei, quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in concilio.* Iam verò quæ ad cerebrum attinent fuisse à Sapiente (quem imitatus fuit Aristoteles) tributa cordi, iam alibi à nobis fuit demonstra-

Cur vrinæ albæ, & perspicuæ sint malæ.

Qui animi morbus illi respõdet

stra-

Hip.artificium.

straturn. Est autem animaduertendum, admirandum Senem hunc aphorismum præcipuè ob ignaros medicos conscripsisse; cum etenim vident vrinas crassas, atque perturbatas paulatim in albas, & perspicuas transmutari, existimant has illis esse magis laudabiles, cum tamen sint deteriores; sunt inquā ignari, quoniam ad pauca respicientes facilè enunciant. Quod verò ad phrenitidem attinet, si eius potentissimam caussam exposcis, consule librum Iudith cap. 8., in quo narratur mors Manasses mariti Iudith per hæc verba. *Vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ; instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est.* Fuisse verò phrenitidem colligitur ex illis verbis. *Et venit æstus super caput eius.* Quem locum ad alium aphorismum explicandum superius adhibuimus.

Phreniti. dis caussa.

APH. LXXIII.

Quibus ilia suspensa murmurāt, lumborum dolore superueniente, his alui humectantur, nisi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat; hæc verò in febribus.

QVemadmodum errores in sex rebus non naturalibus consueuerunt progignere iliorum suspensorum murmur,

murmur, atq; lumborū dolorē, quæ perturbatio vt plurimū ex flatibus prouenire consueuit; non secus stultus consueuit domum suam perturbare, vnde proueniunt pœnæ, quæ prouerbiorum 11. *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos, & qui stultus est, seruiet sapienti.* Et 17. *Melior est bucella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.* Et quemadmodum prædictum affectum soluit alui humectatio, vel flatus erumpentes, vel vrinæ multitudo, atque vnico verbo, ablatio causæ; non secus subdit. *Fructus iusti lignum vitæ, & qui suscipit animas, sapiens est.*

Iliorum suspēsio & lumborū dolor ex quibus caussis prouenire consueuerīt. Prædictorum symptomatum, atq; illis analogorum medela.

APH. LXXIV.

Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab ascessu vrina multa, crassa, & alba facta, qualis in lassitudinarijs febribus quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, breui admodum solutio fit.

QVemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs, hunc aphorismum conscripsit Hippocrates ad hoc, vt naturam bene operantem imitantes, possimus ab imminente morbo, nimirum abscessu futuro ad articulos, quemlibet præseruare, facta scilicet expurgatione materiæ noxiæ per vrinam, atque si opportuerit sā-

Quomodo possimus abscessum futurum ad articulos præcauere.

guinis missione. Cui respondet præseruatiuum præsidium ab imminenti malo, quod proponitur in Ecclesiastico c. 3. hunc in modum. *Fili suscipe senectã patris tui, & non contristes eum in vita illius, & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute: eleemosynam enim patris non erit in obliuione: nã pro peccato matris restituetur tibi bonum, & in iustitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui; & sicuti in sereno glacies, soluentur peccata tua.*

Præseruatiuũ pręsidium illi proportione respondens.

APH. LXXV.

Si sanguinem, aut pus mingat, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat.

SI præsens affectus diù perseueret, nõ potest non indicare diuturnum aliquod vitium renum, aut vesicæ; quoniam hæc frequens excretio non potest à toto prouenire, atque diu perdurare; quemadmodum in nostris demonstrauimus commentarijs. At quemadmodum nullum est determinatæ alicuius partis vitium, quod sui aliquale signum non prodat; sic nulla est animi ægritudo, quę aliquo indicio non manifestetur, sunt autem tria potissimùm indicia, nimirum actiones faciei, præcipuè oculorum motitationes, atque progrediendi modus; quæ passim reperies in sacris, præcipuè autem in Ecclesiastico.

Cur mistus sanguinis, aut puris iudicent diuturnum vitium renum, aut vessicæ. Animi ægritudines quibus signis dignoscantur.

APH.

APH. LXXVI.

Quibus in vrina crassa existente, caruncula parua, aut veluti capilli vnà exeunt, his è renibus excernitur.

QVamuis carunculæ paruæ, aut veluti capilli, qui vnà exeunt cum vrina, videantur res parui momenti, indicant tamen non contemnendum renum vitium; quapropter non immeritò de hoc affectu mentionem fecit Hippocrates in hoc aphorismorũ opere, in quo nihil parui momenti pertractauit. Id significatur in Ecclesiastico cap. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur, & qui spernit modica, paulatim decidet.* Cæterum adnotandum, diuinum Senem non dixisse capilli, sed *veluti capilli*, quoniam verè, & propriè dicti capilli non possunt in internis corporis partibus generari, & quod magis est si fortasse (vt aliquando contingit), deuorentur, non possunt per vrinam excerni, sed in ventriculo detenti ob sibi innatam flexibilitatem ipsi quidem vẽtriculo maximam noxam, atque tandẽ choleram, morbum acutum, atque maximè periculosum inferre consueuerũt, quemadmodum à pluribus consumatissimis medicis obseruatum est; quinimo si rebus pinguibus commisceantur, certissimum inferunt exitium. Exemplum habemus apud Danielem cap. 14. vbi sic

Cur nihil etiam minimũ sit ommittendum.

Hipp. artificium.

 habe-

habetur. *Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter, fecitque massas, & dedit in os Draconis, & diruptus est Draco.* Hanc etenim interficiēdi facultatem potiùs tribuimus pilis, quàm reliquis massam ingredientibus, quoniam adeps facultatem habet alimentalem; pix verò quamuis nullam obtineat alendi facultatem, illi tamen nulla vis inest perniciosa, hæc tamen duo fuerunt in causa, vt pili intus commorantes per infernam sedem exitum non inuenerint.

Draco quomodo fuerit à Daniele interfectus.

APH. LXXVII.

Quibus in vrina crassa, furfurea quædam simul exeunt, his vesica scabie laborat.

EX furfuraceis in vrina crassa apparentibus, indagauit Hippocrates vesicam scabie laborare; non secus Ecclesiasticus cap. 27. ex verbis cuiusque viri eius cordis naturam indagandam esse animaduertit. Inquit etenim. *Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius, sic verbum ex cogitatu cordis hominis. Ante sermonem non collaudes virum, hęc enim tentatio est hominum.*

Quomodo sit cuiusuis hominis natura indaganda.

APH. LXXVIII.

Quicunque sponte sanguinem mingunt, his à renibus venulam ruptam significatur.

INter reliquas causas, quæ spontaneū saguinis mictum excirant, est nimius veneris vsus, qui non paucis iuuenibus est quàm brutis longè magis familiaris, vnde non modò aperiuntur, verùm etiam aliquando disrumpuntur venulæ in renibus existentes; id autem præcipuè contingit in concubito cum meretricibus, cum quibus validiores, atque violentiores corporis agitationes exercentur; quod non siluit concionator cap. 23. *Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens vsque ad finem.*

Spontaneus sāguinis mictus quomodo ab animi, & corporis vitio possit prouenire.

APH. LXXIX.

Quibus in vrinis arenosa subsistunt, his vesica laborat calculo.

QVemadmodum illi præcipuè, qui sæpè præter naturam plns ingerere consueuerunt, incidunt inter reliquos morbos in lithiasim. Non secus verissimum est, quod habetur prouerbiorum 20. *Suauis est homini panis mendacij & postea implebitur os eius calculo.*

Vessicæ calculo quis morbus sit analogus.

APH. LXXX.

Si sanguinem mingant, aut grumos, vel stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, & pectinem, & femem; circa vesicam labor est.

Signorũ alia communia, alia propria.

QVemadmodum dixit Hippocrates aph. 75. per quædam signa communia indicari partes internas affectas indeterminatè; non secus per signa quædam propria, quomodo pars determinatè læsa dignosci possit, in præsenti demonstrat aphorismo. Sic habetur in sacris literis non modò signa cõmunia, verùm etiam propria, per quæ possimus peculiarem aliquem animi morbum indagare, quorum aliquot exempla in hisce nostris collationibus reperies.

APH. LXXXI.

Si sanguinem, aut pus minxerit, aut squamulas, & grauis odor adsit, vesicæ exulcerationem significat.

Ex odore quomodo dignoscantur affectus corporis, atque animi.

HVic etiam aphorismo quadrat, quod in præcedenti dictum est; hoc solùm ab illo differt, quod grauis odor magis præcisè affectam partem demonstrat, nimirum vesicam esse malè exulceratam. Non secus D. O. M. odore dignoscit

gnoscit quodlibet humanum opus, quemadmodum habetur Geneseos cap. 8. *Aedificauit autem Noe altare Domino, & tollens de cunctis pectoribus, & volucribus mundis, obtulit holocausta super altare, odoratusque est Dominus odorem suauitatis, &c.* Atque apud Ezechielem cap. 20. *Et ibi quaram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris; in odorem suauitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, &c.* Sic etiam fœtore prauam quamlibet operationem.

APH. LXXXII.

Quibus in vrinaria fistula tubercula nascuntur; his suppuratione facta, & eruptione, solutio.

Remota caussa remouetur effectus tam in corpore quam in animo.

EXemplo tuberculorum natorum in vrinaria fistula, demonstrat Hippocrates, quod remota causa remouetur effectus; cuius sententiæ tam multa extant exempla in sacris voluminibus, præcipuè verò in libris Regum, vt quilibet vel mediocriter in illis versatus illa possit inuenire, atque huc transferre; præcipuum autem exemplum est in superbia, quando etenim hominis superbi inflata vesica rumpitur, tunc ille sanatur, quoniam cœteris humilior euadit.

APH. LXXXIII.

Mictio noctu plurima facta paruam significat deiectionem.

Cur vrina plurima noctis factu minimã portendat deiectionẽ.

VRinæ copiam imminuere alui excrementa, ex eo fit manifestum, quòd ex eodem chylo, qui ad intestina transmittitur, fiunt alui excrementa, atque vrinæ; atque proinde si multus humor excernatur per vrinam, paucus remanet in ventre; quo exemplo demõstratur, quod alibi absolutè pronunciauit Hippocrates, totum corpus esse confluxibile, atque transpirabile. Quò spectant illa adeo decantata apud D. Paulum, quod debemus nos inuicem diligere, quoniam Christus Dominus nostrum est caput, nos autem eius membra; & quemadmodum vnum membrum alterius vtitur ministerio; non secus debere esse in nobis confluxum vnum, conspirationem vnam, consensientia omnia.

Finis quartæ Sectionis.



APHORISMORVM HIPP.

SECT. QVINTA.

APH. I.

Conuulsio ex helleboro lethalis.



Onuulsio ex helleboro est lethalis, quoniam plurima facta intempestiua euacuatione deficiunt vires, eo quod dissipatum fuit humidũ primigeniũ, quod est pabulum calidi natiui; atque proinde aphorismo proportione quadã respondet sententia, quæ habetur prouerbiorum 29. *Cum prophetia defecerit, dissipabitur populus; qui verò custodit legem, beatus est.*

Cur conuulsio ex helleboro lethalis.

APH. II.

Conuulsio ex vulnere lethalis est.

SI conuulsio ex helleboro est lethalis, ob rationem in præcedenti aphorismo

Le x diui na comparatur sanguini

mo propositam, quanto magis erit lethalis conuulsio, quæ fit ex vulnere? quamuis etenim obseruauerim ex vulnere excretas circiter vigintiquinque sanguinis libras, atque vulneratum superstitem permansisse; cùm tamen eò deuenerit, vt pariat conuulsionem, tantam existimandum est fieri vasorũ inanitionem, vt vita fundatur simul cum sanguine; sic deficiente lege, quæ est reipublicæ vita, dissipatur populus.

APH III.

Vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus, aut conuulsio superueniens, malum.

NOn quælibet sanguinis effusio singultum, aut conuulsionẽ procreat, & consequenter mortem, sed plurima. Est autem animaduertendum non immeritò dixisse Hippocratem singultum, aut conuulsionem, plurimę sanguinis effusioni superuenientem, esse signum malum, quoniam intelligit de singultu, atque conuulsione, quæ fiunt ex inanitione, quæ vt plurimum sunt lethales, nam præterquam quod omnes corporis partes, quæ sanguine nutriuntur, manifestè alimento destituantur, id etiam certissimum est, tunc humanum corpus natiuo calore penitus destitui; est etenim calor innatus in corde tanquam in fonte, atque in venis, atque arterijs tanquam in riuis. Id quod aliquatenus indicatum

Conuulsio & singultus ex inanitione quib⁹ de caussis contingant.

fuit

fuit c. 9. Geneseos. *Omnia excepto quod carnem cum sanguine non comedetis: sãguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum.* Et rursus c. 17. Leuitici. *Anima omnis carnis in sanguine est.* Ex quibus videtur colligẽdum animam esse ipsum sanguinem, quam etiam sententiam videtur amplexum fuisse inter philosophos Critiam quendam, cuius primo de anima fecit mentionem Aristoteles. Aliqui tamen adnotarunt prædictos locos ita esse intelligendos, vt significent; non quod sanguis sit brutorum anima, cum hæc in illis etiam sit aliquo modo incorporea, sed quod anima sit in sanguine non per informationẽ, & præsentiã, sed per potentiã, & operationẽ, quia nulla alia in re manifestiùs quàm in eo operatur; sunt etenim quidam motus animi per se, vt irasci, gaudere, mœrere, timere, & erubescere, quoniam horum est sanguis cũ spiritu fluens instrumentum proprium, atque magis, quàm in vllo alio instrumento. Quam sententiam eò libentiùs admittimus, quòd non parum videatur quadrare ijs, quæ habentur prouerbiorũ c. 1. *Pedes illorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem.* Et paulò post. *Ipsi quoque contra sanguinẽ suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.* Quamuis etenim loquatur non de brutorum, sed de humanis animis, horum etiam sanguis est proprium instrumentum, quemadmodum dictum est.

Cur sanguinis cõmestio in libris sacris fuit interdicta.

Quomodo sanguis appellari possit brutorũ anima.

APH. IV.

Ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus superueniens, malum.

Moderatio in sermonibus quanti momenti.

QVemadmodum superfluam expurgationem consequi consueuerunt pessima symptomata, nimirum conuulsio, aut singultus; non secus verba superflua non spernendum malum consequi consueuit, nimirum paupertas. Sic etenim habetur prouerbiorum 14. *Vbi verba sunt plurima, ibi frequenter egestas.* Et cap. 17. *Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est, & preciosi spiritus vir eruditus.* Quòd si causam exposcas, propter quam ex superflua purgatione conuulsio, aut singultus (qui & ipse est ventriculi quædam conuulsio) superueniens sit malum; animaduerte, ventriculo superuenire singultum, quoniã cum nutriatur chylo, vel (vt alij existimant) sanguine, horum vnumquodque illi ob superfluã purgationem deficit, quod idem dicendum de conuulsione superueniente organis motui voluntario dicatis, quemadmodum in antecedentibus adnotationibus demonstratum est. Cæterùm huic est analoga sententia, quæ habetur apud Tobiam cap. 4., in quo hortatur filium ad eleemosynam contribuendam pauperibus cum tali moderatione, quæ illi noxam inferre non possit. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum*

Cur ex superflua purgatione cõuulsio sit mala.

Superfluę purgationi. Quomodo respõdeat diuitiarũ perpẽsio

gnum libenter impartiri stude. Ex quibus colligitur consuluisse filio, vt largitione facta pauperibus, sibi retineret, quæ ad vitæ custodiam videntur esse necessaria. Neque huic sententiæ aduersatur, quod Christus Dominus adolescẽti, qui ad cęlibatum, & statum nullis indigentem vocabatur, imperauit, vt se ab omnibus expediret, atque primũ perfectæ virtutis faceret gradum, omnia sua bona pauperibus tribuendo; quoniam scilicet tam hic, quàm alij huiusmodi, se ad aliam transferebant viuendi formam, sed communiorem scilicet bonorum, in qua nulla poterat esse indigentia, vt nostris etiam temporibus illis contingit, qui relictis parentibus, atque consanguineis cœnobia ingrediuntur.

Obiectio ui satisfit.

APH. V.

Si ebrius quispiam repentè obmutuerit, conuulsus moritur, nisi febre corripiatur, aut vbi ad horam perueniens, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperet.

QVamuis ebrietas non semper pariat obrumescentiã repentinam, & cõsequenter conuulsionem lethalem, est tamen, præcipuè si frequens fuerit, admodum perniciosa; hinc habetur prouerb. 20. *Luxuriosa res est vinũ, & tumultuosa ebrietas, quicumque his delectatur, non erit sapiens*: præcipuè autem in illam deuitare tenentur, qui inseruiunt principibus, namq; ideo

Ebrietatis noxæ lethales, pluribus sententijs demonstrantur.

(vt arbitror) statim subiunxit Sapiens. *Sicuti rugitus Leonis, ita & terror Regis, qui prouocat eum, peccat in animam suã.* Et cap. 23. *Cui væ, cuius patri væ, cui rixæ, cui foueæ, cui sine causa vulnera, cui suffossio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? Ne intuearis vinum, quando flauescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, sed in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet; oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur peruersa? & eris sicut dormiens in medio maris, & quasi sopitus gubernator amisso clauo.* Et Sirachius c. 19. *Operarius ebriosus non locupletabitur, & qui spernit modica, paulatim decidet: vinum, & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Esse autem vinum non modò illud diligentibus perniciosum, verùm etiam alijs, qui cum ebrijs conuersantur, animaduertit c. 31. *Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. Quæ est vita, quæ minuitur vino? quid defraudat vitam? Mors.* Est autem summopere animaduertendum, quod à nemine fuit consideratum, vino immoderatè assumpto inesse quandam facultatem, nõ modò narcoticam, verùm etiam venenatam, quod in præsenti aphorismo indicauit Hippocrates, quod (vt arbitror) non modo didicit experientia, verùm etiam ex præclaris locis hucusque citatis.

Vnde dignouerit Hipp. vino inesse facultatem, nõ modo narcoticam, verum etiã venenatam.

Cæterum quemadmodum si ebrius deuitat mortem, si ad horam perueniẽs, qua soluuntur crapulæ, vocem recuperat; sic Iohel cap. 3. hortatur populum ad deuitandam Dei indignationem, atq; excidium, vt cum fuerit obstupefactus, atque obsurdescens ad omnia salutaria monita, tandem vocem recuperet; sic etenim habet. *Expergescimini ebrij, flete & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quia perijt in ore vestro.*

APH. VI.

Quicumque à distentione corripiuntur, in quatuor diebus pereunt, si verò hos effugerint, sani fiunt.

HIC etiam affectus potest non modò sponte prouenire, verùm etiam à violento aliquo medicamento excitari, facta scilicet validissima agitatione, quemadmodum aphorismo primo huius sectionis dictum est; quæ omnia eò diriguntur, vt medicus nunquam, nisi vbi maxima adest necessitas, præcipitet humores, adeo vt hinc maius immineat vitæ periculum: atque proinde secundum magnam partem tenetur prudens medicus operari vel sine, vel saltem cum minima molestia. Cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico c. 3. *Fili in mãsuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris.*

Distẽtio neruorũ vnde proueniat.

Ecclesiastici sententia medicis vtilissima.

APH. VII.

Quibuscunque morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipiunt; quibuscumque autem vigesimo quinto, commoriuntur.

Cur morbus comitialis fit nullã mutationem aute pubertatẽ suscipiat fit incurabili.

QVemadmodum quibuscunq; morbi comitiales vigesimo quinto anno mutationem non accipiunt, commoriuntur, quoniam scilicet morbus, qui longo tempore mutationem non suscipit, maximum aliquod vitium indicat intus latitare; non secus inquit Concionator cap. 11. *Error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt, qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.* Cæterum quod ad ipsum attinet morbum comitialem, hic vocatur morbus lunaticus, quemadmodum constat ex omnium veterum sententia, atque præcipuè ex Euangelio D. Matthæi c. 4., quando inquit. *Obtulerunt ei omnes malè habentes, varijs languoribus, & tormentis comprahensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos,* quod habetur etiam cap. 17. *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur, nam sæpè cadit in ignem, & crebrò in aquam.* Quod præterea ex communi appellatione manifestum est. Cur autem inter alios, epileptici lunatici fuerint appellati, varij varia dicunt; nostrum modò non est rem hanc ad vnguem discutere; satis erit in præsenti ani-

Idem vocatur lunaticus, & cur.

animaduertere, magnam intercedere analogiam inter hunc aphorismum, atque 45. secundæ sectioni, in quo habetur. *Quicunque iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoq; liberantur.* Vterque autem aphorismus quodam modo videtur proportione respondere sententiæ, quæ habetur cap. 27. Ecclesiastici, vbi sic habetur. *Sensatus homo in sapientia manet sicut Sol, stultus sicut Luna mutatur,* respondet inquam, quoniam (vt optimè animaduerterunt doctissimi aliqui viri) vocantur lunatici illi, qui per vicissitudines, & mutationes lunæ grauiùs habere videntur. Quæ cum ita se habeant, percontabitur aliquis; cur Hippocrates neque in præsẽti, neque in præcitato aphorismo, neque in alijs, neque in libro de morbo sacro, vbi de morbo comitiali mentionem fecit, prædictum morbum vocauerit lunaticum. Cui quæsito respondemus, sapientissimum virum, præcipuè in aphorismis, illa tantum conscripsisse, quæ maiorem, atque certiorem obtinent veritatem; iam verò quamuis epileptici, quibus atrabiliarius est sanguis, aut valde biliosus, in plenilunio potiùs irritẽtur; pituitosis verò, & quibus crudior inest sanguis, magis in cõiunctione, seu interlunio; id tamen non est perpetuæ veritatis, quandoquidem videbimus in pluribus epilepticis rem alio modo se habere; quoniam scilicet aliqui epileptici non modò alijs temporibus irritantur,

Aphorismo sententia analoga.

Cur Hip. morbum comitialem non vocauerit lunaticum.

tur, verùm etiam irritantur bis, atq; ter in hebdomada, nullo seruato ordine, ob lunæ prædictam mutationem.

APH. VIII.

Quicunque morbo laterali laborantes, in quatuordecim diebus non repurgantur, hi ad suppurationem vertuntur.

Cur morbo laterali laborantes si quatuordecī diebus non repurgentur, ad suppurationem vertātur.

ACutos morbos, quatuordecim diebus iudicari, dixit Hippocrates sectione secunda, atque proinde, cum morbus lateralis fit acutus, si hoc secundo septenario non repurgentur illi, qui tali morbo laborant, morbus transit in suppurationem; quoniam cum in tali die non soluatur, necesse est vel subsequi interitum, vel saltem degenerare in alium morbum, qui scilicet est suppuratio. Non secus quicunque grauissimo, & lethali animi morbo laborantes, intra constitutum aliquod tempus ab illo non repurgantur; vt plurium in alium deteriorem animi affectum denegare cōsueuerunt. *Abyssus etenim abyssum inuocat.* Cuius rei tum exempla, tum etiam sententias non paucas ad aphorismorum attinentes in sacris poteris reperire, quinimo, & nos non paucas hucusque adnotauimus.

APH.

APH. IX.

Tabes fiunt maximè ætatibus à decimo octauo, vsque ad trigesimum quintum.

RAtio propter quam ætas ab anno decimo octauo, vsque ad trigesimum quintum, sit maximè tabitudini obnoxia, est quoniam in hac ætate sanguis abundat admodum feruidus (quoniam est ætas calidissima) atque proinde prædicta ætas est ad ruptionem, & resudationem ipsius sanguinis aptissima; præterquamquod fluxiones maximè concitantur ex bile, atque pituita, quæ prædicta ætate maximè excedunt, præcipuè in praua victus ratione, quæ maximè in hac ætate fieri consueuit. Sic luxuria est iuuenili ætati maximè propria, quamuis etenim in alijs etiam ætatibus reperiatur, in hac tamen in tali est excessu, vt omnes turpes, ac flagitiosas turpitudines subeat. Hinc etenim diluuium, vt habetur Geneseos c. 6. Euersionis Sichem, vt habetur cap. 34. Beniamin Iudicum cap. 20. Mortis Vriæ, vt habetur lib. 2. Regum cap. 11. Holophernis, vt Iudith cap. 13. atque Ioannis Baptistæ, vt habetur apud D. Matthæum cap. 14.

Cur iuuenes sint maximè tabitudini obnoxij.

Luxuria iuuenilis plurimarum ærūnarum origo.

APH.

APH. X.

Quicunque ab angina liberantur, his ad pulmonem vertitur, & in septem diebus pereunt; si verò os effugerint, suppurantur.

SI angina vertatur in pulmonem, naturam victam ostendit, atque proinde sequitur mors ineuitabilis intra septimum diem; si verò hunc terminũ effugerint, ad suppurationem tendunt: quoniam natura, quæ potuit grauissimos labores per septem dies sufferre, est fortis, atque proinde ad suppurationem peruenit. Sic si cuiq; maximo aliquo capitali vitio laboranti aliud superueniat, quoniam scilicet vnum in aliud degeneret, subsequitur maxima pernicies, hoc est citus interitus, si fuerit homo auxilijs diuinis penitus destitutus; vel suppuratio, hoc est purulentus, atque fœtidus alius morbus, si animus fuerit adhuc aliquibus diuinis adminiculis suffultus. Sententias huic aphorismo maximè facientes ex prouerbijs, atque Ecclesiastico depromptas alljs aphorismis accommodauimus.

Cui illorum qui ab angina liberantur alij septẽ diebus pereant, alij hos effugientes suppurentur

Prædicto affectui, qui animi morbus fit analog⁹.

APH.

APH. XI.

Qui tabe molestantur, si sputum, quod extussiunt, graue olet iniectum carbonibus, & capilli à capite defluunt, lethale.

QVemadmodum in nostris in lucem edendis commentarijs animaduertimus, admirandus senex tradit graueolentiam sputi in tabidis, si in carbones inijciatur, non modò vt hoc signo indicet vlceris in pulmone existẽtis malignitatem, atque penitus lethalem cõditionem, verùm etiam vt admoneat, esse morbum contagiosum, atque proinde tales ægrotantes esse à reliquis separandos; *morbida enim facta pecus totum corrumpit ouile*; id quod Paulus Aegineta lib. 4. c. 1. in quo de elephãte, lepræ quadam specie verba faciens, hæc habet. *Quoniam autem iã contagiosis est hæc passio non minus, quàm pestis, habitãdum ijs est longissimè ab vrbibus in mediterraneis, & frigidis, & parum habitatis locis: atqui si fieri possit etiam inde transeundum in loca proxima, & ob se ipsos, & ob alios, qui vt par est, ibi erunt cum minori malo; nam & ipsi conuentiori fruentur aere, & non communicabunt alijs malum.* Id quod, vt arbitror, tam Hippocrates, quàm Paulus didicerunt ex Leuitico capitulo decimotertio, vbi hæc habentur verba. *Quicumque ergo maculatus fuerit*

Cur tabidorum sputum iniectũ carbonibus graue oleat.

Leuitici sentẽtia declaratur.

fuerit lepra, & separatus est ad arbitriū Sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum, ac sordidum se clamabit; omni tempore, quo leprosus est, ac immundus solus habitabit extra castra. Si verò, vt existimamus, ex Hipprocatis sententia, talis morbus est contagiosus non minus, quàm lepra, iam hinc manifestum est, prædictorum tabidorum contagionem posse etiam vestimentis communicari, & consequenter prædicta esse penitus comburenda; quod etiam de leprosorum vestimentis in citato capite pronunciatum est, quemadmodum quilibet prædictum caput percurrens videre poterit.

Tabidorum vestimenta cōtagiosa.

APH. XII.

Quibuscunque tabe laborantibus capilli à capite defluunt, hi alui profluuio superueniente; moriuntur.

SI defluuio capillorum nullum aliud accedat vitium, non est malum valde timendum, si quidem nihil aliud indicat, quàm humidi carentiam, vel ratione ætatis, vel ratione temperamenti; si verò coniungatur cum tabe, vel illi superueniat, est pessimum signum, quoniam indicat conditionem materiæ deleteriam capillorum radices corrumpētem. Consimile est, quod de alio contagioso morbo habetur in Leuitico c. 13.

Cur defluuium capillorum in tabidis fit lethale.

13. per hæc verba. *Vir de cuius capite capilli fluunt, & caluus, & mundus est. & si à fronte ceciderint pilli, recaluaster, & mundus est; sin autem in recaluitio, siue recaluatione albus, vel rufus color fuerit exortus, & hoc Sacerdos viderit, haud dubiè eum lepra condemnabit, quæ orta est in caluitio.* Additur verò. *Hi alui profluuio superueniente, moriuntur,* vt significetur, facultatem retentiuam abolitam esse, atque proinde facillimè illabi in omnimodam atrophiam, & cōsequenter festinum interitum. Quo aphorismo sic explicato, non est arduum illum ad moralem theologiam transferre, siquidem quemadmodum capilli non modò ornamentum capiti præbent, verùm etiam ab externis iniurijs maximè tuentur cerebrum, si defluant, accedente alui profluuio, succedit interitus; non secus si defluant virtutes, quæ mores expoliunt, atque mentem informant, quoniam ommissa sit virtus retentiua, facillimus fit transitus ad peccata capitalia, quæ facillimè perducunt ad festinam mortem, quemadmodum hucusque pluribus Sapientis, atque Syrachij sententijs comprobauimus.

Alius locus Leuitici cum aph. cōfertur.

Cur alui profluuium tabidis superueniens sit lethalis.

APH. XIII.

Quicunq; spumosum sanguinem expuunt, his è pulmone eductio fit.

MAgnum est indicium, sputum sanguinis spumosi ex pulmone pro-

Cur spumosi sanguinis eductio fit ex pulmone.

prodire, quoniam sanguis spumosus substantiam refert pulmonum,& modo peculiari illius membri expellitur, nimirum cum tussi, quemadmodum vberius in nostris comprobauimus commentarijs. Non secus certissimum est, filiorum vitia à parentibus emanare; vel quoniam sint hæreditaria, & consequẽter illorum naturam referant, vel ob prauam aliquam educationem. Vtriusque non parui ponderis sententias reperies in libris sacris, præter illas, quas alijs aphorismis accommodauimus.

APH. XIV.

A tabe habito profluuium alui superueniens, lethale.

HIC aphorismus est idem propemodum cum duodecimo; atque proinde illius explicationem inde exquire.

APH. XV.

Quicumque ex morbo laterali suppurantur, si in quadraginta diebus purgantur à die, qua fit ruptio, liberantur. Si verò non, ad tabem transeunt.

QVemadmodum pleuritis, si in quatuordecim dies non repurgatur, transit in empyema, vt aphor. 8. demonstratum est; non secus si prædictum

Cur Empyema si in quadraginta dieb⁹ nõ repurgetur transit in tabem.

ctum empyema intra quadraginta dies non repurgetur, transit in tabem; quoniam quæ proportio est validæ virtutis ab initio ad repurgationem, eadem debet esse virtutis debilioris in suppuratione, sed illa intra quatuordecim dies operans repurgare solet, ergo hæc intra dies quadraginta (Est etenim dies quadragesimus acutorum terminus, quemadmodum in commentarijs demonstrauimus). Etenim pulmones iniuriam faciliè admittentes, vel exulcerantur, vel saltem flacidi fiunt, atque tandem purulenti, vnde mors. Non secus qui grauissimo aliquo animi vitio laborantes, intra debitum tempus non repurgantur, transeunt in morbum habitualem, atque tandem in animæ interitum, vt multis exemplis sacris poterit fieri manifestum. Quinimo quod dictum est de die quadragesimo, huius magnum esse mysterium, reperies Geneseos cap. 50., in quo habetur, Iosephum præcepisse seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem in Aegypto vita defunctum, quibus iussa explentibus,transierunt quadraginta dies, quoniam ista erat cadauerorum conditorum consuetudo.

Dici quadragesimæ vis ex libro Geneseos

APH. XVI.

Calidum, vbi quis sæpius vtatur, hæc mala affert, carnium effeminationem, neruorum incontinentiam mentis torporem, profluuia sanguinis, animi defectiones: hæc, ad quæ mors.

QVæ de calido absolutè pronunciat Hippocrates, hæc de vino speciatim pronunciauerat Ecclesiasticus pluribus in locis, præcipuè cap. 31., quando inquit. *Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum. Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum. Quæ est vita, quæ minuitur vino? quid defraudat vitam? Mors,* Obiectioni, quæ aduersus hanc sententiam proponi posset, inferiùs satisfiet. Interim animaduertendum, calidum impense adhibitum inter reliqua symptomata, illud grauissimũ inferre, quod multoties esse consueuit mortis prænũcium, nimirum animi defectionem, quam id propterea tanquam penultimum recensuit Hippocrates in aphorismo, quando inquit. *Animi defectiones: hæc ad quę mors.* Inter reliqua verò, quæ citò animi deliquio collapsos erigunt, sunt suauissimorum fructuum, atque florum odores, quemadmodum Gal. animaduertit. Iam verò id priùs indi-

Vinũ perniciosum præcipuè quatenus calidum.

Calidum immodicum quomodo progignat animi defectum.

indicatum fuit capite secundo Canticorum. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Non ignoro, hoc quemadmodum reliqua Salomonis cantica altissima continere Sacramenta, quæ nos doctissimis Theologis expendenda relinquimus; satis etenim est in præsentia illa ita proponere, vt diuini nostri Senis oracula magis illustrentur, quemadmodum ab initio protestati sumus.

Ad illum quod nã sit remediũ præsentaneũ

APH. XVII.

Frigidum autem, conuulsiones, distentiones, liuores, rigores febriles.

PRædictos affectus parit frigidum, quoniam non solùm facultatem obtinet neruos contrahendi, verùm etiam calorem extinguendi; hæc autem præstat, quoniam exprimendo, & condensando constipat; calorem autem extinguit, nõ quodcunque, sed nimium, quoniam tale est naturæ inimicum. Non secus qui in diuinis mandatis seruandis nimium frigescunt, incidunt in conuulsiones (quæ sunt affectiones partium ad motus voluntarios attinentes; hoc est contrahuntur à bona quaque operatione), liuores, atque alios animi morbos, quorum plura extant exempla in sacris literis.

Cur frigidũ immodicũ sit præcipuè neruosis partibus inimicum.

APH. XVIII.

Frigidum inimicum ossibus, dentibus, neruis, cerebro, spinali medullæ; calidum verò vtile.

Apparẽs contradictio soluitur.

ESse frigidum inimicum dentibus animaduertit Sapiens prouerb. 10., quando inquit. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger ijs, qui misërunt eum.* Quod verò subdit in fine aphorismi, *calidum verò vtile*, videtur aduersari aphorismo 16., non tamen aduersatur, quoniam hìc loquitur de moderato, ibi verò de immoderato, de quo absolutè huiusmodi sententiã pronunciauerat, quando inquit. *Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem.* Verùm vt ad dentes reuertamur, animaduertendum, frigidum illis esse adeo inimicum, vt illis inferat non leuem, sed maximi momenti læsionem, nimirum putredinem, quæ tanti est æstimanda, vt dixerit prouerbiorum cap. 25. *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ, & ammittit palium in die frigoris.* Quod verò subdit Hippocrates *calidum verò vtile*, ideo dictum est, vt quantum fieri possit ex illo vtilitatem desumamus. Cui est analogum, quod habet cap. 27. *Amicum tuum & amicum patris tui ne dimiseris*, & Sirachius c. 33. *Equus emissarius sicut amicus subsannator, sub omni suprasedenti hinnit.* Est

Frigidũ dentibus putredinem infert.

autem

autem admirandum Hippocratis artificium, quippe qui dictioni *inimicum*, nõ opponit amicum; sed *vtile*, vt significaret, id quod est inimicum, esse inutile, & quod est amicum, esse vtile, siquidem inferiùs aphorismo 22. id ipsum significauit, quando inquit. *His calidum amicum, & iudicans, frigidum inimicũ, & perimens.* Est autem animaduertendum, quod quemadmodum, quod de calido dictum fuit ab Hippocrate, non esse de quolibet calido intelligendum; sic etiam, quod dictum fuit in Ecclesiastico, non esse de quolibet amico intelligendum, sed tantummodo de fideli, atque in aduersis permanente, quemadmodum videbimus in adnotatione ad aphorismum 22. subsequentem.

Hip. artificiũ aperitur.

APH. XIX.

Quæcunque refrigerata sunt excalefacere oportet, exceptis his, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.

EXcepta facie, reliquas omnes corporis partes esse tuendas à frigore, ex præsenti hoc aphorismo colligitur, à quo non dissentit Sapiens prouerb. 25. superiùs citato. Iam verò calefactionis exemplo admonemur, quaslibet corporis partes, quæ laborent intemperie, esse corrigendas: cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico c. 19. *Corripe amicũ, ne fortè non intellexerit, & dicat, non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Cor-*

Quæ corporis partes refrigeratæ sint calefaciendę.

 ripe

si ripe proximum, ne fortè non dixerit; & dixerit, ne fortè iteret. Corripe amicum, sæpè enim fit commissio. Et quemadmodum Hippocrates tradit binas exceptiones, quando inquit. *Exceptis his, quibus sanguis fluit, aut fluxurus est.* Non secus Sirachius duas tradit cautiones in correctione efficienda; prior est, *& nō omni verbo credas,* secunda est, animaduertendum non esse corrigendum, quũ lapsus est in lingua, sed non ex animo, inquit etenim. *Est qui labitur lingua sua, sed non ex animo; quis est etenim, qui non deliquerit in lingua sua?* Quod autem animaduertit Hippocrates in fine aphorismi, est, vt dignoscamus sanguinem esse naturæ thesaurum, atque proinde non esse effundendum nisi maxima vrgente necessitate; quibus plurima respondent, quæ de sanguinis custodia tradit Sapiens, atque Ecclesiasticus pluribus in locis, quos breuitatis studio prætermitto. Quòd si magis analogam huic aphorismo sententiam exposcas, illam reperies aph. 53. 7. sectionis.

Consensus inter Hip. atq; Ecclesiastici doctrinam.

Sanguis naturæ thesaur⁹.

APH. XX.

Vlceribus frigidum quidem mordax, cutem obdurat, dolorem in suppurabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulsiones, distentiones.

EST frigidum vlceribus mordax, & cutem obdurat, quoniam habet facultatem comprimendi, & vellicandi; dolorem insuppurabilem facit, quoniam soluit quidem continuum, tamen exsiccando, prohibet vlcus suppurari; liuorem obducit, quoniam calorem extinguit; rigores febriles ob eandem caussam, conuulsiones, atque distentiones, calorem imminuendo, vnde magnus prouentus pituitæ. Atque proinde huic aphorismo perbellè proportione respōdēt, quæ habentur cap. 9 Exodi, vbi sic habetur. *Et dixit Dominus ad Moysen, & Aaron, tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cœlum contra Pharaonem, sitque puluis super omnem terram Aegypti: erunt enim in hominibus, & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes in vniuersa terra Aegypti; tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum, Moyses in cœlum, factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis, nec poterunt malefici stare coram Moysi propter vulnera, quæ in illis erant, & in omni terra Aegypti.* His vlceribus successit Pharaonis frigiditas in Dei mandatis exequendis, vnde subsequuta fuit durities, subdit etenim, *induranitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicuti loquutus est Dominus ad Moysen.* Reliquis autem symptomatibus sunt analogæ reliquæ calamitates, quæ habentur non modò in præcitato capite, verùm etiam in subsequente, quæ scil. vlteriorē obdurationem fuerunt subsequutæ.

Cur frigidum fit vlceribus mordax, atq. alia huiusmo di inducat symptomata.

Aphorismo analoga sententia.

APH. XXI.

Est autem, vbi in distentione sine vlceratione, iuuene bene carnoso, æstate media, frigidæ aquæ multa perfusio calorem reuocat. Calor autem hæc soluit.

QVemadmodum iuuenibus bene carnosis, quoniam bonam habent totius corporis constitutionem, vel non accidit morbus magnus, qualis est distentio neruorum; vel si acciderit, facillimè liberantur, eo scilicet præsidio, quod habetur in aphorismo; Non secus accidit illi, qui bonam habuerit animi habitudinem, sic etenim habetur prouerb. cap. 12. *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit, impij autem replebuntur malo.*

Cur iuuenes si corripiantur distentione neruorum æstato media, liberẽtur aquæ frigidæ perfusione.



APH.

APH. XXII.

Calidum suppuratorium, non in omni vlcere, magnum ad securitatem indicium, cutem mollit, extenuat, dolorem sedat, rigores, conuulsiones, & distentiones mitigat, & ex his, quæ ad caput attinent, eius soluit grauitatem; plurimum autem confert ossium fracturis, sed nudis præcipuè, eorumque maximè, qui in capite vlcera habent; & quæcunque à frigore moriuntur, vel vlcerantur, vel herpetibus exedentibus, sedi, pudendis, vtero, vesicæ; his calidum amicum, & iudicans, frigidum inimicum, & perimens.

CAlida medicamenta esse pluribus vlceribus, atque vulneribus amica colligitur ex capite primo Esaiæ, vbi sic, habetur. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.* Optimè etiam colligitur ex curatione adhibita à pio, atque prudenti Samaritano, de quo verba fecit Dominus cap. 10 D. Lucæ, sic dicens. *Et appropinquans alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum.* Dictum verò fuit prædictam curationem non tantùm fuisse piam, verùm etiam secundum regulas medicas administratam; quoniam existimarunt peritissimi aliqui viri, interius, atque

Calida medicamentaquo modo sĩt pluribus vlceribus amica.

Vinum, & oleum quomodo sint vlceribus proficua.

in ipso vlcere fuisse adhibitum vinum, exteriùs verò, & super circumsitis partibus, oleum proculdubio vtilissimè adhibitum fuisse; nam vinum mundat, confortat, & moderatè siccat vlceratam partem; oleum verò sanas circumexistentes fouet, & si quæ est in illis doloris causa, mitigat; hanc etenim curandi methodum quotidie adhibent exercitatissimi quique chirurgi, illamque ex præcipuis artis magistris habuerunt. Cum autem calidum sit tot, tantisque corporis partibus amicum, hoc quantum fieri possit est custodiendum, atque conseruandum. Consimile quid pronunciauit Sapiens prouerb c.3., quando inquit. *Ne moliaris amico tuo malum, cum ille in te habeat fiduciam Non contendas aduersus hominem frustra, cum ipse nihil tibi malefecerit.* Et c.27. *Qui seruat ficum, comedet fructum eius, & qui custos es Domini sui, glorificabitur.* Quinimo si fortasse sopitum fuerit, suscitãdum præsidio, quod calefaciendi facultatem habeat, iuxta eiusdem Sapientis monitum ibidē. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Est autem animaduertendum, quod non quodlibet calidum est naturæ amicum sed illud tantùm, quod est naturale, quod etiam medicis dicitur spiritus insitus, qui est ipsa natura; cui proportione respondet amicus, de quo sermonem habet Sirachius c.6., quando inquit. *Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget, si humiliauerit se contra*

Quod nõ calidum sit naturæ amicũ

Amici optimi notæ.

tra te, & à facie tua absconderit te, vnanimem habebis amicitiam bonam. Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum: amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, inueniunt illum; qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam, quoniam secundum illum erit amicus illius. Sunt alij calores non boni, qui sunt vel naturæ inimici, vel saltem non amici, quales sunt extraneus, febrilis, & putredinosus; quibus proportione respondent amici, de quibus idem habet eodem capite, quando inquit. *Multi pacifici sunt tibi, & consiliarius sit tibi vnus de mille. Si possides amicum, in tentatione posside eum, & ne facilè credas ei te ipsum; est enim amicus secundum tempus suum, & non permanebit in die tribulationis; & est amicus, qui conuertitur ad inimicitiam, & est amicus, qui odium, & rixam, & conuitia denudabit. Est autem amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.*

Qui calores non boni.

Qui amici illis proportione respondeãt

APH.

APH XXIII.

In his frigido vtendum, vnde fluit sanguis, aut fluxurus est, non ad ipsa, sed circa ipsa, vnde fluit, & quæcunque inflammationes, vel inflammina ad rubrum, & subcruentum sanguine recenti tendunt, nam veteribus nigredinem affert. Erysipelas etiam non vlceratum iuuat, nam vlceratum lædit.

QVamuis frigidum immodicum sit naturæ inimicum, quemadmodum aphorismo 51. secundæ sectionis, atque etiam paulò supra animaduertit Hippocrates si tamen debito modo, atq; conueniente tempore adhibeatur, euadit non modo iucundum, verùm etiam vtile, quod prouerb. 25. innuit Sapiens. *Sicut frigus niuis in die messis ita legatus fidelis ei, qui miserit eum, animam ipsius requiescere facit*, & paulò post. *Aqua frigida anima sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.*

Quibus affectib9 frigidum sit vtile.

APH. XXIV.

Frigida, qualis nix, & glacies pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes.

HVic aphorismo videtur aduersari, quod eruimus ex cap. 21. ad præceden-

cedentis aphorismi explicationem, non tamen aduersatur; siquidem ibi de moderato niuis vsu, atque opportuno tempore adhibito loquutus fuit Hippocrates, hìc verò de illius frequenti vsu, & non opportuno tempore.

Apparēs contradictio soluitur.

APH. XXV.

Tumores articulorum, atque dolores absque vlcere, & podagricos quoque, atque conuulsa; horum plurima frigida aqua largè effusa leuat, & extenuat, soluitque dolorem. Nam modicus torpor dolorem soluit.

QVamuis remedium, quòd hìc proponit Hippocrates, leuissimum videatur, est tamen vt paratu facilimum, ita etiam maximum, talia etenim cuncta remedia Hippocratica esse cõsueuerunt: eius autē præstantiam in subsequenti aphorismo demonstrabimus. Interim cum frequens natatio in aqua frigida maximam habeat facultatem abluendi, non modò quamlibet cutis immunditiam, atque sanandi omne genus scabiei, verùm etiam lichenæ, atque ipsius etiam lepræ, quemadmodum colligitur ex libro quarto Regum cap. 5. in quo de Naaman principe militiæ Syriæ narratur mundatum fuisse à lepra, sic etenim habetur. *Descendit verò septies in Iordanem, & mundata est eius caro.*

Aqua frigida maximum & præstaneum remedium.

Naamā Syr' quo modo mūdatus fuerit à lepra. Cur Balneum totius corporis fuerit prætermissū ab Hipp.

caro, factaque vt pueri paruuli. Percontabitur aliquis cur Hippocrates hoc egregium prædium in hisce connexis aphorismis prætermiserit? Cui quæsito respondemus prædictam curationem, seu curandi modum fuisse prætermissum à dictatore, quoniam fuit magis miraculosa, quàm naturalis; cum etenim lepra fuerit à multo tempore inueterata, atque ipsum etiam corpus intrinsecè prauis admodum succis refertum, miraculosa fuit prædicta lepræ curatio, qua (vt doctissimi aliqui viri animaduertunt) D. O. M. se tunc temporis dedit agnoscendum, atque impositum venturæ Ecclesiæ suæ, immensæ misericordiæ præstitit significationē; simplex etenim etiam scabies vix admittit curationem, nisi facta fuerit totius corporis accurata expiatio. Atque hæc fuit causa, cur Hippocrates aquæ etiam præstantissimæ, noluerit magis, quam prædictam virtutem assignare.

APH XXVI.

Aqua, quæ citò calefit, & citò refrigeratur, leuissima est.

Aquæ optimæ conditiones, & quæ eius necessitas; apud cunctas nationes

INter tot præclaras sententias, quæ in aphorismorum opere continentur, non sine maximo artificio hanc proposuit, in qua optimæ aquæ conditiones nobis indicauit; nam præterquamquod illius vsus est tanquam topicum quoddam remedium, vtilissimum ad quosuis dolo-

dolores articulares, quemadmodum in antecedenti aphorismo dictum est; est etiam absolutè necessarius ad conficiēdi quælibet medicamenta, non solùm interna, sed etiam externa, & quod magis est, parui admodum sunt, qui pro potu hac non vtantur, illi verò populi, qui vinum potant, illa vtuntur ad limphandum vinum; hac elixantur edulia, conficitur panis, atque alios plurimos præstat vsus humano generi adeo necessarios, vt his enarrandis non sit tempus conterendum. Satis est dixisse Sapientissimum Hippocratem eius necessarium vsum indicare voluisse, quoniam, vt arbitror, dignouit, quinimo legit Sapientem non fuisse dedignatum de illa mentionem facere. Sic etenim habet prouerbiorum cap. 5 *Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni principes tui.* Objcies Sapientem non indicasse (quod præstitit Hippocrates) notas aquæ leuissimæ, seu perfectissimæ; facile esset respōdere, id pertinere ad medicū, quatenus est medicus. Verùm alia occurrit maioris momenti responsio, est verò Sapientem nō fecisse mentionem de vnica, sed de triplici aquæ specie, hoc est de illa, quæ ex cisterna, & de illa, quæ ex puteo, atque etiam de fontana, vt scilicet posset quilibet præstantiorem ad cibum, & potum, reliquas verò ad alios vsus eligere; quapropter neque Sa-

Objectiones satisfit.

piens

pitus fuit diminutus, quòd aquæ leuissimæ notas non proposuerit, eius etenim omnes differentias proponens, præstantissimam esse eligendam pro potu voluit. Neque Hippocrates, quòd aquarum differentias prætermiserit; leuissimæ etenim notas proponens, tacitè omnium differentias indicauit, vt scilicet ex omnibus præstantiorem eligeremus.

APH. XXVII.

Qui noctu bibere appetunt, his admodum sitientibus, si super dormierint, bonum.

Cur somnus sitis sit medela.

SOmnum esse sitis medelam ex eo fit manifestum, quòd demonstrat validum naturæ robur, quòd scilicet superet sitis causam; vel ipsam causam sitim efficientem non esse tam vehementem, quin valeat superari. Cui est analogum, quod habetur apud D. Ioannem cap. 7. vbi sitientes vitam æternam inuitatur ad fidem per hæc verba. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aqua viua, hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus.* Proportione inquam respondet, quoniam antequam totus Spiritus Sanctus in illis moraretur, terrentur ad passionem Domini, & negant, & Christum se nescire iurant;

Aphorismo analogæ sententiæ.

iurant; postquam autem fuit infusa in eos Spiritus Sancti gratia, adeo quieuit mens illorũ, vt magis obediuerint Deo, quàm hominibus. Sic etiam Adamo sitienti adiutorium simile sibi, atque inde humanæ naturæ propagationem, bonum fuit superdormijsse, namque ideo misit Dominus in eum soporem. Sic habetur psalmo 3. *Voce mea ad Dominum clamaui & exaudiuit me de monte sancto suo; ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit me.*

APH. XXVIIII.

Suffitus aromatum muliebria ducit: sæpiùs verò & ad alia vtilis esset, nisi capitis faceret grauitatem.

SVffitus aromatum muliebria ducit, non modò quoniam habet facultatem attenuandi, verùm etiam quoniam abditas petit longinquas corporis partes, quemadmodum ex ipso colligitur aphorismo; petit etenim cerebrũ, quod suo modo cor nuncupare Sapiens consueuit. Sic etenim habetur prouerb. 27. *Vnguento, & varijs odoribus* (alius codex legit, *suffimentis*) *delectatur cor*: quamuis negandum non sit in inspiratione attrahi odorem non modò ad cerebrum, verùm etiam ad cor, hoc est, ad sinistrũ eius ventriculum, per venam scilicet arteriosam.

Cur suffitus aromatum ducat muliebria. Odores peruenitunt ad cerebrũ, & ad cor.

APH.

APH. XXIX.

Grauidas purgare, turgente materia, à quarto mense vsque ad septimum, minus verò has. Recentiores autem, & seniores vereri oportet.

HIC aphorismus est idem penitus cum aphorismo primo antecedentis sectionis, atque proinde eius explicationem inde exquire. Cur verò ab Hippocrate fuerit repetitus, in nostra reperies arte parua.

APH. XXX.

Mulierem vtero gerentem, capi ab aliquo morbo acuto, lethale est.

Cur mulierē capi ab aliquo morbo acuto sit lethale.

RAtio est, quoniam mulier vtero gerens est debilis, & propemodum exanguis, atque proinde morbus acutus, qui sua natura est magnus, facillimè superat facultatem; adeo vt vel subsequatur interitus, vel saltem abortus, qui & ipse, si vires fuerint admodum prostratæ, est non parum periculosus. Morbus autē acutus ex materia prouenit admodum perniciosa, tum quantitate, tum qualitate. Cui proinde proportione respondent conceptus omnes præclari, qui in magnorum virorum mentibus progignuntur, quibus proinde si superueniat morbus aliquis acutus, hoc est, horrendum aliquod vitium, progignit interitum, vel lethalem aliquem abortum: cuius innumera reperies exempla in sacris literis; sufficiat vnicum instar omnium adnotasse; nimirum Salomonem omniū Sapientissimum, cui pessimus luxuriæ morbus superueniens, produxit non modò corporis, verùm etiam (vt multi opinantur) animæ interitum.

Salomonis anim. atq; corporis interitus vnde prouenerit.

APH. XXXI.

Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & magis, si fœtus sit grandior.

Apparēs contradictio diluitur.

CVm tam multos conficiat Hippocrates aphorismos, in quibus de abortu sermonem facit, non aliam ob causam, nisi vt medicus illos possit præcauere. Videbitur illis omnibus aduersari Sapiens in Ecclesiastes cap. 6. in quo, vt illorum redarguat vanitatem, qui pluribus affluunt diuitijs, substantijs, atque honoribus, illisq; non vtantur, sic habet. *De hoc ego pronuncio quod melior illo est abortiuus.* Aduersatur inquam, quoniam Hipp. nulla habita personæ consideratione edocet quomodo sit præseruandum ab abortu, & quod magis est nulla habita distinctione personæ, omnes indifferenter eadem curat diligentia. Verùm respondemus me-

Artis medicæ atq; moralis disciplinæ subiectũ vnũ, & idem, diuersimode tamen consideratũ.

medicinæ subiectum esse hominẽ, quatenus est sanabilis. Morali verò philosopho eundem hominem, quatenus disciplinabilis, atque proinde his, quatenus talis existit, anteponit salutem animæ illi, quæ pertinet ad corpus; ille contra, quamuis non spernat animæ salutem, illi tamen anteponit illam, quæ pertinet ad corpus. Id quod ex ipso Sapiente colligimus, inquit etenim cap. sequenti. *Melius est nomen bonum quàm vnguenta pretiosa, & dies mortis, quàm natiuitatis:* quoniam supponit in die obitus certè consequutum fuisse, bonum nomen ad gloriam Dei, ædificationem proximi; & ei quæ bonæ famæ est ad multa accõmodum, quemadmodum ex Dionysio ibidem colligimus. Id etiam colligitur ex illo, quod subdit. *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum cõuiuij; in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat quid futurũ sit. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquẽtis. Cor sapientum, vbi tristitia est; & cor stultorum, vbi lætitia.*

APH. XXXII.

Mulieri sanguinem euomenti, menstruis erumpentibus, solutio.

Cur mulieri sanguinem euomenti, menstruis erũpentibus solutio.

RAtio est admodum manifesta, quoniam menstruis erumpentibus fit reuulsio, & euacuatio materiæ, quæ sursum irruebat; non secus contingit in il-

his, qui ob diuitiarum abundantiam, in assidua scelera irruentes, ab illis auertuntur, immissa à cœlesti medico aliqua insigni, & memorabili clade, cuius plura extant exempla in sacris literis, atque proinde satis erit methodum illorum indagandorum indicasse.

APH. XXXIII.

Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens bonum.

Cur menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens bonum.

CVm sint innumeri morbi, quos mensium retentio parere consueuit, nil mirum, si in tali retentione sanguis ex naribus fluens sit bonum; quoniam bonum est materiam retentam quouismodo expelli; namque interim natura sui numeris nequaquam immemor consueuit tale excrementum per consuetas regiones expurgare. Non secus quæcunque animi ingens noxia, quæ animam possit ducere ad interitum, quomodocunque excernenda, quod habetur illa decantata sententia. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum.*

APH. XXXIV.

Mulieri in vtero gerenti, si aluus plurimùm profluat, periculum est ne abortiat.

RAtio est manifesta, quoniam cõpiosus alui fluxus alimentum tol-

Cur vtero gerēti si aluus plurimū profluat, sit periculum ne abortiat.

lit, quod infantem alit, vnde abortus. Nō secus contingit illis, qui egregia aliqua facinora mente conceperint, ijs etenim si insignis aliqua superuenerit substantiarum suarum deperditio, cōsueuerunt abortire prædictos illos immaturos cō ceptus. Non deerunt præclaro alicui Theologo exempla ex sacris libris deprompta, quem huc transferri possint.

APH. XXXV.

Mulieri, quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum.

Cur sternutatio in vterinis molestijs sit vtilis.

CAusa propter quam sternutatio in vterina molestia est vtilis, est quoniam vterus communionem habet cum cerebro per neruos sexti paris, atque proinde facta sternutatione, præcipuè concutitur vterus; verùm etiam communionem habet cum corde per arterias, atque hepate per venosum genus; hinc fit vt non semel, in cuiusuis partis affectu, trahatur vterus in consensum; atque præcipuè mulieres viduæ mœrore affectæ incidunt in vterinas molestias; id quod non ignorauit Sirachius, quando dixit c. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris*; quamuis etenim sit honorāda mater non minus, quàm pater, voluit tamen admonere filios, ne matri occasionem timendi, atq; mœrendi tribuant, quoniā inde excitatur passio vterina; vnde gemitus proueniunt.

Vteri cō sensus cū varijs corporis partibus vnde proueniat.

APH. XXXVI.

Mulieri menses decolores, nec per idem tempus semper venientes, purgationem indicant esse necessariam.

RAtio propter quam menses decolores non per idem tempus semper venientes indicant purgationem esse necessariam, est quoniam prædicta materia non bene regulatur ab astris, quæ tamen regulatio est ad quemlibet motum salutarem admodum necessaria, quemadmodum in commentarijs dictum est. Id significauit Sapiens in Ecclesiaste cap. 3. *Omnia tempus habent, & suis spatijs trāseunt vniuersa sub cœlo.*

Cur menses decolores, nec per idem tempus semper veniētes, exposcāt expurgationem.

APH XXXVII.

Mulieri vtero gerenti si mammæ graciles repentè fiant abortit.

TAm præsens, quàm subsequens aphorismus, loquuntur de abortu, quem plures causæ, tam internæ, quàm externæ concitare consueuerunt, quemadmodum, atque alijs non paucis aphorismis indicauit dictator. Quibus omnibus proportione quadam respondent quicunque conceptus intempestiuè, atque imprudenter ob inscitiā proferuntur, quod indicatur in Ecclesiastico cap. 5. hunc in modum. *Esto mansuetus*

Sentētiæ aph. analogæ.

rus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas, & cum Sapientia proferes responsũ verum: Si est tibi intellectus, responde proximo; sin autem, manus tuâ sit super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris: honor, & gloria in sermone sensati, lingua verò imprudentis subuersio est ipsius.

APH. XXXVIII.

Mulieri vtero gerenti si altera mamma gracilis fiat, geminos habenti, alterum abortit, & si quidem mamma dextra gracilis fiat, marem; si verò sinistra, fœminam.

CVm Hippocrates in præsenti aphorismo loquatur de mamma dextra, atque sinistra, atque in alijs etiam aphorismis mentionem faciat de oculis, auribus, testibus, vteri partibus, atque reliquis non modò in numero plurali, verũ etiam in prædicta duplicitate, atque eius necessitate expressam mentionem faciat, tacitè videtur insinuare admirandam opificis sapientiam, atq; prouidentiam, quam frequenter admodum in opere de vsu partium admiratus fuit Gal.; quamuis etenim ad animalis essentiam constituendam sufficiat sensus, atque motus, & consequenter videatur tantùm necessarius vnus oculus, vna auris, vnum brachium, vnicum crus, & sic de reliquis; voluit tamen ad bene esse, atque ad maiorem

Quomodo Hipp. dignouerit admirandi opificis sapientiam

iorem animalis perfectionem, secundum magnam partem, geminas partes efficere, quemadmodum in reliquis est videre; quamuis etenim vnicum hepar efformauerit, ex altera tamen parte constituit lienem, quem Aris. adulterinum quoddam hepar nuncupauit. Id quod significauit Ecclesiasticus c. 42. quando inquit. ***Omnia duplicia, vnum contra vnũ, & non fecit quidquam deesse***; & quod maioris est momenti, in microcosmo constituit partem corpoream, visibilem, & corruptibilem, atque partem incorpoream, inuisibilem, & incorruptibilem. Obijcies vnicum esse cerebrum, vnicum pulmonem, vnicũq; cor, quę proinde organa in media corporis regione fuerunt consticuta. Verũ facilis est responsio; siquidẽ his etiam organis suæ insunt partes dextræ, atq; sinistræ, vt duæ cerebri partes, quas falx diuidit; dextra, atq; sinistra pulmonis pars; atq; in corde ventriculus dexter, atq; sinister. Est maioris momenti difficultas, quæ excitatur de vena Azigos, siue sine pari, atq; de intestino cœco. Verùm non est ardua responsio, siquidem vena Azigos statim, ac oritur in parte sinistra reflectitur ad dextram, adeo vt dextra, atque sinistra esse videatur. Cœcum verò intestinum totius intestini pars est, vt colum; reperitur verò ea pars, qua intestinum vocatur cœcum maiori coli ad partem oppositam amplitudine.

Ecclesiastici doctrina Hippocraticæ persimilis.

Obiectio ni satisfit.

Vena Azigos quomodo reperiatur in dextra, & sinistra.

APH. XXXIX.

Si mulier, quæ neque grauida est, neq; peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt.

Quomodo virgo possit lac habere.

EX præsenti aphorismo validissimum argumentum desumi potest aduersus falsas suspiciones, quæ de qualibet adolescentula concipi possent; potest enim lac habere, non quia vtero gerat, sed quoniam illi menstrua defecerint; atque proinde videat quilibet ne abutatur sententia, quæ habetur apud Concionatorem cap. 42. *Filia patris abscondita est, vigilia, & sollicitudo eius aufert somnum, ne fortè in adolescẽtia sua adultera efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat, ne quando polluantur in virginitate sua.* Quapropter alia sunt indaganda indicia, quæ statim subdit, quãdo inquit. *Et in paternis suis grauida inueniatur, ne fortè cum viro commorata transgrediatur.* Atque proinde eò magis est admirandum Hippocratis artificium in hoc aphorismo proponendo, quò magis ignarum, atque pessimum vulgus, potest ex lacte in virginũ mammis collecto, inferre illas vel fuisse, vel esse vtero gerentes; quandoquidem ad has calumnias auuertendas, huiusmodi legem promulgatam legimus cap. 22. Deuteronomij per hæc verba. *Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quæsieritque occasiones, quibus dimittat eam,*

Hip. artificiũ declaratur.

eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam, non inueni virginem; tollent eam pater, & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis, qui in porta sunt, & dicet pater, filiam dedi huic vxorem, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat, non inueni filiam tuam virginem; & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ, expandent vestimentum coram senioribus ciuitatis.

Quomodo calũniæ aduers[9] virgines illatæ auerti possint

APH. XL.

Quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat.

VIdetur ferè impossibile, quod dicit Hippocrates, nimirum leuissimam causam maximum affectum producere; sanguinem scilicet in mulierum mammis collectum significare furorem. Cessabit tamen admiratio, si consideraueris mulierum naturam, quæ secundum magnam partem est prona ad fatuitatem, delirium, rixas, atque alia huiusmodi vitia; nam fatuitatem indicauit Sapiens Prouerb. 11. *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & fatua.* Eius litigiosam naturam indicauit c. 21. *Melius est sedere in angulo domus, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi.* Inferius aph. 60. reliqua illarum vitia reperies; sunt verò tot, atque tanta, vt Sap. Ecclesiastes cap. 7. in hanc sententiam pro-

Quomodo minima caussa maximũ producat effectum.

Mulierũ prauarũ natura.

prorupetit. *Et inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. Ecce, hoc inueni, dixit Ecclesiastes, vnum, & alterum, vt inuenirem rationem, quam adhuc quærit anima mea, & non inueni; Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.*

APH. XLI.

Si velis noscere, an conceperit mulier, quum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da; & si alui tormina patietur, concepit; si minus, non concepit.

Quo iudicio dignoscere possim⁹, an mulier conceperit, nec ne.

INferiùs, nempe aphorismo 62. inquit Hippocrates. Si mulieri cessent purgationes, neque febris, neque rigor superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in vtero habere; quæ signa cum non possint in ipso statim conceptionis initio superuenire, iure merito hunc præmittit aphorismum, in quo demonstrat quo indicio in principio possimus dignoscere, an mulier cōceperit nec ne: difficultatem facit, quod habet Arist. lib. septimo de historia animalium cap. 3. vbi dixit, quod si intra septimum diem intra vterum permanserit genitura, conceptum iam esse certum est, quod didicit ab Hippocrate, qui libro de carnibus ani-

animaduertit, quod conceptum est, si intra septem excidit dies, nullā præsefert delineationem, si verò post septem, in aquam immissum, oculorum, oris, & pudendorum quandam non inenidentem delineationem ostendit; adeo vt ex Hipp., atque multo euidentius ex Aristotele, qui intra septem dies fiunt, non vocentur abortus, sed effluxiones; atque ante septimum neque fœtus, neque embrio dici possit, sed semen; facit inquam difficultatem, quoniam si ante septimum non fuit efformatus embrio, nulla possit fieri intestinorum coarctatio, atq; proinde neque alui tormina patitur mulier exhibita mulsa; qnamuis etenim sit flatulenta, non tamen tormina excitare poterit, nisi intestina coarctata fuerint.

Difficultati satisfit.

Respondemus quod præterquamquod vtrumque semen .s. tam maris, quàm fœminæ cum retentis menstruis talem constituunt molem ante septimum diē, quæ intestinorum efficiant coarctationem; in prædicto etiam semine statim adesse membrorum delineationē; quod adinuenit, atq; nobis indicauit acutissim⁹ atq; eruditissim⁹ Ioseph de Aromatarijs: atq; id propterea in præsenti aph. nullā dierū fecit Hipp. mentionem; nam sic etiam habetur c. 12. Leuitici. *Mulier si suscepto semine peperit masculum immūda erit septem diebus iuxta dies separationis menstruæ*; in quo etiam loco nulla fit dierum mentio, quoniam statim, ac vtrumque semen copulatur, fit conceptio, & consequenter embrio;

 qua-

quapropter quando inquit Hipprocrates, ante septimum nullam apparere delineationem, est intelligendum, non quod non adsit, sed quod non admodum euidenter appareat.

APH. XLII.

Mulier si marem concepit, bene colorata est; si verò fœminam, malè colorata.

Quomodo ex colore dignoscere possimus an fœtus sit masculus, vel fœmina.

RAtio est, quoniam sanguis mulieris masculum ferentis est calidior, atque proinde fœtus masculus potiùs existimandus, talis autem efflorescit color in cute, qualis intus est sanguis. Quibus accedit, quod semen maris vt calidius suo motu magis calefacere possit totum corpus. Non secus ex faciei colore poterit quilibet dignoscere hominem in mente gerentem præclara aliqua facinora, vel turpissimas cogitationes. Atque proinde huc possunt transferri, quæ de vultu Sapientis, atque de homine liuido habentur in Ecclesiastico.

APH. XLIII.

Si mulieri grauidæ in vtero sit erysipelas, lethale.

Cur Erisypelas in vtero grauidæ sit lethale.

SI morbus quilibet acutus in prægnāte est lethalis, multò magis id contingit si ipse morbus acutus occupet ipsam vteri regionem; hinc etenim longè magis

magis abortum minatur, qui proinde solet prægnanti esse lethalis. Sic si cuilibet, qui egregium aliquod facinus iam conceperit, superuenerit magna aliqua mentis ægritudo, consueuit abortiri; cuius rei extant in sacris exempla iam superiùs à nobis citata. Extant insuper non paucæ sententiæ.

APH. XLIV.

Quæcunque præter naturam tenues existentes vtero gerunt, abortiunt priusquam crassescant.

HVius aphorismi intelligentiam reperies aphorismo subsequenti.

APH. XLV.

Quæcunque mediocriter corpore habentes, abortiunt secundo, aut tertio mense sine occasione manifesta: his acetabula vteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed disrumpuntur.

ABortui proportione quadam illæ respondent cogitationes, seu animi conceptus, atque sermones, qui non geruntur recta ratione, quæ verò recta ratione, partui; quod animaduertit Sapiens prouerb. 16. *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguā; omnes viæ hominum patent oculis eius;* **Abortui atq. ipsi etiā partui, quæ cogitationes proportione respondeant.**

spirituum ponderator est Dominus. Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tua. Et cap. 11. *Os iusti parturiet sapientiam, & lingua pauсorum peribit. Labia iusti considerant, quæ Deo placent, & os impiorum peruersa.*

APH. XLVI.

Quæcunque præter naturam crassæ non concipiunt vtero his omentum os vteri comprimit, & priusquam extenuatæ fuerint, non concipiunt.

Cur quæ pręter naturã sũt crassę, nõ cõcipiãt.

REddit rationem Hippocrates in præsenti aphorismo, propter quã illæ, quibus contingit crassities præter naturam, non concipiant; inquit verò prouenire id, quoniam omentum adeo crassescit, vt obturet comprimendo os vteri, ex qua compressione clauditur os vteri, & consequenter impeditur ingressus seminis virilis. Verùm huic aphorismo videtur refragari alter, qui habetur inferiùs, nimirum 52. *Quæ vtero gerunt, his vteri os comprimitur.* Sed facilis solutio, quoniã compressio de qua sermo fit in præsenti aph., est compressio morbosa, quæ prohibet conceptionem, hoc est, impedit, vt dictũ est, seminis ingressum; compressio verò, de qua sermo fit aphorismo citato, est naturalis, quæ fit, postquam semen est ingressum (à natura, adhoc vt fiat conceptus; quapropter

Apparẽs contradictio soluitur.

ter oris vteri compressio pro causarum varietate fit humanæ naturæ amica, & inimica. Cui est analogum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 6. *Noli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim, & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus, & bilinguis.* Eo autem magis est analogum, quod nimiæ crassitiei præter naturam respondet, quod statim subdit. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo; anima enim nequam disperdet, qui se habet, & in gaudium inimicis dat illum, & deducet in sortem impiorum. Verbum dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos, & lingua bene loquens & gratiosa in bono homine abundabit.*

Nimiæ crassitiei pręter naturã, quę animi vitia proportione respondeant.

APH. XLVII.

Si vterus in coxam vergens suppuratur, necesse est linamentum fieri.

CVR Hippocrates inter antecedentem, atque subsequentem aphorismum, præsentem collocauerit; in nostris diximus commentarijs; id quod paucis modò repetemus, quod licèt à communi interpretum sententia sit admodum alienum, nobis tamen rationi non parum videtur consentaneum. Est verò,

Hip. artificium aperitur.

quòd cum hucuſque plura propoſuerit conceptionis impedimenta, aliud modò proponit valde inſigne, vt illo etiam remoto poſſit fieri conceptio tam maris, quàm fœminæ, de qua ter in ſubſequenti aphoriſmo mentionem facit. Eſt verò maximi momenti impedimentum, quotieſcunque vterus ad coxam vergens ſuppuratur, cuius etiam affectus præſentaneum remedium indicat, quando inquit, in tali caſu eſſe linamentum efficiendum; cum etenim ex ſuppuratione vteri ad coxam ſperandum ſit vlcus profundum, neceſſariò illis medicamentis curari debet, quæ tali vlceri ſint magis conuenientia; ſi etenim vomica, quæ continentur in vtero, ſe extendit ad coxam, tunc quomodòcunque diſrumpatur, non poteſt non tale fieri profundum vlcus: fit autem prædicta cõmunicatio, quoniam vaſa ſeminalia, quæ meliorem, atque puriorem deferunt ſanguinẽ in teſtes, vt in ipſis ſemen elaboretur; ſunt venæ quædam, quæ originem trahunt à venis, quæ in lumbis diſciſſæ in crura deſcendunt, antequam in tres ramos, qui per crura decurrunt, diſtribuãtur, in viris recurrunt per femora in teſtes, & in mulieribus in vterum; nam venæ ex vena caua, & ferè loco, quo renes ſiti ſunt, mittantur in teſtes, ſiniſtraque deoritur ex illa, quæ vocatur emulgens, quæ ſeroſum ſanguinem in renem defert; dextra verò, non multum poſt exortum emulgentis; quare ne ipſa quidem ſatis expurgatum defert ſanguinem,

nem, ſaltem non adeo vt venæ, quæ multo poſt ortæ ex ipſis femor bus recurrunt; quas ob id eſt rationi conſentaneum, quod ſi non adeo copioſam materiam, atque ſuperiores (quia ſunt longè minores) præſtare tamen materiam multo magis elaboratam, & conſequenter vtiliorem ad fœcundi ſeminis generationem. Quæ fuſiori ſermone propoſuimus, quoniam his ignoratis percipi non poteſt quid illa ſibi velint, quæ leguntur in Geneſi cap. 47. per hæc verba. *Cunctaque animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Iacob in Aegyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque vxoribus filiorum eius ſexaginta ſex.* Sic etiam Iacob in Iudæ benedictione pronunciauit. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, neque Dux de femore eius.* Et capite 5. Numerorum inter adulteræ maledictiones, illud maximè præcipiebatur dicere ſacerdos. *Ingrediantur aquæ multæ in ventrem tuum, & vtero putreſcente, putreſcat femur*, vt ſcilicet, *per quæ quis peccat per eadem puniatur*; vt habetur c. 11. Sapientiæ Quæ præclara contemplatio ab ali js doctiſſimis viris indicata, iure merito à nobis fuit pręſenti aph. accommodata.

Hip. ſententiæ ac commodantur, quæ habẽtur in Geneſi.

APH. XLVIII.

Fœtus, mares quidem in dextris, fœminæ verò in ſiniſtris magis.

Fœtus mares prouenire magis à dextris, atque progigni magis in dextris,

Cur mares poti⁹ in dextris, atq; fœminæ magis progignãtur in sinistris.

quàm in sinistris indicat maius dextræ partis robur, & consequenter, quod ibi concipitur esse perfectius; quod priùs indicauerat allegoricè Sapiens in Ecclesiastes cap. 10. *Cor Sapientis in dextra eius, & cor stulti in sinistra eius*. Verùm percontaberis, cur Hippocrates in hoc admirando aphorismorum opere, quo præcipua quæque, atque magis præclara ad artem attinentia fuit complexus, cur inquam, quemadmodum indicauit partem, in qua magis progignantur mares, quàm fœminæ, aliam non leuis momẽti causam prætermisit; est verò vtriusque parentis in ipso concubitu valida imaginatio, quæ scilicet fit ad masculum progignendum intenta. Est scilicet non leuis momenti causa; siquidem narrat Gal. libello de theriaca ad Pisonem, mulierem quãdam intuitu pulcherrimę picturæ pulchrum infantem ex deformi parente concepisse, subdit causam dicens. *Visu opinor natura imaginem transmittente*. Diuus etiam Augustinus 18. de ciuit. Dei c. 5. prædictam causam videtur tetigisse, quando inquit apud Aegyptios nunquam defecisse bouem quẽdam maculis quibusdam candidis insignitum, quem *Apim* appellabant, & pro Deo colebant; inquit verò. *Dæmones idfecisse ad decipiendos Aegyptios, phantasiam talis tauri, quam solam cerneret, vacca concipienti ostentantes, vt libido eius attraheret, quod in eius fœtu iam corporaliter appareret*. Quæ præclaræ sententiæ maximè videntur cohærere mira-

Quæsito satisfit.

mirabili illi historiæ, quæ habetur cap. 30. Geneseos, in quo recensetur modus, quem adhibuit Iacob, fuit verò, quòd posuit in canalibus, in quibus effundebatur aqua, virgas variegatas, ad hoc vt in ipso calore coitus fœtus fierent variegati. Cui quæsito non erit difficile respondere, si animaduertamus fœtum futurum marem, vel fœminam, esse quoddam contingens, de quo nulla est determinata veritas; atque proinde Hippocratem hoc signum tanquam admodum fallax omnino prætermisisse, & quod magis est, signum de loco, quem occupat tam masculus, quàm fœmella, est adeo infidum, vt Hippocrates hanc ob causam adhibuerit aduerbium *magis*, quasi dicere voluerit, posse etiam oppositum euenire. Quibus ita constitutis, ad auctoritates in contrarium allatas respondendum, atque primùm quod spectat ad citatum Gal. locum animaduertendum, aliud esse loqui de colore, aliud verò de sexus varietate. Quod verò spectat ad locum Geneseos citatum, cui quodammodo inhæret locus D. August. præterquamquod eadem responsio posset illi etiã quadrare; est & alia maioris momenti, quòd scil. vis cogitans in brutis est longè validior, quàm in hominibus, hominũ etenim mens diuina cum sit, & separabilis, multa potest meditari sine instrumẽto corporeo, quemadmodũ Deo fauẽte ex Hip. in nostris cõmẽtarijs demõstrabim⁹; quãdo etenim corporali instrumento vtitur, illi minùs hæret

Hipp. artificium declaratur.

Quomodo vis cogitans in brutis fit validior, quam in homine.

hæret, & consequenter minores illi ingit affectiones, quàm prædicta bruta, quæ animam obtinent in ipsa materia penitus immersam. Non tamen negãdum, posse aliquando validam vtriusque parentis immaginationem in ipso concubitu esse causam, vt procreatur potiùs masculus, quàm fœmella, quamuis id rarò contingat.

APH. XLIX.

Vt secundæ procidant, sternutatorio apposito nares apprehendito, & os.

Ad deturbandas animi, & corporis ægritudines efficax remediũ.

QVemadmodum motu tremulo ex arbore decidunt fructus; non secus motu concusiuo, qui excitatur in puerpera, procidunt secundinæ. Sic Dauid, si præclaris editis fascinoribus, calidissimis corporis, atque mentis exercitationibus deturbasset luxuriæ reliquias, non incidisset in peccatum horrendum adulterij, atque homicidij.

APH. L.

Mulieri si velis menstrua cohibere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.

Remedia facillima ad animi, & corporis ęgritudines.

QVamuis hoc præsidium videatur minimum, est tamen maximum, nimirum à magno Hippocrate, qui non nisi magna remedia proposuit. Ratio est manifesta, quoniam potenter reuellit ab vtero; est remedium paratu facile, & quod magis est, tutissimum. Sic fuit præceptum in Leuitico cap. 16., vt sacerdos sanguine hirci, atque vituli expiatet Sanctuarium ab immunditijs filiorum Israel, & à præuaricationibus eorum, cunctisque peccatis.

APH. LI.

Mulieri vtero gerenti tenasmus superueniens abortum facit.

HIC aphorismus à multis habetur pro spurio, si tamen illum velis magno Hippocrate dignum existimare, illi quadrare poterit, quod superiùs de erysipelate in prægnantis vtero dictum est.

APH. LII.

Quæ vtero gerunt, his vteri os comprimitur.

HVius etiam aphorismi intelligentiam tradidimus in enarratione ad aphorismum 46. huius sectionis.

APH.

APH. LIII.

Mulieri vtero gerenti si lac multum è mammis effluat, fœtum imbecillem significat; si verò mammæ solidæ fuerint, fœtum significant saniorem.

Cur mulieri vtero gerẽti si lac multum è mammis effluat fœtum imbecillem significet.

RAtio est manifesta, quoniam lac conficitur ex sanguine, ex quo infans in vtero nutritur. Non secus contingit illis, qui bonas possident substantias, si etenim has conseruant illæsas, optimè poterunt suas alere familias vsq; ad cõstitutum tempus, sin minus, familiam reddunt imbecillem. Non desunt sententiæ ad id comprobandum attinentes, quas alijs aphorismis appo suimus.

APH. LIV.

Quæ corrupturæ sunt fœtus, his mammæ extenuantur. Si verò rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non rumpent.

Ad fœtus corruptionẽ quod malum subsequatur præter mammarum extenuationem.

QVamuis ex Hipp. ad fœtus corruptionem subsequantur mammarũ extenuationes, tanquam signa, illam tamen inter reliquos prauos effectus consequi consueuit sterilitas, quod tetigit Ecclesiasticus cap. 42., quando inquit. *Filia patris abscondita est, vigilia & sollicitudo eius aufert somnum, ne fortè in adolescentia sua adultera efficiatur, & cũ viro commorata odibilis fiat, ne quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis grauida inueniatur, ne fortè cum viro commorata transgrediatur, aut certè sterilis efficiatur.*

APH. LV.

Quibus os vteri durum est, his os vteri comprimi est necessarium.

Cur durities præter naturam tam corporis quam animi sit mala.

CVIuscunque partis durities, quando est præter naturam, semper prouenit à morbo, vel ipsum progignit morbum; atque proinde si os vteri durum fuerit, nõ modò obest indiuiduo, verùm etiam est in causa, ne fiat conceptus. Cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 3. *Cor durum habebit malè in nouissimo, & qui amat periculum, in illo peribit.*

APH. LVI.

Quicunque vtero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, & abortum facientes periclitantur.

QVemadmodum difficiles partus in febribus sunt admodum periculosi; non secus periculo non caret, in quolibet iudicio veritatẽ penitus abscõditam retinere. Sic habetur in Ecclesiast. cap.

Affectus tam corporis, quā animi, qui fiūt sine caussa manifesta cur periculosi.

cap. 4. *Fili mi conserua tempus, & deuita à malo; pro anima tua ne confundaris dicere verum; est etiam confusio adducens peccatum & est confusio adducens gloriā, & gratiam.* Subdit post modum. *Nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo. Non confundaris confiteri peccata tua. Nō contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ cōfundere.*

Cur Hip. adhibuerit aduerbium cōiunctiuū &.

Est autem animaduertendum, non temerè dixisse Hippocratem, *difficulter pariunt, & cum periculo*, hoc est, non adhibuisse aduerbium disiunctiuum *aut*, sed conjunctiuum *&*, quoniam scilicet mulieri magis, quàm reliquis animantiū fœminis D. O. M. decreto contingit, vt pariat cum labore. Neque difficultatem facit, quod habetur cap. 38. Iob. *Nunquid nosti tempus partus, ibi cum in petris, vel parturientes ceruas obseruasti? dinumerasti tempus conceptus earum, & scisti tempus partus earum? incuruantur ad fœtum & pariunt, & rugitus emittunt.* Non inquam aduersatur, quoniam mulieres parturientes, quamuis multis commodis adhibitis, præ labore, atque dolore multoties periclitantur, quod ceruis, atque reliquis animantium fœminis non contingit. Verùm quandoquidem incidimus in mentionem de tēpore partus, percontabitur aliquis, cum Hippocrates in vniuersa sua doctrina animaduertit, frequentius partus tempus contingere mulieribus nono mense, cur cap. 7. sapientiæ scriptum fuerit. *Decem*

Cur mulier inter reliquas animantium fœminas pariat cū labore.

Cur Hip. potiꝰ cōstituerit nonum mensem partꝰ terminum, quam decimum, cum tamē possit etiam decimus

Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis & delectamento somni conuenienti. Verùm hanc controuersiam facillimè diluemus, si dicamus, frequentissimum partus legitimi terminum esse nonum mensem, minus verò frequens, mensem decimum, quemadmodum nos existimamus; namque etiam libro secundo Machabæorum c. 7. sic habetur. *Fili mi miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui.* Nisi velis cū aliquibꝰ eruditis viris existimare vtrobiq; intelligi idem tempus, nempe menses nouem, quoniam is Hippocratis testimonio, & omnium hominum experimento creditur esse maximè naturalis, & communis nascendi terminus; sed quia nomen mensis non de eodem dierum numero semper dicitur, sed nūc de græco, qui triginta diebus consistit, nunc de lunari, qui græco semper est minor, fit vt qui nono mense exit vtero, exeat decimo lunari, atque proinde si lunæ circuitiones numeremus, nascuntur homines decimo mense; sin vulgares menses, perfecto nono, idem tempus est. Nobis tamen magis arridet prior opinio, siquidem Hipp. secundo Epidemiorum sect. 3. frequentius pariendi tēpus statuit ducentos, & septuaginta dies; minus autem frequens constituit libello de alimento trecentos dies, qui decem perfectos menses constituunt.

APH.

APH. LVII.

In fluxu muliebri si conuulsio, & animi defectus aduenerit, malum.

Quæ cõnulsio sit omnium pessima. Et quod animi vitium illi sit analogum.

QVamuis quælibet conuulsio mala sit, illa tamen est lethalis, quæ ex inanitione proficiscitur, quemadmodum alibi demonstrauimus. Quoniam verò hæc immodica excretio non potest prouenire, nisi sanguis magnum aliquod vitium contraxerit; id propterea illi respondent quadam proportione diuitiæ, quæ si fuerint malè paratæ, facilè dilabuntur, quod indicauit Iob c. 20., quando inquit. *Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus: diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Non videat riuulos fluminis torrentis mellis, & butyri, quoniam confringẽs nudauit pauperis domum, rapuit, & non ędificauit eam, nec est satiatus venter eius. Et cum habuerit, quæ cõcupierat possidere nõ poterit. Non remansit de cibo eius, & propterea nihil remanebit de bonis eius: cum satiatus fuerit, artabitur, estuabit, & omnis dolor irruet super eum.* Non desunt alia præclara ad hunc aphorismum facientia, quæ breuitatis studio prætermitto.

APH. LVIII.

Si menstrua plura fiant, accidunt morbi, & si non fiant, ex vtero morbi contingunt.

Corporis atq; animi excretiones quæ malæ.

QVod de menstruis inquit Hippocrates, est de quocunque excremẽto intelligendum, hoc est, in qualibet excretione esse excessus deuitandos, vt scilicet auream illam sententiam custodiamus. *ne quid nimis*. Cui proportione respondent plurimæ sententiæ tam Sapientis, quàm Sirachj, quæ admonent, ne plura, quàm decet verba effutiamus; neque etiam vbi sapienter loqui est necesse, obtumescamus; quas vt notissimas, atque alibi adnotatas, nũc breuitatis studio prætermittimus. Sufficiat vnicam adhibuisse, quæ habetur in Ecclesiastico cap. 4. *Noli citatus esse in lingua tua, & inutilis, & remissus in operibus tuis*. Si percontetis, qui nam sit legitimus menstruorum terminus, respondebimus ex c. 12. Leuitici esse septimum diem, adeo vt excretio, quæ hunc transcendit term num, sit morbosa. Sic etenim habetur cap. citato. *Mulier, quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.* Quamuis etenim libello de superfœtatione dixerit Hipp., multis mulieribus tempus eius purgationis tres tantùm existãt dies, asserit tamen plerisq; prædictã purgationem vsq; ad septimum diem peruenire.

Quì nam sit legitimus mẽstruorũ terminus.

APH LIX.

Recto intestino, aut vtero inflammationem patiente, vrinæ stillicidium accidit, & renibus purulentis vrinæ aduenit stillicidium; hepati autem inflammationem patienti singultus aduenit.

Quomodo non primario, sed secundario fiat lapsus in morbos tam animi, quã corporis.

DEmonstrat Hippocrates in præsenti aphorismo, quomodo plures morbi contingant non primariò, sed per consensum aliarum, & quod magis est, indicatur præsenti aphorismo modus inueniendæ partis affectæ, atque dignoscendi morbi magnitudiné. Non secus plurimi in pessimos, atque lethales morbos irruere consueuerunt, non primariò, hoc est propria natura, sed per consensum, hoc est, falsorum amicorum persuasionibus, de quibus non paucæ extant sententiæ in sacra pagina; hìc sufficiet vnam apposuisse, quæ habetur prouerbiorum c. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.*

APH. LX.

Si mulier non concipit, scire autem velis si conceptura sit, pannis circumtectam desupter suffias, & si odor videatur per corpus ire ad nares, & os, scito, quod ipsa non ex se ipsa sterilis est.

Quo periculo se exponãt qui vxorem ducunt.

EXperimentum, quod hìc proponit Hippocrates ad dignoscendum, an mulier ex se ipsa sterilis sit, nec ne, præterquam quod non est perpetuæ veritatis, id etiam habet incommodi, quod illius coniux id non valet experiri, nisi postquam illam susceperit: adeo vt viri, qui ideo vxorem ducunt, vt inde prolem suscipiant, tali se manifesto periculo exponant; quod indicauerat Sap. prouerbiorum 19. *Domus, & diuitiæ dantur à parentibus à Domino autem propriè vxor prudens;* quod etenim dixit prudens, exempli gratia, dictum est, potest etenim intelligi fœcunda, & si quod aliud bonum illi inexistit. Quod dicit Sapiẽs *propriè*, dictum est ad differentiam malarum, quæ à Domino non exhibentur propriè, quoniam scilicet mala nostra ex nobis proueniunt, & proinde dictum est cap. 21. *Melius est sedere in angulo domus, quàm cum muliere litigiosa, & in domo communi. Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa, & iracunda.* Et cap 27. *Tecta perstillantia*

tia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur. Qui retinet eam: quasi qui ventum teneat: & oleũ dextræ suæ vocabit Ecc. 30. *Tria sunt insaturabilia & quartum, quod nunquam dicit, sufficit. Infernus, & os vuluæ, & terra, quæ non satiatur aqua, ignis verò nunquam dicit sufficit. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri super terram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adolescẽtia. Talis est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit non sum operata malum. Per tria mouetur terra, & quartum quod non potest sustinere: Per seruum cum regnauerit, per stultum, cum saturatus fuerit cibo, & per odiosam mulierem, cum in matrimonium fuerit assumpta & per ancillam cum fuerit heres dominæ suæ.* Inter innumeras imbecilles aliquam posse reperiri fortem indicauit cap. postremo, quemadmodum propè finem operis demonstrabimus.

APH. LXI.

Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum.

Cur fœtus sit morb⁹ si mulieri vtero gerẽti purgationes eant.

SI mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est fœtum esse sanum, quoniam ex Aristotele sanguis menstruus est materia, ex qua generatur fœtus; existimauit etenim virum tantùm vim, atque efficaciam per semen

men præstare; Galenus verò, quem medici secundum magnam partem sequuti fuere, fœminam quidem præstare non solam materiam, maximam tamen, atq; præcipuam, quoniam illa primum ortum præbet partium carnosarum, atque illarum nutritionem, atq; augmentationem; atque vt mulier præstat materiæ plurimum, efficaciæ minimum; sic è conuerso vir præstat efficaciæ plurimũ, materiæ verò minimum. Quæ sunt tãtùm secundum naturæ leges intelligenda, quandoquidem Dei optimi maximi iussu potest aliter euenire, siquidem capite decimo octauo Geneseos. *Erant autem senes prouectæ ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria*, & nihilominus, vt in eodem habetur capite, in illa ætate nonagenaria ex Abrahamo, qui centesimum annum attigerat, genuit Isaacum.

Discrimen inter Arist. atq. Gal. de mulieris genitura.

APH. LXII.

Si mulieri cessent purgationes, neque febris, neque rigor superueniat, & fastidia incidant, iudica ipsam in vtero habere.

SI omnia hæc signa simul collecta accipiantur, certa fiunt vtero gerentiæ signa; non autem illud, quod imperiti certissimum signum esse existimant, nimirum lac effluens ex mammis, quod certè tanquam signum infidum reijcierat aph. 39. quando inquit. *Si mulier, quæ neque grauida est, neque*

Quæ sint vtero gerẽtiæ tutiora signa.

peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt. Quo factum est, vt ipse etiam Ecclesiasticus cap. 42. nulla facta lactis ex mammis defluentis mentione, existimauerit ad peculiaria vterogerentiæ signa esse recurrendum; inquit etenim. *Filia patris abscondita est, vigilia & sollicitudo eius aufert somnũ, ne fortè in adolescentia sua adultera efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat, ne quando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis grauida inueniatur;* quem locum iam superiùs bis ad aliorum aphorismorum intelligentiam proposuimus.

APH. LXIII.

Quæcunque frigidos, & spissos vteros habent, non concipiunt. Et quæcunque præhumidos vteros habent, non concipiunt. Extinguitur enim in eis genitura. Et quæcunque siccos magis, & adurentes; nam ex defectu alimenti corrumpitur semen. Quæcunque verò ex vtrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt.

Præsidiũ ad sterilitatem remouẽdam.

EXtat cap. 30. Geneseos præsidium ad sterilitatem remouendam decantatum; est verò Mandragora, quam id propterea à Lia poposcit soror Rachel, quando inquit. *Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum reperit Mandragoras, quas matri Liæ detulit; dixitque Rachel, da mihi partem de Mandragoris filij tui,* & quæ sequuntur, quibus constat non modò Liam, quæ concipere desierat, rursus concepisse, verùm etiam Rachelem, quæ prorsus sterilis erat, prædicto adhibito præsidio fœcũdam euasisse. Cum autem pomũ, quod ex media hac stirpe prodit, sit admodũ frigidum; hinc manifestè colligitur illud non posse quamcunque vteri intemperiem corrigere, sed tantummodo calidam, & siccam, quæ ab Hippocrate in secunda aphorismi particula fuit descripta; atque talem fuisse vterum Rachelis est rationi consentaneum, atque proinde hoc naturali medio vsus est Deus in fœcunda Rachele efficienda, vt colligitur ex dictis, atque illis, quæ paulò post dicuntur per hæc verba. *Recordatusque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius, quæ concepit, & peperit filium, dicens, abstulit Deus opprobrium meum.* Cæterum quemadmodum in præsenti aphorismo describsit Senex mulierem ad concipiendum ineptam ob vitium corporeum; non secus aliam describit Sapiens ad conuersandum intollerabilem ob vitium animæ prouerb. 27. quando inquit. *Tecta perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparãtur; qui tenet eam, quasi qui ventum teneat, & oleum dextræ suæ vocabit.* Bonam autem, atque ad concipiẽdum idoneam dessignat Ecclesiasticus cap. 36., quando inquit. *Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem*

Cur Rachel assumpto pomo Mandragoræ cõceperit.

nem concupiscentiam hominis superducet desiderium. Si est lingua curationis, & mitigationis, & misericordiæ, non est vir illius secundum filios hominum. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem, adiutorium secundum illum est, & columna vt requies.

APH. LXIV.

Similiter autem, & in maribus, aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, vt semen non transmittatur ad os, vel propter spissitudinem humor non exit foras, vel propter frigiditatem non coalescit ita, vt ad hunc colligatur locum; vel propter caliditatem hoc idem accidit.

Hip. sapientia.

NOn fuit contentus Hippocrates in breuissimo aphorismorum opere attulisse causas sterilitatis in fœminis, verùm etiam illas afferre voluit, quæ in ipsis etiam maribus prædictum affectũ inducunt; atque hoc non sine maxima ratione; cum etenim prædicto opere vniuersam artem complectatur, tenebatur etiam affectus recensere, qui ad ipsos attinent mares, vt his impedimentis remotis medicus suum finem assequatur. Dignouit fortasse diuinus Senex esse D. O. M. donum præstantissimum filios procreare, quoniam, vt arbitror, legit, quod habetur in Ecclesiastico cap. 3. *Deus*

Liberorũ procreatio quãti momẽti.

Deus honorauit patrem in filijs, & iudicium matris exquirens firmauit in filios. Sicuti qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, iucundabitur in filijs, & in die orationis suę exaudietur, & qui obedit patri, refrigerabit matrem. Qui timet Dominum, honorat parentes: & quasi dominis seruiet ijs, qui se genuerunt. In opere, & sermone, & in omni patientia honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio à Deo, & benedictio eius in nouissimo permanet. Est autem animaduertendum, potissimam causam sterilitatis in viris esse illam, quam posuit in aphorismo, quando inquit. *Vel propter frigiditatem non coalescit, ita vt ad hunc colligitur locum*; cuius causæ causa est præcipua concubitus adeo frequens, vt partes generationi dicatæ refrigerentur, atque proinde semen generent spiritibus destitutum, & ad concipiendum inhabile, quod habetur in Ecclesiastico cap. 9.

Præcipua sterilitatis causa in viris, quænam sit.

Ne des fornicarijs animã tuam in vllo, ne perdas te, & hæreditatem tuam;

APH. LXV.

Lac dare caput dolentibus, malum; malum verò & febricitantibus, & quibus ilia suspensa murmurant, & siticulosis; malum autem & quibus in febribus acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectio facta est. Conuenit autem & tabidis dare, qui non valde multùm febricitant, & in febribus longis, & paruis, si nullum ex supradictis signis affuerit, & præter rationem consumptis.

Cur Hip. de lacte longissimum cõfecerit aphor.

QVemadmodum vel imperiti, vel adulatores medici lac exhibent ægrotantibus, quibus præbere non deberent, sub prætextu, quod sit humanæ naturæ amicum. Non secus deuitandum, quod admonet Sapiens prouerb. 16. *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.* Cæterum non sine maximo artificio de lacte maximum confecit aphorismum Hippocrates, siquidem inter reliqua alimenta est humanæ vitæ admodum necessarium, quod eundem Sapientem impulit, vt dixerit cap. 27. *Aperta sunt prata, & apparuerunt herbæ virentes & collecta sunt fœna de montibus, agni sunt ad vestimentum suum, & hædi ad agri pretium: non desit tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad*

ad victum ancillis tuis. Est autem lac alimentum multis populis familiare, vt in sacris illæ vrbes commendentur, quæ maximo abundant lacte; sic habetur in Exodo cap. 3. *Educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram, quæ fluit lacte, & melle.* Et in Leuitico cap. 20. *Possidete terram eorum, quam dabo vobis in hæreditatem, terram fluentem lacte, & melle.* Et sic de singulis.

Lactis Encomia

APH. LXVI.

Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur valde, neq; insaniunt. Verùm his euanescentibus de repente, quibusdam à tergo, conuulsiones, & distentiones fiunt; quibusdam ante, insania, vel dolor lateris acutus, vel suppuratio, vel difficultas intestinorum, si tumores sunt rubicundi.

VLcera tumentia faciliorem curationem admittere, quàm illa, in quibus nullus apparet tumor, indicatur cap. 1. Esaiæ per hæc verba. *Vulnus, & liuor, & plaga tumens non est circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.* Cæterùm hanc sententiam paucioribus, & consequenter obscurioribus verbis pronunciauit Sapiens prouerb. 20., quando inquit. *Liuor vulneris absterget mala, & plaga in secretionibus ventris.* Quod etenim inquit Sapiens de

Vlcera tumẽtia faciliorem admittũt curationem, quã non tumentia, etiam ex sacris colligitur.

liuore proportione respondet tumori, de quo in prima aphorismi parte mentionem facit Hippocrates; illi autem, quod subdit Hippocrates. *Verùm his euanescentibus*, respondet quod subdit paulò post. *Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inueniet?* Huic etiam aphorismo proportione respondet, quod alibi à nobis propositum fuit ex Sapiente. *Meliora sunt amici vulnera, quàm odientis oscula.*

A P H. LXVII.

Si in vlceribus fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum.

Cur in vlcerib⁹ tumorẽ non apparere fit malum.

EST ingens malum, si in vlceribus fortibus, & prauis tumor non appareat, quoniam tota malignitas adeo intus delitescit, vt nullum sui extrinsecus signum exhibeat; cui respondet, quod genericè scriptum est prouerb. cap. 20. *Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri, sed homo sapiens exhauriet illud:* proportione inquam respondet, quoniã prædictam sententiã ita proposuit Hippocrates, vt sensatus artifex coniectura dignoscat malignitatem intus delitescere, quod innuit Sapiens, quando subdit. *Sed homo sapiens exhauriet illud.* Obijcies huic sententiæ aduersari, quod dixerat cap. 5. *Ne intenderis fallaciæ mulieris; fauus enim distillans labia meretricis, & nitidus oleo guttur eius. Nouissima*

Quis animi morbus illis proportione respondeat.

Obiectioni satisfit.

ma autem illius amara, quasi absinthiũ, & lingua eius acuta, quasi gladius biceps, pedes eius descendunt in mortem & ad inferos gressus eius penetrant, per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles. Quãuis etenim reliqua consentiant tam Hippocrati, quàm præcitatæ Sapientis sententiæ, videntur tamen illæ dictiones, & inuestigabiles illi, quod inquit. *Sed homo sapiens exhauriet illud.* Verùm duplex est responsio, prior est, quòd homo sapiens facilius haurire potest consilium, quod est in corde viri, quoniam est stabile, quod ex eodem colligitur, quando inquit. *Vagi sunt gressus eius.* Secunda responsio, quòd quando inquit, *& inuestigabiles*, inquit esse inuestigabiles non viris sapientibus, qui semper norunt illas esse fraudulentas, sed iuuenibus, qui luxuriosis cupiditatibus, quasi tempestatibus agitati, semper decipiuntur specie recti.

Cur iuuenis non fit bonus auditor moralis disciplinæ.

A P H. LXVIII.

Molles, boni, crudi verò, mali.

LAudat Hippocrates tumores molles, detestatur duros, quos *crudos* nuncupauit, vt duritiei causam indicaret. Cui sententiæ respondet, quod habetur in Ecclesiastico c. 3. *Cor durum habebit malè in nouissimo, & qui amat periculum, in illo peribit. Cor ingrediens duas*

Durities tam animi, quã corporis cur mala.

 vias,

vias, non habebit successus, & prauicors in illis scandalizabitur. Cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adijciet ad peccandum. Synanoga superborũ non erit sanitas, frutex enim peccati eradicabitur in illis, & non intelligetur. Cor sapientis non intelligitur in sapientia, & auris bona audiet cum omni concupiscentia sapientiam. Sapiens cor, & intelligibile abstinebit se à peccatis, & in operibus iustitiæ successus habebit.

APH LXIX.

Dolenti partem capitis posteriorem in fronte recta vena incisa prodest.

Quomodo fiat reuulsio caussæ morbosę tam corporis, quã animi.

DEmonstrat hoc breuissimo aphorismo Hippocrates, quomodo in reuulsione efficienda sit rectitudo seruanda, vt causa materiæ ad nobilem aliquã partem irruentis possit euacuari. Quo dogmate dignoscere poterimus, quomodo filios, consanguineos, amicos, aut quomodolibet nobis amore deuinctos, possimus reuellere, seu auocare à pessimo aliquo vitio, in quod cœperint irruere; ad quam rem non sunt pauca consilia attinentia, præcipuè in prouerbijs, atque Ecclesiastico.

APH. LXX.

Rigores incipiunt mulieribus quidem ex lumbis magis, & per dorsum ad caput; sed & viris parte corporis posteriore magis, quam anteriore, veluti femorum cubiti. Sed & cutis rara. Indicio autem est pilus.

Cur rigores incipiãt mulieribus magis ex lumbis, & per dorsum.

CAusa propter quam rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis, & per dorsum ad caput, est quoniam prædictæ partes in illis sunt frigidiores propter frigiditatem etiam partium posteriorum, femorum, & cubiti incipiunt ibi in viris. Iam verò rigor, horror, atque horripilatio sunt ferè vnum, & idẽ, atque differunt tantùm secundum magis, & minus; quo factum est, vt ipse etiam Concionator cap. 27. id quodammodo significauerit, quando inquit. *Loquela multum iurans horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio aurium.* Fecit verò tantùm de capite mentionem, quoniam est facultatum principum sedes, atque proinde, illud potissimum ex loquela multum iurante, persentit horripilationem.

APH. LXXI.

A quartana capti non admodum à cõuulsionibus capiuntur. Si verò prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur.

Controuersia diluitur.

HVic aphorismo videtur aduersari, quod habet Concionator cap. 14. quando inquit. *Qui sibi nequam est, cui alÿ bonus erit?* Non tamen aduersatur, siquidem quartana non est conuulsioni bona per se, sed per accidẽs, quatenus scil. vt contraria discutit materiam frigidã, & humidam, quæ facit conuulsionem. Esse autem id veritati consentaneũ colligitur ex sententia, quæ habetur paulò post. *Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius, & hęc est redditio malitie illius; & si benefecerit ignoranter & non volens facit, & in nouissimo manifestat malitiam suam.*

Quomodo aliquis posset bonũ facere, non tamen benefacere.

APH. LXXII.

Quibus cutes circumtenduntur aridæ, & siccæ, sine sudore moriuntur, quibus verò laxæ, & raræ, cum sudore moriuntur.

Quomodo mortis modũ dignoscere possimus.

NE quid in hoc aphorismorũ opere desit ad totius artis perfectionem, in præsenti aphorismo demonstrat Hippocrates qua ratione mortis modum dignoscere possimus; inquit etenim, quod illi

illi, qui habent cutes aridas, & siccas, sine sudore moriuntur, qui verò laxas, & raras, cum sudore moriuntur. Illis, qui cutes habẽt aridas, & siccas, assimilari possũt, & tenaces, & auari, illis verò, qui cutes habẽt laxas, & raras, illi, qui sũt liberales, atq; erga pauperes piẽtissimi. Vtrosq; complexus fuit Sirachius in c. 14. in quo vtriusq; euentus, & notas denunciat, quãdo inquit. *Viro cupido, & tenaci sine ratione est substantia, & homini liuido ad quid aurum? qui aceruat ex animo suo iniustè, alÿs congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius & hæc est redditio malitiæ illius, & si benefecerit ignorãter, & nõ volẽs facit, & in nouissimo manifestat malitiã suã. Insatiabilis oculus cupidi, & in parte iniquitatis nõ satiabitur, donec cõsumat arefaciẽs animã suã: oculus malus ad mala, & nõ satiabitur pane indigẽs, & in tristitia erit super mensã suã. Fili si habes, benefac tecũ, & Deo dignas oblationes offer: memor esto, quoniã mors non tardat, & testamentũ inferorũ, quia demonstratum est tibi; testamentum .n. huius mundi morte morietur; ante mortem benefac amico tuo, & secundũ vires tuas exporrigens da pauperibus; non defrauderis à die bono, & particula diei boni non te prætereat: nonne alÿs relinques dolores, & labores tuos? in diuisione sortis da, & accipe, & iustifica animam tuam; ante obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum.*

Hominis auari, atque liberalis notæ.

APH.

APH. LXXIII.

Qui regio morbo laborant, non multum ventosi sunt.

Icteritia, atq; flatulentia à quibus caussis proueniant.

MOrbus regius, qui etiam icteritia nuncupatur, prouenit à bile exuperante, quæ est calida, & sicca; flatus verò proueniunt ex melancholia, vel pituita, vel ex vtroque simul, quare patet, quod in aphorismo pronunciat Hippocrates, proinde aphorismo proportione respondet sententia, quæ demonstrat, quod amantes non sunt multùm auari, cuius exemplum reperiet in sacra pagina, qui in illa fuerit magis, quàm ego versatus, in illa etenim continentur eminenter omnes scientiæ.

Finis quintæ Sectionis.



APHORISMORVM HIPP.

SECT. SEXTA.

APH. I.

In longis læuitatibus intestinorum si ructus acidus fiat, qui prius non erat, signum bonum.



FIT diuturna læuitas intestinorum, quotiescunque in alui fluxu alimenta, aut parum, aut nihil immutata deijciuntur; cui si superueniat ructus acidus, qui priùs non erat, indicat materiam in ventriculo retineri, quoniam scilicet ructus acidus incipientis concoctionis est indicium. Cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 21. *Cor fatui, quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit; verbum sapiens quodcunque audierit, scius laudabit, & ad se adijciet. Audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum.*

Alimentum tam corporis quam animi cur non retineatur.

APH. II.

Quibus nares natura humidiores, & genitura humidior, minus integra ſanitate fruuntur. Quibus verò contraria, ſalubriùs degunt.

Cur illi, quibus genitura eſt humidior, minus integra fruãtur ſanitate.

CAuſa propter quam illi, quibus genitura eſt humidior, minus integra ſanitate fruuntur, eſt quoniam corpora, quæ talem producunt genituram, ſunt exiguo admodum calore prædita; iam verò calor facit ad vitam, & longiorem, & ſaniorem, cum ab illo proueniant omnes bonæ operationes; atque proinde ab illo excrementa non progignantur, ſed ſi quæ coaceruantur ob prauam aliquã viuendi normam facilè abſumuntur, vnde neceſſario conſequitur genituram humidiorem eſſe malam tanquam ſignum, quod Hippocrates in præſenti animaduertit aphoriſmo. Verùm hic tacitè nos admonet prædictam genituram humidiorem, eſſe prauam tanquam cauſam, quoniam ſcilicet eſt naturali caliditate, quæ maximam efficiendi vim obtinet, deſtituta; quemadmodum etiam eſt inefficax illa, quæ nimiam obtinet ſpiſſitudinem, vt colligitur ex aphoriſmo. 64. antecedentis ſectionis, atque proinde debere genituram habere moderatam conſiſtentiam, qualem ſcilicet habet lac; quod ab Hippocrate didicit Ariſtot. opere de generatione ani-

Bonæ geniturę cõditio. ex ſapientibus viris colligitur.

malium, quando inquit. *Veluti in lactis coagulatione corpus quidem ipſum lac eſt, ſuccus autem coagulum, quod principium habet coagulandi, ita quod à viro in muliere ſecernitur.* Vel vtrque ab antiquiſſimo, & ſapientiſſimo Iob, cap. 10. quando inquit. *Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me, nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti?* Hanc autem humanam generationem, eſſe ad Dei gloriam, atque ipſius timorem redigendam, indicauit Eccleſiaſticus cap. 17.

APH. III.

In longis difficultatibus inteſtinorum, inediæ ex faſtidio, malum; & cum febre, peius.

INediæ ex faſtidio in longis difficultatibus inteſtinorum ſunt malæ, quoniã materia maligna, quæ diuturnum vlcus efformauit in inteſtinis, attingit regionem ventriculi, cum quo inteſtina maximam habent communionem ob vicinitatem, ſubſtantiæ identitatem, atque neruos ſexti paris, atque proinde hunc aphoriſmum tradit Hippocrates, vt in difficultate inteſtinorum procuremus ne materia prauæ conditionis prædictam ventriculi regionem attingat; ne ſcilicet morbus reddatur incurabilis. Sic habetur in Eccleſiaſtico cap. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui comunicat ſuperbo, induet ſuperbiã.*

Cur in lõgis difficultatib⁹ inteſtinorum, inedię ex faſtidio s It malæ.

Est autem animaduertendum hunc aphorismum ideo conscripsisse Hippocratem, vt prudens medicus, hinc admonitus, non sinat dyssenteriam inueterari; ne scilicet contingat hoc horrendum malum; quod etiam Sirachium impulit, vt statim subiunxerit. *Pondus super se tollit, qui honestiori se communicat; & ditiori te ne socius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringentur. Diues iustè egit, & fremet; pauper autem læsus tacebit: si largitus ei fueris, absumet te; & si non habueris, derelinquet te: si habes, conuiuet tecum, & euacuabit te, & ipse non dolebit super te. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit, narrans tibi omnia bona, & dicet quid opus est tibi? & confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis, & ter, & in nouissimo deridebit te.* Est autem adnotandus loquendi modus, quo vtitur Sirachius, quando inquit. *Pondus super se tollit & donec exinaniat te*, vt demonstret has inanitiones esse absque tolerantia, atque conferentia, quos loquendi modos statim ab initio huius operis adhibuit Hippocrates, atque per vniuersũ aphorismorum opus fuit prosequutus, quemadmodum in nostra arte parua demonstrauimus. Et cap. 22. *Cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris. Serua te ab illo, vt non molestiam habeas, & non coinquinaberis in peccato illius. Deflecte ab illo, & inuenies requiem, & non acediaberis in stultitia*

Prauæ cõuersationes cur sint deuitandæ.

Hipp. loquendi modum didicit à concionatore.

tia illius. Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, & fatuum, & impium. Sic etiã habetur apud Hieremiam c. 23. *Ecce ego saturabo illos, & absynthio, & potabo eos felle, quoniam à prophetis Hierusalem progressa est impietas, & pollutio diffusa est in totam regionem.*

APH. IV.

Vlcera circum glabra praua sunt.

Inquit Hippocrates in præsenti aphorismo, quod si decidunt pili, qui sunt circum vlcera, vlceris indicant malignitatem; quamuis etenim alia etiam signa eius prauam naturam indicent, hoc tamen maximum censet dictator; ratio est, quoniam non potest non esse corrodens malignum, quoniam Hipp. secundo Epidemiorum sect. 1. rosiones appellauit malignas, sicuti ferinas; ferinum autem Hipp. Gal. teste, vel significat vermes, vel vlcera serpentina, & corrosiua, vnde oris ventriculi (quod cor appellarunt antiqui) dolores, quòd corrosione quadam fiant, *ferinos* appellare consueuit; adeo vt casus pilorum circũ vlcera ex putrescentia succorum proueniat, qui vel ad vlcus confluunt, vel ex partibus circum vlcus colliguntur: vnde omnia praua vlcera, & difficilis curationis, serpentina, pilos interficiunt circa partes illas adiacentes; quapropter cum hoc symptoma omnium vlcerum complectatur prauitatem, iure merito huic apho-

Cur vlcera circũ glabra eorum indicent malignitatem.

aphorismo accommodari potest sententia, quæ habetur in Ecclesiastico cap. 15. *Omnis plaga tristitia cordis est; & omnis malitia nequitia mulieris. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam, & non nequitiã mulieris, & omnem obductum, & non obductum odientium, & omnem vindictam, & non vindictam inimicorum; non est caput nequius super caput colubri & non est ira super iram mulieris: commorari leoni, & dracon placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcabit vultum suum, tanquam vrsus. Cor humile, & facies tristis, & plaga mortis mulier nequam. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.*

Vlceribus depascẽtibus cõparatur nequitia mulieris.

APH. V.

Dolores, qui sunt in lateribus, & pectoribus, atq; alijs partibus, an multum differant perdiscendum.

AD hoc, vt medicus possit exactè dignoscere morbi magnitudinem, atque eius causam, oportet vt dignoscat inter reliqua symptomata, præcipuè, quisnam sit dolor, atque quam partem occupet; alioquin frustra laborabit in curando. Non secus si filios habueris malè affectos, hoc est, graui aliquo animi morbo laborãtes, vt rectè curationẽ possis instituere, indaga causã morbi, atq; an proueniat ob vitium irascibilis concupiscibilis,

Ad causã morbi tam corporis, quã animi indagandum, quæ sit seruanda method⁹

bilis, an rationalis. Ad quam rem non deerunt sententiæ in sacris literis, quas insignis Theologus faciliùs, quàm nos inueniet.

APH. VI.

Renum, & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur.

RĘnum, atque vesicæ vitia difficulter sanantur, quoniam sunt partes quas pertranseunt excrementa, & quoniam illuc non nisi difficillimè perueniunt medicamenta, præcipuè in senioribus, qui vt plurimum sunt imbecilles, atque natiuo calore propemodum destituti. Quo spectat, quod habetur in Ecclesiastico c. 25. *Quæ in iuuẽtute tua nõ congregasti, quomodo in senectute tua inuenies ea? quàm speciosum caniciei iudiciũ, & præsbyteris cognoscere consilium: quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus & consilium. Corona senum in multa peritia, & gloria illorum timor Dei.* Paulò ante damnauerat *senem fatuum, & insensatum.*

Cur renũ atq. vessicæ vitia in senib⁹ difficulter sanentur. Idem animi morbis inueteratis accõmodatur

APH. VII.

Dolores, & tumores ventris sublimes, leuiores. Qui verò non sublimes, fortiores.

DEmonstrat Hip. dolores, & tumores vẽtris sublimes, hoc est, qui sunt in superficie, esse leuiores, quoniam partes sunt

Cur dolores, & tumores ventris sublimes sint leuiores.

sunt minùs nobiles. Contra non sublimes, qui scilicet sunt ad interna magis, esse fortiores, quoniam sunt partes nobiliores. Nisi velis per *sublimes* intelligendas esse partes supremas, per *non sublimes* infernas; quomodocunque intelligas, verus est aphorismus. Non secus animi morbi, qui faciliter se præbent conspiciendos, sunt leuiores; qui verò in internis magis deliresꝗcunt, vt hippocrisia, fortiores, de quibus vulgata est sententia in Euangelio.

APH. VIII.

Aqua inter cutem laborantibus vlcera in corpore facta difficulter sanantur.

Cur in perniciosissimis corporis atq. animi morbis non sit desperandum.

OPtima cum ratione dictum fuit ab Hippocrate, *difficulter sanantur*, vt scilicet indicaret non esse impossibile; atque proinde teneri medicum tum in his, tum in alijs quibuslibet perniciosissimis morbis curandis, non omnino desperare de salute, quod etiam animaduerterat Sapiens prouerbiorum c. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.* Cum etenim sententia sit vniuersalis, potest etiam grauissimo, atque perniciosissimo morbo laborantibus accommodari; quemadmodum & illa, quæ subdit. *Si dixeris vires non suppetunt; qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorē animę tuę nihil fallit, reddetq; homini iuxta opera sua.*

APH.

APH. IX.

Latæ pustulæ non admodum pruriunt.

Cur latæ pustulæ non admodum pruriant.

LAtæ pustulæ, hoc est, humiles non admodum pruriunt, quoniam à materia frigida fiunt; contrarium euenit in acuminatis, quæ tales existunt, atque pruriunt, quoniam à materia calida progignuntur, atque proinde hæ magis laudantur, quam illæ, quoniam non retrocedunt; quinimo dum ad suppurationem veniunt, salutem pollicentur. Hisce tumoribus est analogum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 13. *Noli esse humilis in sapientia tua, ne humiliatus in stultitiam seducaris.* Est inquam analogum, quoniam quemadmodum pustularum humilitas in se non est mala, sed tantummodo ob materiam, ex qua prouenit, quæ tumorem accuminari non sinit; non secus humilitas in se non est mala, sed in sapiente, quoniam illū indicat pusillanimem, ita scilicet, vt illam tam modicam arbitretur, vt non audeat illam proferre ignaros instruendo, atque disciplinæ iura, auctoritatemque exercendo, quemadmodum Dionysius ibidem.

Cur humilitas in sapientia sit damnanda.

APH.

APH. X.

Caput dolenti, & circum dolenti, pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.

QVamuis, vt nos opinamur, Hippocrates fuerit in Sapientis prouerbijs, atque Sirachij sententijs admodum versatus, videtur tamen prima fronte oblitus illius, quæ habetur in Ecclesiastico cap. 7. *Noli verbosus esse in multitudine prasbyterorum, & non iteres verbum in sermone tuo*; iterauit etenim verbum, quando dixit *caput dolenti, & circumdolenti*; videbatur etenim satis dixisse *dolenti*. Verũ si magni Hippocratis consideres institutum, eius adinuenies artificium; voluit etenim significare, prædictas excreriones non modò soluere capitis dolorem, qui vnicam tantùm occupet partem corporis, verùm etiam qui omnes; vel significare voluit, non modo quomodolibet dolenti, verùm etiã grauiter laboranti, quemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs. Est autem animaduertendum, quod si capitis dolor, vel labor proueniat ab atra bile, de qua in subsequenti aphorismo mentionem facit Hippocrates, talis dolor ex sententia Platonis in charmide consueuit non minùs, quàm animi morbi auferri incantationibus, quæ præclaris

Difficultati satisfit, atque simul Hip. artificiũ declaratur.

ris sermonibus continentur; quibus scilicet animæ temperantia restituitur; sunt autem huiusmodi incantationes, seu decantata carmina, exhortationes quædã, seu increpationes, quæ à timentibus Deum libentissimè percipiũtur, ei verò, qui corde est pessimo, difficilimè tolerantur, atque proinde sic habetur prouerbiorum 25. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo.* Mordent enim non secus, ac acetum in nitro.

Dolores, tam animi, quàm corporis quo modo incãtationibus auferantur.

APH. XI.

Atra bile vexatis, & renum passionibus, hæmorrhoides superuenientes, bonum.

HVic præsidio, quod melancholicis præbet Hippocrates, aliud addi potest, quod proponit Sapiens prouerb. 31. quando inquit. *Date siceram mœrentibus & vinum his, qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur ampliùs.* Aliud etiam maioris efficaciæ proponit Ecclesiasticus cap. 1., quando inquit. *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudine dierum.* Cæterùm esse morbum atrabiliarem pessimum, inter reliqua declarat dictio *vexatis*, qua vtitur Hipp., quod non siluit Sirachius c. 30. *Melior est mors, quã vita amara, & requies æterna, quã lãguor perseuerãs.* Atq; proinde illã esse euitãdã admonet paulò post. *Tristitiã nõ des animæ tuæ, & nõ affligas temet ipsũ in cõsilio tuo.*

Melancholicis accommodata præsidia.

Atrabiliaris morbi pessima natura.

Iucunditas cordis hęc est vita hominis, & thesaurus sine defectione sanitatis, & exultatio viri, & longæuitas. Est autem admirandum, quod quemadmodũ Hippocrates prædictæ ægritudini præsidium statuit non arte comparatum, sed ab ipsa natura emanans; non secus Sirachius vult illud esse sperandum à D.O.M., subdit enim. *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius, & tristitiam longè expelle à te; multos enim occidit tristitia, & vtilitas non est in illa.*

Hip. quomodo imitatus fuerit Sirachium.

Animaduertit etiam modum, quo ab illa possimus præcauere; quod enim dicitur, curas tolle graues, irasci crede profanum, exprimit, quando concludit. *Zelus, & iracundia minuit dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.*

Quomodo possimus ab atra bile pręseruari.

Quod tamen nuper dictum est, vinum aliquam vtilitatem præbere his, qui atra bile vexantur, est intelligendum de vino moderate bibito, quod animaduertit cap. 31., quando inquit. *Vinum in iucunditatem creatum est, non in ebrietatem ab initio; exultatio animæ & corporis vinum moderatè potatum.* Quinimo immodicè potatum posse prædictum morbum irritare, atque augere dixit paulò post hunc in modum. *Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit; amaritudo animæ vinum multũ potatum, ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.* Vino autem moderatè ebibito addenda est musica; subdit etenim cap. sequenti. *Gemmula carbunculi*

Quæ nã vini sit quãtitas vtilis atra bile venatis.

culi in ornamento auri & comparatio musicorum in conuiuio vini. Sicuti in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in iucundo & moderato vino. Hæc autem cum ad charitatem pertineant, è contra videtur charitati aduersari, quod dixit cap. 7. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ, est enim qui humiliat, & exaltat circumspector Deus.* Quamuis autem atræ bilis sit pessima quædam natura, quemadmodũ colligitur ex varijs Hippocratis locis, præcipuè aph. 21 22. 23., & 24. hanc tamen sortitur conditionem, vt aliquatenus demulceatur non tantùm à vino moderatè bibito, verùm etiam à musica, quemadmodum patet in locis proximè citatis, quibus habetur quod vinum, & musica lætificant cor.

Musica quomodo sit atræ bilis medela.

Verùm cum etiam citharæ pulsatione iuuentur illi, qui à Dæmone vexantur, quemadmodũ colligitur ex libro primo Regum cap. 16. vbi habetur. *Ecce spiritus Dei malus exagitat te, iubeat Dominus noster, vt serui tui, qui coram te sunt, quærant hominem scientem psallere cithara, vt cum arripuerit te spiritus Domini malus psallat manus tua, & leuius feras.* Videtur vel humoris atrabiliaris, atque Dæmonis in diuexandis humanis corporibus eadem esse natura, quod præcipuè etiam videtur suadere, quòd Hippocrates eadẽ ferè vtatur dictione, quam adhibuerat diuinus codex; hic etenim vtitur verbo *exagitat*, Hippocrates verò vtitur dictione *vexatis*; vel saltem Dæmonem in

Quomodo dæmones vtuntur humore atrabiliari ad vexanda corpora.

agitandis corporibus vti prædicto humore atrabiliari, tanquam instrumento, quod est magis consentaneum rationi, experientiæ, atque magni Hippocratis auctoritati. Rationi, quoniam facta citharæ pulsatione tam in melancholia, quàm in ijs, qui à Dæmone vexantur, subsequitur conferentia, atque tolerantia, quam statim in secundo aphorismo primæ sectionis insinuauit dictator, quãuis etenim in sacra pagina nulla fiat expressa mentio de conferentia, illa tamen sub illis verbis, *& leuius feras*, compræhenditur. Experientiæ, quoniam semper illi, qui sunt à Dæmone oppressi, sũt melancholici. Hippocratis auctoritati, quoniam doctissimorum virorum testimonio id significauit Senex primo prognosticorum, quando inquit. *Quum etiam si diuinum quidpiam morbis inest, huius quoque prouidentiam perdiscere*, vbi per *diuinum quidpiam* intelligere possumus, quod dicitur *spiritus Dei malus, & spiritus Domini malus*; atque proinde hinc, vt arbitror, suam sententiam deprompsit Hippocrates, atq; alij plures, qui post ipsum cõscripsere, quos inominatos citat Auic. Fen prima, tractatu 4. cap. 18., quamuis autem prædictam sententiam in dubium reuocet, illam tamen non negat, sed indicisam relinquit.

Hippoc. phrasis illi, quę habetur in sacra paginanõ absimilis

APH. XII.

A diuturnis sanato hæmorrhoidibus si vna non seruatur, periculum est, aquam inter cutem, vel tabem aduenire.

NOn modò hæmorrhoidalis sanguinis suppressio, verùm etiam cuiuslibet excrementi retentio admodũ periculosa est, quemadmodum in alijs etiã aphorismis animaduertit Hippocrates; quapropter nihil est retinendum eorum, quæ debent excerni. Illi proportione respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 4. *Fili conserua tempus, & deuita à malo: pro anima tua ne confundaris dicere verum; est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam.* Est autem animaduertendũ, Hipp. non sine maximo artificio adhibuisse dictiones, *periculum est*, vt scilicet indicaret non esse perpetuum, vt ex suppressis hæmorrhoidibus adueniat tabes, aut hydrops; voluit tamen indicare, quod imminet periculum, ad hoc, vt ab illo præcaueamus; licèt etenim non statim subsequantur morbi, subsequuntur tamen, cum nos magis tutos existimamus. Huic etenim est analogum, quod habetur capite subsequenti. *Noli attendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris, est mihi suf-*

Caussæ morbosæ si nõ excernãtur tã ab animo, quã à corpore, quæ mala cõtingunt.

ficiens vita; nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis. Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentiã cordis tui, & ne dixeris, quomodo potui, aut quis me subÿciet propter facta mea: Deus autem vindicans vindicabit, Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste; Altissimus enim est patiens, & redditor.

APH. XIII.

A singultu habito sternutatio superueniens liberat.

Cur à singultu habito, sternutatio superueniens liberet.

RAtio est manifesta, quoniam seu flatus, seu humor sit causa singultum efficiens, si illi sternutatio superueniat, materia vel deorsum pellitur, vel sursum, vnde morbi liberatio. Non secus deberent parentes, quando filios aliquo graui animi morbo laborare dignoscunt, facta aliqua graui corporis concussione, materiam morbificã aliò auocare, ad quam rem extant in Ecclesiastico non parui momenti sententiæ, quas superiùs proposuimus.

APH. XIV.

Ab aqua inter cutem habito, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus.

Cur ab aqua intercutem habito si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluatur morbus.

RAtio est euidentissima, quoniã hydrops est humor aquosus multus in venis collectus, qui proinde si in ventrem defluxerit, soluitur morbus. Non secus si causa morbum animi efficiens sponte secedat, longè melior succedit curatio, quàm si excutiatur per parentes, aut magistratus; de qua re in sacris aliquam sententiam accommodatam reperies.

APH. XV.

A longo alui profluuio habito, spontaneus vomitus superueniens morbum soluit.

Cur à lõgo alui profluuio habito spõtaneus vomitus superueniẽs morbum soluat.

HVius etiam aphorismi ratio est euidens, quoniam cum vomitus non fiat per irritamentum, vt in cholera, sed fit spontaneus à natura, causam morbosam per superiorem regionem expellente, soluitur morbus. Non secus contingit illis, qui longa aliqua animi ægritudine vexati, nulla hortatione, vel persuasione potuerunt liberari, & tandem Dei auxilio sponte pertinaciam exuerunt, atque à graui affectione liberati sunt.

APH. XVI.

A morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluuium aduenìens, malum.

Cur à morbo laterali, vel

DIctio *habito*, qua in aphorismo vtitur Hippocrates, idem est, ac si dixerit, *diu* vexato, quemadmodum declaratum

pulmonia habito, alui profluuiū adueniēs sit malū.

claratum est in commentario, atque proinde si his adueniat alui profluuium, eo euadit perniciosius, quo morbus est magis inueteratus; contra euenit, si non sit inueteratus. Huic est analogum, quod habetur prouerbiorum cap. 24. *Ne insidieris, & quaras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius; septies enim in die cadet iustus, & resurget, impij autem corruent in malum*. Est autem animaduertendum, ex prædicto aphorismo admoneri medicos, ne naturam malè operantem immitentur, quemadmodum etenim à morbo laterali, vel pulmonia habito, alui profluuium adueniens malum est; non secus eueniet, si medicus in prædictis affectibus arte excitet alui profluuium, cui sunt analogæ sententiæ, de quibus in subsequenti aphorismo.



APHORISMVS XVII.

Lippientem alui profluuio corripi bonum.



Alui profluuio, quod Lippienti superuenit quomodo assimiletur eleemosina à prudenti viro largita.

QVemadmodum bonum est, Lippienrem alui profluuio corripi, non secus malum est in morbo laterali, vt in antecedenti animaduertit Hippocrates, ex quibus colligitur semper medicum debere diligenter inspicere cui ægrotanti exhibet auxilium; si etenim bene operetur, sequetur conferentia, atque tollerantia; si verò malè, contrarium eueniet. His connexis aphorismis videtur analogas, & simul etiam connexas sententias tra-

didisse Ecclesiasticus cap. 12. *Si benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, & si non erit ab ipso, certè à Domino. Non est enim ei bene, qui assiduus est in malis, & eleemosynam non danti: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus. Da misericordi, & ne suscipias peccatorem, & impijs & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in die vindictæ. Da bono, & non receperis peccatorem: benefac humili, & non dederis impio. Prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit. Nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis, quacunque feceris illi, quoniam & Altissimus odio habet peccatores; & impijs reddet vindictam. Non agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus. In bonis viri inimici illius, in tristitia, & malitia illius amicus agnitus est.*

APH. XVIII.

Vesica discissa, aut cerebro, aut corde, aut septo transuerso, aut aliquo ex tenuioribus intestinis, aut ventriculo, aut iecore, lethale est.

Cordis discissioni comparatur affe-

QVemadmodum discisso corde est lethale, non secus inquit Concionator cap. 2. *Væ duplici corde, & labijs scelestis, & manibus malefacientibus.*

bus. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo. Quoniam verò in sacra pagina cordis nomen etiam ad cerebrum, atque mentem significandam transfertur, id propterea huic etiam aphorismo poterit esse analoga sententia prouerbiorum c. 10. *Cor impiorum pro nihilo.* Et cap. 11. *Abominabile Domino cor prauum.* Est autem animaduertendum hoc aphorismo quodam modo deplorasse Hippocratem humanam miseriam, quam euidentiùs deplorauit sapientissimus Iob cap. 14. quando inquit. *Lignum habet spem, si præcisum fuerit rursus virescit, & rami eius pullulant, si senuerit in terra radix eius, & in puluere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquę germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatum est; homo verò cum mortuus fuerit, nudatus, atque consumptus vbi quęso est?*

ctus illorum, qui sunt duplici corde.

Humanã miseriam post Iob deplorauit Hipp.

APH. XIX.

Quum discissum fuerit os, aut cartilago, vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur, neque coalescit.

IN hoc aphorismo, qui rationem quandam reddit illius, quod in antecedenti dictum est, admonet Hippocrates quantum sit momenti partium spermaticarum vulnus, seu alia quælibet insi-

Amici quomodo partibus spermaticis humani

corporis sint analogi. insignis læsio, quæ vel casu aliquo contingerit, vel ob errorem imperiti chirurgi; ad hoc vt ab illa possimus præcauere; hoc ipsum de fratribus, atque amicis est intelligendum; namque quod ad amicum attinet, de illo sic pronunciauit Ecclesiasticus cap. 6. *Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget. Amicus fidelis protectio fortis, qui autem inuenit illum, inuenit thesaurum, amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis.* Capite autem subsequenti etiam fratrem fuit complexus, quando inquit. *Noli præuaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem tuum charissimum auro spreueris.* Complectitur etiam mulierem bonam. *Noli discedere à muliere sensata, & bona, quam sortitus es in timore Domini, gratia enim verecundiæ illius super aurum.* Complectitur etiam seruum bonum. *Non lędas seruum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animã suam. Seruus sensatus sit tibi dilectus, quasi anima tua, non defraudes illum libertate, neque inopem relinquas illum.*

Illis etiã comparãtur bonæ mulieris, & serui boni.

APH. XX.

Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

Potuisset doctissimus Herueius ex præsenti aphorismo validissimum argumentum desumere ad sanguinis circulationem comprobandam. Causa etenim, propter quam si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari, hoc est, putredinem concipere, est quoniam motu destituitur, atque proinde quiescens non ventillatur, vnde ammittens suum naturalem calorem grumescit, & putredinem acquirit. Iam verò inter omnes motus, circularis est præstantissimus, quoniam hic solus tandiu perdurat, quandiu homo in vita permanet, & è contra. Quomodo autem hæc fiat circulatio, apud ipsum poterit quilibet reperire; quod si euidentiorem doctrinam exposcis, vide quod de sanguinis circulatione in quauis corporis particula prosequutus est Nathanael Higmorus. Quemadmodũ verò in microcosmo magna sanguinis copia in hepate, atq; corde continetur, atq; inde percurrit totum corpus, nempe per canales angustos, quos venas appellamus; nõ secus in profunda terræ parte maximę quędã sũt cauitates aqua plenę, ex quib⁹ per quosdã cuniculos (quos etiã venas possumus appellare) decurrit per vniuersã terrã, vsq; ad eius extremitatẽ,

Cur sanguis si præter naturam in ventrem effundatur, necesse sit vt suppuretur.

Sãguinis circulatio quomodo ex aph. eruatur.

atque vbi euenit venam aliquam ruptã esse, aut hiare, exoritur fons maior, aut minor, prout ipsa vena, aut hiatus fuerit maior, vel minor. Consimilem in macrocosmo circulationem non ignorauit D. Plato, qui in Phœdone de magno illo barathro verba faciens dixit. *In hoc vtiq; receptaculum omnia confluunt flumina atque inde rursus effluunt*, id quod didicit ex Sapiente in Ecclesiaste cap. 1. quando inquit. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundant: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur vt iterum fluant*. Quamuis etenim prædictæ Platonis sententiæ refragetur eius discipulus libro secundo meteororum cap. 2., non tamen defuerunt viri doctissimi, atque ipsi etiam Aristoteli addictissimi, qui maluerunt Platoni assentiri. Interim satis sit dixisse, quod animaduertit iucundissimus Philon hac terræ, marisque dispositione Dei sapientiam librasse fontes aquarum, hoc est, ita aquas disposuisse, alias partes eleuãs, ac suspendens; alias deprimens, vt cessaret fontium, fluminumque decursus, quibus veluti vberibus terra omniũ mater animantia omnia portaret, & satis omnibus, ac sponte nascentibus alimenta præberet. Quod si adhuc superiorem causam expostis, illam suscipe ex Aristotele secundo de generatione, & corruptione capitibus postremis, vbi dixit circularem esse rerum omnium mutationem, atque hanc solam circularem mutationem esse posse perpetuam; id quod

Circulationem aquarum in Macrocosmo quomodo indicauerit Plato, & vnde illã didicerit.

Aris. motus circularis caussam didicit ex sapiente.

quod antea edocuerat Sapiens in Ecclesiaste cap. 1. quando inquit. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autẽ semper stat, oritur sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.*

APH XXI.

Insanientibus si varices, vel hæmorrhoides superuenerint, insaniæ solutio.

IN præsenti aphorismo recenset Hip. insigne ad insaniam, seu dementiã præsidium, eius causam alibi tradidit. Nos vnam depromemus in Ecclesiastico longa experientia à nobis confirmatam; est verò, quotiescunque aliqui nimium curiosi illa volunt indagare, quæ sunt supra humanum captum, à quo morbo præcauebir, quicunque seruauerit consilium traditum cap. 3. *Quanto maior es, humilia te in omnibus & coram Deo inuenies gratiam; quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus; non est enim necessarium ea, quę abscondita sunt, videre oculis tuis? in superuacuis rebus noli scrutari multipliciter; plurima* enim

Ad insaniam insigne proponitur præsidiũ corporeũ & incorporeum.

enim super sensum hominum ostensa sunt tibi: multos enim supplantabit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.

APH. XXII.

Quaecunque rupta ex dorso ad cubitum descendunt, venae sectio solvit.

Cur venę sectio soluat ruptiones ex dorso ad cubitum

RVptiones, quæ ex dorso ad cubitum descendunt, sunt magnæ, adeo vt inflammationem minentur; quapropter ad illam prohibendam opus est ad venæ sectionem deuenire, cui proportione respondet, quod habetur Tobiæ cap. 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Et apud Danielem cap. 4. *Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, id enim sanitas erit pro errore tuó.*

Elee mosyna proportione respondet venæ sectioni.

APH. XXIII.

Si timor, atque mœstitia longo tempore habentes perseuerent, ex eo atra bilis significatur.

Quæ mœstitia atrã bilem significet.

QVemadmodum atram bilem significat mœstitia nõ prauo, sed longo tẽpore perseuerãs; nõ secus non exiguũ quodlibet inducit mœstitiã, sed magnũ aliquod, quod scilicet non facilè possis emen-

emẽdare, quemadmodum habetur prouerbiorum cap. 10. *Filius sapiens lætificat patrem; filius verò stultus mœstitia est matris suæ.* Quemadmodum rursus ex eodem aphorismo colligitur, quod quãdo timet æger, oportet & medicum timere, vt in nostris animaduertimus cõmentarijs; non secus admonet Sapiens, ibidem *Quod timet impius, veniet super eum; desiderium suum iustis dabitur.* Mœstitiæ autem, & lætitiæ signum præcipuè apparere in facie demonstrauit cap. 11., quando inquit. *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deijcitur spiritus. Omnes dies miseri hominis mali, secura mens quasi iuge conuiuium.* Et 17. *Animus gaudens ætatem floridam facit, spiritus tristis exiccat ossa.* Et 25. *Sicut tinea vestimento, & vermis ligno; ita tristitia viri nocet cordi.* Cæterùm quemadmodum melancholici timent non timenda; hilares autem timent illa tantùm, quæ sunt timenda; nõ secus inquit cap. 28. *Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absq; terrore erit.* Et cap. 29. *Qui timet hominem, cito corruet; qui sperat in Domino, subleuabitur.* Iure autem merito illius incipiẽtis signa tradit Hip. vt scil. illã faciliùs repellere possimus, quod idẽ præstiterat Ecclesiasticus c. 38. *A tristitia festinat mors, & cooperit virtutẽ, & tristitia cordis flectit ceruicẽ.* Eius autẽ pręcipua causa adducit paupertatẽ; inquit etenim. *In abductione permanet tristitia, & substãtia inopis secũdũ cor ei⁹.*

Timor, qui pendet tam ex morbo corporis, quam animi; cur semper mal⁹

Signa imminentis tristitiæ quæ.

Quo-

Quoniam verò multoties consueuit prouenire ob inopinatum propinquorum interitum; hanc causam, atque illius repellendæ modum tradit, quando inquit. *Non dederis in tristitia cor tuum, sed repelle eam à te, & memento nouissimorum, & noli obliuisci, neque enim est reditus, & huic nihil proderis, & te pessimabis. Memor esto iudicij mei, sic enim erit & tuũ; mihi heri & tibi hodie: in requie mortui requiescere fac memoriam eius, & consolare illum in exitu spiritus sui.* Inter reliqua verò, quæ melancholiam inducunt, est potentissimum mortis metus, iuxta id quod habetur in Ecclesiastico cap. 41. *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis, viro quieto, & cuius viæ directæ sũt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum. Noli metuere iudicium mortis, memento quæ ante te fuerunt, & quæ superuentura sunt tibi, hoc iudicium à Domino omni carni, & quæ superuenient tibi in beneplacito Altissimi, siue decem, siue centum, siue mille anni.* Verùm obijcies Hippocratem fuisse diminutum; siquidem prætermisit signum, per quod possimus sanguinem floridum ab atra bile omnino alienum, indagare, est vero facies hilaris, de qua mentionem fecit Sap. in prouerb. cap. 15. *Cor gaudens exhilarat faciem, in mœrore animi deijcitur spiritus.* Neque verò huic difficultati satisfacies, si dicas Hippocratem in aphorismis fuisse breuissimum, quoniam scilicet hanc breuiloquentiam didicit à

Eius repellendi mod⁹ qui.

Quæ potissimum melãcholiam inducant.

Obiectioni satisfit

Sapiente

Sapiente, atque Siracide, qui illi fuerunt non minus breues. Respondemus signũ humoris optimi prætermissum fuisse, quoniam id tantùm considerauit, quod indiget curatione. Est autem summopere animaduertendum nihil magis commendari in vniuersa sacra pagina, quàm timorem Domini, qui timor tantum abest, vt obsit corpori, vt potiùs illi salutem præbeat, reliqui autem timores, qui sunt à Dei timore alieni, sunt morbosi, quod significauit prouerb. 20. *Qui timet hominem, cito corruet; qui sperat in Domino, subleuabitur.* Sic etiam Ecclesiasticus cap. 40. damnauit omnem timorem tanquam noxium, præterquam timorem Domini. Et cap. sequenti loco citato. Esse autem diuturnum timorem malum, non modò tanquam signum sed tanquam causam habetur in Esaia c. vltimo. *Vnde ego eligam illusiones eorum, & quæ timebant, adducam eis.* Obijcies Hipp. (à quo reliqui didicerunt medici) perperã timorem, atq; mœstitiam redigisse ad sex res non naturales, quæ scil. possunt nocere, non tamen semper nocent, cùm potiùs ad illa redigi debeant, quæ sunt præter naturam. Verùm si accuratè perpenderis, quæ in præcitato habentur aph., reperies timorẽ, atq; mœstitiã posse etiam esse res præter naturam, non quascunq; sed *quæ longo tempore habentes perseuerent*; rationẽ reddit Hip., quãdo subdit, *ex eo atra bilis significatur.* Est autem atra bilis res præter naturã, quoniam vel est morbus, vel maxima eius causa.

Timorũ, qui boni, qui mali.

Alteri difficultati satisfit.

Quomodo timor, atq. mœstitia sit res præter naturam.

APH.

APH. XXIV.

Si quod intestinorum gracilium discindatur, non coalescit.

HIc aphorismus sub 18. & 19. iam satis est explicatus.

APH. XXV.

Erysipelas ab exterioribus verti ad interiora, non est bonum; ab interioribus autem ad exteriora, bonum.

PRæsens aphorismus, quemadmodū & reliqui, non fuit sine ratione pronunciatus, siquidem causam morbificā intus delitescere est malum, ad exteriora verò prodire est bonum. Prædictæ materiæ noxiæ ad exteriora transmissioni proportione respondet peccatorū expiatio, de qua in Ecclesiastico cap. 17. *Conuertere ad Dominum, & relinque peccata tua, precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua, & nimis odito execrationem, & cognosce iustitias, & iudicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis Altissimi Dei. In partes vade seculi sancti cum viuis, & dantibus confessionem Deo. Non demoreris in errore impiorum ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio. Confiteberis viuens, viuus &*

Materiā morbosā tā in corpore, quā in animo contentā quomodo extra prodire bonū sit.

& sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus eius. Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se.

APH. XXVI.

Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.

QVemadmodum in nostris diximus commentarijs. Qui in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur; quoniam materia praua, quæ priùs neruosum genus vellicando tremores excitabat, inde abscendens, atque ad cerebrum translata excitat deliriū, quod si fortasse non fuerit permanens, soluitur totus morbus; sin minus, fit malum magis horrendum, quàm prius. Consimiles tremores contingunt illis, qui aduocantur à potentioribus, qui tandem degenerant in malum deterius, vel mitius, prout ille, qui aduocatur, magis vel minus prudēter se gesserit, quemadmodum animaduertit Ecclesiasticus cap. 13. *Aduocatus à potentiore discede, ex hoc enim te magis aduocabit)* En tremorem, qui fit à facultate eleuante, atque pondus deprimente) *Ne improbus sis, ne impinguaris, & ne longè sis ab eo, ne eas in obliuionem, ne retineas ex eo loqui cum illo, nec credas multis verbis illius, ex multa enim loquela tentabit te* (En delirium insipiens) *& subsidēs interrogabit te de abscōditis tuis;* immi-

Cur qui in febribus ardētibus tremores fiunt, delirio soluantur.

Præsenti aph. quæ sentētia sit analoga.

immitis animus illius conseruabit verba tua, & non parcet de malitia, & de vinculis; caue tibi & attende diligenter auditui tuo, quoniam cum subuersione tua ambulans; audiens verò verba illa, quasi in somnis vide, & vigilabis; omni vita tua dilige Deum, & inuoca illum in salute tua. Et prudentiam, quam exoptat hic Sapiens vir, ne delirium fiat perniciosum, quod continget si cito remoueatur. Quod si velis exemplum permanentis delirij post tremorem, illud accipe ex cap. 16., quando inquit. *Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abyssus, & vniuersa terra, & quę in eis sunt, in conspectu illius commouebuntur, & montes simul, & colles, & fundamenta terrę; & cũ conspexerit illa Deus, tremore concutientur, & in omnibus his insensatum est cor, & omne cor intelligitur ab illo, & vias illius quis intelligit? Eo procellam quam nec oculus vidit hominis? Nam plurima illius opera sunt in abscontis, sed opera iustitia eius quis enunciabit, aut quis sustinebit? longè enim est testamentum à quibusdam, & interrogatio hominum à consummatione est; qui minoratur corde cogitat inania, & vir imprudens, & errãs cogitat stulta.* Est autem animaduertẽdum, indicasse Hippocratem causam, & modum, quo febris ardens generatur; sic etenim habet in libris de ratione victus in acutis. *Febris autem ardens fit, cum resiccatę venulę tẽpore ęstiuo acres, & biliosos ichores in se ipsas trahunt*, ad cuius præseruationem tradit Gal. gelidæ potum

Febris ardẽs quomodo generetur,

potum libello de cibis boni, & mali succi, quando inquit, in æstate non quibusuis, sed ijs tantùm, qui exercentur, illam dare oportet, ne scilicet forti æstu, & exercitatione inflammati in causones incidant. Quibus consonat, quod habetur prouerbiorum cap. 25. *Sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum, animam ipsius requiescere facit*, & paulò infrà. *Aqua frigida animę sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua.*

Quibus præsidijs possimus ab illa pręseruari.

APH. XXVII.

Quicunque suppurati, aut aquam inter cutem patientes vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua vniuersim effluxerit, omnes moriuntur.

Admonet in præsenti aphorismo dictator, ne (vt consueuerunt imprudentes medici) in vrendis, aut dissecandis empyematicis, aut hydropicis, vniuersum pus, aut vniuersam aquam educamus; quoniam certissimum inde profluit exitium. Cui sententiæ ex altera parte respondet, quod habetur prouerb. cap. 29. *Totum spiritum suum profert stultus, sapiens differt, & reseruat in posterum.*

Nimia excretio etiã praui humoris, cur lethalis.

APH.

APH. XXVIII.

Eunuchi neque podagra laborant, neque calui fiunt.

QVemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs, hic aphorismus, atque trigesimus ad hunc præcipuè finem fuerunt cõscripti, vt omnibus manifestæ fiant noxæ, quæ immodicam, atque intepestiuam venerem consequuntur; est autem illa, quæ maximè cum meretrice exercetur, in cuius ore est dulcedo non ad sufficientiã solummodo, verùm etiam ad superfluitatem; quam propterea ad mores sic transtulit Sapiens prouerbiorum 5. quãdo inquit. *Ne intenderis fallaciæ mulieris, fauus enim destillans labia meretricis & nitidus oleo guttur eius: nouissima autem illius amara, quasi absinthium, & lingua eius acuta, quasi gladius biceps; pedes eius descendunt in mortem, & ad inferos gressus eius penetrant, per semitam vitæ non ambulant, vagi sunt gressus eius, & inuestigabiles. Nunc ergo fili mi audi me, & ne recedas à verbis oris mei; longè fac ab ea viã tuam, & ne appropinques foribus domus eius.* Cæterùm moderatum eius vsum, qui præcipuè habetur cum propria vxore, commendauit paulò post, dicens. *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentiæ tuæ. Cerua charissima*

Quæ noxæ proueniant ex immodica, & intẽpestiua venere, præcipuè cũ meretrice

Moderatus veneris vsus quomodo vtilis.

rissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te in omni tempore, & in amore eius delectare iugiter; quare seduceris fili mi ab aliena, & foueris in sinu alterius? respicit Dominus vias hominis, & omnes gressus eius considerat. Rursus c. 6 reuertitur ad mulierem prauam, dicens. *Mãdatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinę, vt custodiant te à muliere mala, & à blanda lingua extranea, non concupiscat pulchritudinem eius cor tuum, ne capiaris nutibus illius: precium enim scorti vix est vnus panis; mulier autem preciosam viri animam capit* Et c. 7. *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorũ protraxit illum statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciuiens & ignorãs quod ad vincula stultus trahatur, donec trasfigat sagitta iecur eius; veluti si auis festinet ad laqueũ, & nescit quod de periculo animæ illius agitur.* Et c. 30. *Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit sufficit Infernus, & os vuluę, & terra, quę nõ satiatur aqua, ignis verò nunquã dicit sufficit.* Cęterùm post hunc aphor., in quo de eunuchis, loquitur subsequẽti de mulieribus, atq; 30. de pueris, vt arbitror, nõ sine maximo artificio; quoniam dignouit eunuchos habere mores effœminatos, atq; pueriles de quibus intellexit Sapiens prou. 18., quando inquit. *Pigrum deijcit timor, animę autem effœminatorũ esurient. Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.*

Immoderata quomodo deuitanda.

Eunuchorum mores effœminati.

Qui eunuchi nõ sint concupiscentia destituti.

Est autem animaduertendum, quod quamuis eunuchi nullam efficiant seminis eiaculationem; illos tamen non esse concupiscentia destitutos: siquidem de illis sic pronunciauit Concionator c.20. *Cõcupiscentia spadonis deuirginauit iuuẽculam; sic qui facit per vim iudicium iniquum*, quam sententiã de illis eunuchis intelligendam arbitror, cui testes quidẽ auulsi fuere, non tamen ipsi cremasteres: aut de illo, cui cum sit natura frigidior, veneris vsus fuerit denegatus. Sic etenim habetur c.30. *Quid proderit libatio Idolo? nec enim manducabit, nec odorabitur: sic qui effugatur à Domino, & portans mercedes iniquitatis, videns oculis, & ingemiscens sicut spado complectens virginem, & suspirans.*

ÆPH. XXIX.

Mulier podagra non laborat, nisi menstrua defecerint.

Cur mulieres podagra nõ laborent nisi menstruá defecerint.

OPtimè animaduertit Gal. id verum fuisse Hip. æuo, quo mulieres erãt sedulę, & sollicirę, & sobriã magis degebãt vitã; secus euenisse suis tẽporibus, quibus muliebri dissoluebãtur mollicie. Huc spectat, quod habetur prou.12. *Mulier diligẽs corona est viro suo; & putredo in ossibus eius, quę cõfusione res dignas gerit.* Et c.18. *Qui inuenit mulierẽ bonã, inuenit bonũ, & hauriet iucunditatẽ à Domino. Qui expellit mulierẽ bonã, expellit bonũ, qui autẽ tenet adulterã stultus est & insipiẽs.* Et c.21. *Melius est habitare in terra deserta, quã cũ muliere rixosa, & iracunda.*

APH.

APH. XXX.

Puer podagra non laborat ante vsum venereorum.

Cur puer podagra non laboret ante vsum venereorũ.

HVnc aphorismum eo præcipuè scopo confecisse Hippocratem, vt indicaret venerem inter reliqua vires eneruare, in nostris demonstrauimus commentarijs. Id, vt arbitror, significare voluit Sapiens prouerb.20. *Exultatio iuuenum fortitudo eorum, & dignitas senum canities.* Id tamen magis euidenter exprimit cap.31., quando inquit. *Ne dederis mulieribus substantiam tuam.* Non tamen ideo damnauit connubium, siquidem habet Ecclesiastes cap.4. *Melius est duos esse simul, quàm vnum; habent enim emolumentum societatis suę; si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Va soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se, & si dormierint duo, fouebuntur mutuò, vnus quomodo calefiet; & si quispiam praualuerit contra vnum, duo resistunt ei.* Quoniam tamen aliquando iuuenibus contingit, vt ante connubium cum impuris mulieribus, non modò eneruent vires, verùm etiam in sæuissimam incidant luem veneream; idcirco his optimè consultum arbitror, vt in aliquibus laboriosis operationibus se se exerceant, iuxta monitum Ecclesiastici c.11. *Malitia horę obliuiorem facit luxurię magnę, & in fine hominis denudatio operum illius.*

Apparẽs contradictio soluitur.

Quomodo præseruari possint iuuenes à podagra.

T 2 APH.

APH. XXXI.

Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ sectio, aut medicamentum epotum soluit.

QVas noxas pariat vinum immodicè potatum cum Sirachio, atque Hippocrate in quinta sectione demonstrauimus. Multam verò vtilitatem afferre modicè potatum hic animaduertit dictator, quod priùs animaduerterat idem in Ecclesiastico cap. 31., quando inquit. *Aequa vita hominibus in sobrietate, si bibas illud moderatè erit sobrius. Sanitas est corpori, & animæ sobrius potus.* Cæterùm huic aphorismo videtur aduersari, quod habetur cap. 42. Ecclesiastici per hæc verba. *Et sic intuere in omnia opera Altissimi, duo contra vnum, & vnum contra vnum.* Aduersatur inquam, quoniam in philosophorum schola receptissimum est, vnum vni esse contrarium, quod idem sancitum est in Hippocratis doctrina; siquidem tum alibi, tum præcipuè aphorismo 22. secundæ sectionis, sic habetur. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, & quicunque ex euacuatione, repletio, & aliorum contrarietas.* Vel ad summum duo vni esse contraria, quemadmodum in morali disciplina, vni virtuti duo vitia sunt contraria, nimirũ liberalitati auaritia, & prodigalitas, atque

Vini sobrie potati vtilitates.

Apparẽs contradictio soluitur.

que sic de singulis. Verùm si accuratè rem perpendas, reperies nullam esse contradictionem; siquidem, quemadmodum in nostris animaduertimus cõmentarijs, hæc omnia, quæ habentur præsidia in aphorismo ad oculorum dolores, sub vnico genere compræhendũtur, nimirum ad euacuationem rediguntut, quæ per omnia dicta præsidia potest administrari. Quinimo si rectè perpendamus, quæ habentur in præcitata Ecclesiastici sententia, vnum tantùm vni est contrarium, namq; etiamsi vni virtuti duo videantur aduersari, nimirum excessus, atque defectus; duo tamen illa ad vnum tantùm vitium rediguntur.

Quomodo vni nõ solũ vnũ sit cõtrarium, sed etiã duo.

APH. XXXII.

Balbi alui profluuio maximè capiuntur.

BAlbi longis alui fluxionibus maximè capiuntur, quoniam linguæ impotentia istas duas causas potissimùm habet, vel nimiam humiditatem, vt in pueris; vel linguæ siccitatem, & mentis celeritatem, vnde Hippocrates secundo de morbis vulgaribus appellauit balbos iracundos, irascentes etenim balbutire conspicimus. Cum igitur, qui ex humido balbutiunt, retentricem ventriculi habeant admodum debilem, nil mirum, si quemadmodum pituita ex cerebro descendit ad ventriculum, inde etiam il-

Cur balbi alui profluuio maximè capiantur.

labatur ad intestina, vnde alui profluuium; hoc tamen alui profluuium, dummodo non sit immodicum: est bonum, quoniam ab alijs morbis deterioribus præseruat. Non secus ira quamuis sua natura sit mala, cōsueuit tamen aliquãdo esse bona, atque ab imminenti aliqua clade præseruare; sic habemus in Exodo cap. 32. Moysen ira fuisse permotũ, quoniam sciebat Dei sermonem non posse audire temulentos, sic etenim habetur. *Cumque appropinquasset ad castra vidit vitulum, & choros, iratusque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis, arripiensq; vitulum, quem fecerant, cōbussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel.*

Alui pro fluuium quomodo sit bonum.

APH. XXXIII.

Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur.

CAusa est manifesta, quoniam qui acidum eructant, sunt frigido temperamento præditi, & consequenter non sunt apti ad sanguinem biliosum producendum, qui præcipuè morbum lateralem progignere consueuit, cum hic sit inflammatio occupans membranã costas succingentem, quæ *pleura* nuncupatur. Non secus qui aliqua animi ægritudine frigida, vt ita dixerim (puta auaritia) detinentur, non multùm calida (puta

Cur qui acidum eructant nō valde morbo, laterali corripiãtur.

(puta luxuria) corripiuntur, de qua re aliquod insigne reperies in sacris voluminibus.

APH. XXXIV.

Quicunque calui sunt, his magnæ varices non fiunt. Quibus verò caluis varices magnæ superueniunt, hi rursus capillati sunt.

QVamuis caluitium, quod ex causa proficiscitur non naturali, consueuerit etiam ex coitu prouenire, quod impulit Hipp. ad dicendum aph. 28. huius sectionis, quod eunuchi non calui fiunt; oritur tamen vt plurimum ex praua materia ad caput delata, quemadmodum contingit in lue venerea, atque alijs prauis morbis; atque proinde cum materia caluitiei, atque varicũ, sit vna, & eadem, si materia deferatur ad caput, efficiet caluitium; si verò ad crura, efficit varices; vnde iure merito prouenit sententia, quæ in præsenti habetur aphorismo. Cui est analoga, quæ habetur in Leuitico cap. 13. per hæc verba. *Vir de cuius capite capilli fluunt, & caluus, & mundus est, & si à fronte ceciderint pili, recaluaster, & mundus est; sin autem in recaluitio, siue in recaluatione albus, vel rufus color fuerit exortus, & hoc sacerdos viderit, haud dubiè cum lepra contaminabit, quę orta est in caluitio.* Per quæ verba significatur, quod illi, cui à capite decidunt pili, nullo alio accedente

Caluitiũ ex quib⁹ caussis prouenīat.

Cur illis qui calui sunt magnæ varices nō fiant.

Aphorismus per locũ Leuitici illustratur

dente vitio, talis homo caluus est, & cõsequenter non est immundus; si verò in caluitio albus, vel rufus color sit exortus, esse lepræ signum, quæ orta sit in caluitio; quod non ignorauit Gal., qui primo de compositione secundum locos cap. primo, in quo de alopecia, caluitio, & ophiasi verba facit, sic habet. *Quales autem sint corrupti humores, ex colore cutis capitis cognosces; aliquibus mutata albidior apparet, aliquibus nigrior, aut pallidior.* Potest autem præ-

Humores corruptiquo modo ex capitis colorib⁹ dignosci possint.

dicta Leuitici sententia ad mores transferri, hoc est, parum admodum refferre vestimenta esse sordida, dummodo adsit puritas conscientiæ, id quod ex aliquibus Sapientis prouerbijs superiùs demonstrauimus. Est autem animaduertendum homini contingere per superuenientem morbum, vt ex caluo rursus fiat capillatus, quod aliquibus animantibus contingit citra morbum; aues etenim vere plumas commutant, atque præcipuè cum accipitres singulis annis deplumescant, illi quodam naturę instinctu eo ipso tempore expãdunt alas suas ad austrum, quoniam is ventus laxat corpora, quemadmodum colligitur ex aphorismo quinto tertiæ sectionis; laxata igitur cute, amplioribus factis poris, faciliùs excidunt plumæ, quod habetur cap. 38. Iob. *Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?*

Quomodo, qui sunt calui rursus fiant capillati.

APH.

APH. XXXV.

Aqua inter cutem laborantibus tussis superueniens malum.

AQua inter cutem laborantibus tussis superuenire consueuit, inter reliquas causas, quoniam hepate aqua repleto, vel abrupta tunica irruit aqua ad organa respirationis inseruientia, vel saltem transudat humor serosus, atque ad pulmones deducitur. Huic est analogum, quod habetur in Ecclesiastico cap. 21. *Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.*

Cur aqua inter cutem laboranti tussis superueniens sit malũ.

APH. XXXVI.

Difficultatem vrinæ vena secta iuuat, secare verò interiores.

VRinę difficultas non modò deterret ægrotantes, verùm etiã aliquos medicos, illos scilicet, qui sunt pusillanimes in secanda vena, cum tamen prædictæ ægritudini maximum afferat auxilium. Cui proportione respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 7. *Noli esse pusillanimis in animo tuo. Exorare, & facere eleemosynam ne despicias.* Orationi etenim cum eleemosyna associatæ ex altera parte respondet venæ interioris sectio.

Eleemosyna quomodo proportione respondeat venæ sectio.

APH. XXXVII.

Ab angina habito, si tumor fiat in collo, bonum; foras enim morbus deducitur.

Morbum tum corporis tũ animi extra prodire bonum.

TRansmissio materiæ noxiæ, quæ fit à partibus internis ad externas, laudatur ab Hippocrate in præsenti aphorismo, atque etiam in Ecclesiastico cap. 17., quemadmodum satis, superque in explicatione aphorismi 25. huius sectionis dictum est. Non est tamen prætermittenda sententia huic analoga, quæ habetur apud eundem cap. 20. *Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam, sic enim effugies voluntarium peccatum.*

APH. XXXVIII.

Cancros occultos melius est non curare. Curati enim cito pereunt; non curati verò longius tempus perdurant.

Cur occultos cãcros non curare meli⁹ fit.

RAtio, quæ compulit Hippocratem, vt persuaserit cancros occultos nõ esse curandos fuit, quoniam dignouit huiusmodi morbos ijs præsidijs, quæ alijs prodesse solent, magis irritari; hoc idem euenit in curatione animi, qui curationem non admittit, de quo sic habetur prouerbiorum cap. 14. *Quærit derisor sapientiam, & non inuenit: doctrina pru-*

prudentium facilis. Vade contra virum stultum, & nescit labia prudentiæ, & 29. *Vir sapiens si cum stulto contenderit, siue irascatur, siue rideat, non inueniet requiem.* Et Concionator c. 8. *Cum audace ne eas in via, ne fortè grauet mala sua in te; ipse enim secundum voluntatem suã vadit, & simul cum stultitia illius peries. Cum iracundo ne facias rixam, & cum audace non eas in desertum; quoniam quasi nihil est ante illum sanguis, & vbi non est auditorium, elidet te. Cum fatuis consilium non habeas, non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.* Et cap. sequenti. *Non zeles mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.*

Sapientẽ cũ stulto non cõtendere meli⁹ est

APH. XXXIX.

Conuulsio fit, vel ex repletione, vel inanitione; ita verò, & singultus.

HVic aphorismo proportione respondet senrentia, quæ habetur prouerb. 29. *Pauper & creditor obuiauerunt sibi, vtriusque illuminator est Dominus.* Est inquam analoga, quoniam pauper assimilatur conuulso ex inanitione; pauperies etenim efficit motus deprauatos. Creditor, siue (vt alius legit codex) fraudulẽtus assimilatur cõuulso ex repletione, nã & hic mot⁹ edit deprauatos, quod verò subdit, vtriusque illuminator est Dominus, respondet illis, quæ habentur in progressu operis. Con-

Conuulsiones duæ species sic & singultus.

uulsio etenim ex repletione facilem curationem suscipit, tum à natura, tum ab arte; conuulsio verò ex inanitione non æquè facilem, nisi D. O. M. adsit auxilium. Quod verò ad singultum attinet, & hic est quædam ventriculi conuulsio, quæ similiter ab vtrisque causis opposi-

Singult⁹ quid.

tis potest prouenire. Quod verò vterque motus edat deprauatos, addisces ex cap. sequenti. Sic etenim habet, *Paupertatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo necessaria ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam, quis est Dominus? aut egestatis compulsus furer, & periurem nomen Dei mei*. Est autem animaduertendũ præ-

Dæmon excitare potest cõuulsionẽ

ter has duas conuulsionis causas internas, de quibus in aphorismo verba facit Hippocrates, esse aliam externam, prædictarum internarum vnam, vel alteram excitantem, nimirum Dæmon; quemadmodum etenim habetur apud Diuũ Lucam cap. 13. *Puella quædam conuulsionem spinæ accepit à Dæmone, qua laborauit decem, & octo annos*.

APH. XL.

Quibus dolor circa ilium fit absque inflammatione, his febris superueniens dolorem soluit.

Cur dolorem circa ilium in-

Dolor hypochondrij sine inflammatione, causam habet frigidam, atq; proinde si illi superuenerit febris, præ-

prædictum dolorem soluit, quoniam est intemperies calida, & sicca, nonnihil ignis naturam sortita; adeo vt febris græcè vocetur ignis. Cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 2. *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum & argẽtum, homines verò receptibiles in camino humiliationis*. Quod autem de febre ab Hippocrate dictum fuit, est de quocunque calido actuali intelligendum; maximam etenim habet efficaciam ad dissoluendos morbos, non modò ab intempetie frigida, verùm etiã ex materia frigida prouenientes, quemadmodum aphorismo 22. antecedentis sectionis docuit Hippocrates. Nos autem voluit admonere in præsenti aphorismo dictator, vt intemperiem quamlibet frigidam circa viscera nutritioni dicata existentem remoueamus, ipsas partes fouendo, atque innatum calorem suscitando; sic etenim habet Gal. 7. methodi. *Ex his verò, quæ extrinsecus applicantur, boni habitus puellus, vnà sit accubans, vt semper abdomẽ eius contingat*. Cui simillimum consilium habemus lib. 3. Regum c. 1. hunc in modũ. *Et Rex Dauid senuerat, habebatque ætatis plurimos dies, cum operiretur, vestibus, non calefiebat; dixerunt ergo ei serui sui, quæramus domino nostro regi adolescentulam virginem, & stet coram rege, & foueat eum, dormiatque in sinu suo, & calefaciat dominum nostrum regem*;

flammatione soluat superueniens febris.

Quomodo possimus innatũ calidũ fouere, & suscitare, Gal. auctoritate atq; exẽplis sacris declaratur.

gem; quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & inuenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad reges, erat autem pulchra nimis, dormiebatque cum rege: rex verò non cognouit illam. Est autem summopere animaduertendum, quod Elias in suscitando puero vsus fuit hoc naturali præsidio; sic etiam habetur libro tertio Regum cap. 17. *Et expandit se, atque mansus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri in viscera eius: & exaudiuit Dominus vocem Eliæ, & reuersa est anima pueri intra eum, & reuixit.* Multò autem euidentiùs proponitur huius præsidij efficacia lib 4. cap. 4. vbi loquẽs de modo, quem adhibuit Eliseus in suscitando puero, sic habet. *Ingressus est ergo Eliseus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius, ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum; & ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os super os eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit super se super eum, & calefacta est caro pueri: at ille reuersus deambulabat in domo semel huc, atque illuc, & ascendit, & incubuit super eum, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos.*

APH. XLI.

Quibuscunque suppuratio in corpore existens non innotescit; ob crassitudinẽ puris, aut loci non innotescit.

QVamuis hæc suppuratio in corpore existens, ob crassitudinem puris, aut loci non innotescat, innotuit tamen Seni doctissimo, atq; exercitatissimo, qui id propterea id in præsenti aphorismo nobis scriptũ reliquit, vt hinc admoniti, nobis faciliùs possit innotescere. Sic habetur prouerbiorum cap. 27. *Quomodo in aquis resplendet vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus;* dixerat verò c. 26. *Qui operit odium fraudulenter, reuelabitur malitia eius in consilio.* Est autem animaduertendum, quod quamuis fraudulentis malitia reueletur, non tamen id censendum de bonis in animo absconditis; hæc etenim non innotescunt, nisi ore manifestentur, id etenim propterea habetur in Ecclesiastico cap. 30. *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumposita sepulchro.* Et cap. 41. *Disciplinam in pace conseruate filij; sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas vtrisque? melior est homo, qui abscondit stultitiam suam, quàm homo, qui abscondit sapientiam suam.*

Eruditentibus, & sapientibus viris possunt etiã innotescere.

APH. XLII.

Morbo regio laborantibus, si fiat hepar durum, malum.

Quę mala supra mala necessario eueniũt.

HOC exemplo declarat Hippocrates morbi quodam genus, quod alteri morbo superueniens, totus morbus euadit longè magis perniciosus. Huic est analogum quod habetur in Ecclesiastico cap. 5. *De propitiatu peccatorum noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum; & ne dicas miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores proximat ira illius.*

APH. XLIII.

Quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, his superueniente longa difficultate intestinorum, aqua inter cutem, aut lęuitas intestinorum aduenit, & moriuntur.

HIC etiam aphorismus proponit exemplum morbi, qui alteri morbo superuenire consueuit cum euidenti ęgrotantis pernicie. Cui proinde etiã quadrat, quod pro antecedentis aphorismi intelligentia nobis dictum est.

Aliud exemplũ

APH.

APH. XLIV.

Quibus ex stillicidio vrinæ ileos superuenerit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente satis vrina fluxerit.

Morbus quomodo fit morbi medela.

QVamuis ileos proueniens ex vrinæ stillicidio, sit morbus acutissimus, qui scilicet septem dierum spacio interficere consueuit; si tamen illi superueniat febris, quæ humorem possit extenuare, atque fundere, fiet morbi solutio; adeo verum est, quod iam sæpè à nobis dictum est, multoties morbum esse morborum medelam. Sic habe apud D. Ioannem cap. 4. *Dicit ei Iesus, mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabis patrem; vos adoratis, quod nescitis; nos adoramus, quod scimus, quia salus ex Iudæis est.*

APH. XLV.

Vlcera quæcunque annua sunt, aut etiam diuturniora, os abscedere est necessariũ, & cicatrices cauas fieri.

Cur in vlceribus annuis necessarium sit os abscedere.

IN vlceribus annuis, aut etiam diuturnioribos, necesse est os desquamari, & cicatrices cauas fieri, quoniam talia vlcera sunt maligna, adeo vt de illorum sanatione nunquam sit sperandum, nisi fortasse

fortasse os læsum sanitati restituatur, quod est propemodum impossibile, quoniam quod illius corruptionem facit, est intus latitans, atque est naturæ admodum inimicum. Cui consonat, quod habetur in Ecclesiastico cap. 12. *Non credas inimico tuo in æternum; sicuti enim æramentum æruginat nequitia illius. & si humiliatus vadat curuus, abÿce animum tuum, & custodi te ab illo. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam; nec conuersus stet in loco tuo, ne fortè conuersus in locum tuum inquirat cathedram tuam, & in nouissimo cognoscas verba mea, & in sermonibus meis stimuleris. Quis medebitur incantatori à serpente percusso, & omnibus, qui appropriant bestÿs? sic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus est in peccatis eius. Vna hora tecum permanebit, si autem declinaueris, non sopportabit te.*

Inimico etiam humiliato nõ est fidendum.

Quod si velis prohibere ne vlcera inueterentur, adhibenda præsidia, quæ habẽt facultatem detergendi, atque exiccandi; talia sunt præcipuè cataplasmata, quæ parantur ex caricis cum aliqua farina, vel triticea, vel hordeacea, prout ipsa vlceris conditio postulauerit. Tale est, quod adhibuit Isaias, cum ægrotaret Ezechias, vt habetur lib. 4. Regum cap. 20. hunc in modum. *Dixitque Esaias, afferte massam ficorum, quam cum tulissent, & posuissent super vlcus eius, curatus est.* Habere autem caricas prædictã facultatem reperies apud Dioscoridem, atque Galenum capitibus huic fructui dicatis.

Ne vlcera inueterentur, quod nã præsidiũ adhibendum.

dicatis. Cæterùm Hieremias cap. 2. hoc vti videtur aphorismo ad inueterata animi vlcera demonstranda. *Nunquid Dominus non est in Sion, aut rex eius nõ est in ea? nunquid resina, non est in Galaad, aut medicus non est ibi? quare ergo non est obducta cicatrix populi mei? & cur valetudo eius tam segniter procedit?*

Præsens aphorismus vnde fuerit depromptus.

APH. XLVI.

Qui gibbi ex asthmate, aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur.

QVemadmodum qui ex asthmate, aut tussi gibbi fiunt, ante pubertatem moriuntur; ita qui sunt gibbi ex natiuitate, nullam admittunt curationem; quod generali sententia priùs admonuerat Sapiens in Ecclesiastes c. 7. quando inquit. *Considera opera Dei, quod nemo possit rectum facere, quod ille incuruauerit.* Cur verò qui ex natiuitate, sed ex asthmate gibbi fiunt, ante pubertatem moriuntur, causa est, quoniam materia morbifica obsidet partes respirationi dicatas, quæ proinde vertebrarum ligamenta trahunt in consensũ, vnde gibbositas pessima, nempe ante pubertatem interimens; cui proportione respõdet illi animi morbus, qui optimates superbos arripere consueuit, de quo Esaias c. 8. *Vę coronę superbæ, flori decidenti, & defluo, & erit flos deciduus, & quasi temporarius ante maturitatem.*

Cur illi, qui ex asthmate gibbi fiũt ante pubertatem moriuntur.

Sic

Sic cuilibet ciui facinoroso præmaturũ interitum denunciat Iob cap. 16. quando inquit. *Antequam dies eius impleantur, peribit & virtus illius arescet, lædetur, quasi vua florescens; botrus eius, & velut olea proijciens florem suum.* Quinimo eundem pręter naturam interitum comminatur Esaias vniuerso Aegypti populo c. 15. per hæc verba. *Ante messem totus effloruit Aegypti populus, & pręmatura perfectione germinauit, & pręscindentur ramusculi eius.* Causam verò propter quam D.O.M. hos ad maturitatem peruenire non permittit, est quoniam præuidit illorum pessima consilia, de quibus verba fecit Dauid 17. quando inquit. *Antequam spinę vestra indurescant in ramnum, vllosque aculeos infigere possint, Dominus veluti tempestate quadam exorta, conteret, & conficięt vos, infringetque vires vestras, & robur imminuet.*

Qui animi morbi gibbositati ex asthmate ante pubertatem assimilentur.

APH. XLVII.

Quibuscunque venæsectio, vel purgatio cum medicamento conuenit, hos vere purgare, vel venam incidere oportet.

Præseruatio à morbis animi, & corporis quo modo.

HVnc aphotismum ad sanitatis custodiam, atque præseruationem à lethalibus morbis, scripsit Senex; non secus habetur prouerb. 16. *Semita iustorum declinat à malo; custos animæ suæ seruat vitam suam.* Euidentiùs in Ecclesiastico

clesiastico cap. 18. *Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga te ipsum, & in conspectu Dei inuenies propitiationem. Ante languorem humilia te. Ante orationem prępara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conuersatione facies.* Est autem animaduertẽdum non sine maximo artificio addidisse Hipp. verba quibuscunq; *conuenit*, significare etenim voluit, multoties non conuenire, quemadmodum illis contingit, qui præterquamquod non sunt valetudinarij, sunt etiam moderati, & continentes in viuendi norma; qui proinde absque expurgatione præseruantur à malis. Id significauit Sirachius cap. 7. quando inquit. *Noli facere mala, & non te apprehendent; discede ab iniquo, & deficient mala abs te. Fili non semines mala in sulcis iniustitiæ, & non metes ea in septuplum. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in ęternum non peccabis.*

Hipp. artificium.

APH. XLVIII.

Lienosis difficultas intestinorum superueniens, bonum.

Dyssenteria quomodo possit esse salutaris.

QVamuis dyssenteria multoties sit morbus lethalis, potest tamen aliquando esse salutaris, si lienosis superueniat; expurgando scilicet humorem melancholicum per regionem

conferentem, nimirum per intestina. Cui etiam illud videtur quadrare, quod non semel dictum est, vitium scilicet vitio curari.

APH. XLIX.

Quicunque morbi podagrici fiunt, hi sedata in quadraginta diebus inflammatione finiunt.

Quomodo ex inimicis sit vtilitas capienda

SVnt dolores podagrici eò deteriores, quò magis diuturni; nam præter molestiam, quam inferunt, atque vigilias, quas inducunt; id etiam maioris habent momenti, quòd sunt quasi compedes impedientes præclara quæque negocia, quæ extra domum exercere sueuimus. Conscripsit tamen, atque inscripsit Plutarchus non contemnendũ opusculum de vtilitate ab inimicis capienda, quod certè ab Hippoc. doctrina nõ abhorret, quemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs; nam præterquamquod ab alijs perniciosissimis, atque lethalibus morbis præseruare consueuerunt, aliam etiam ex illis vtilitatem elicere poterit quilibet studiosus; nimirum librorum frequentiori lectioni incumbere, atque proinde huiusmodi compedes non erunt absque vtilitate. Id videtur indicasse Concionator c.6. quando inquit. *Fili à iuuentute tua excipe doctrinam, & vsque ad canos inuenies sapientiam, quasi is, qui arat, & seminat, accede ad eam, & sustine benos fructus illius*

lius, in opere enim ipsius exiguum laborabis, & cito edes de generatione illius. Quã aspera est nimium sapientia indoctis hominibus, & non permanebit in illa excors; quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur proijcere illam; sapientia enim doctrinæ secundum nomen est eius, & non est multis manifesta; quibus autem cognita est, permanet vsque ad conspectum Dei. Inijce pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collũ tuum: subijce humerum tuum, & porta illam, & ne audieris vinculis eius: in omni animo tuo accedere ad illam, & in omni virtute tua conserua vias eius; inuestiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus, ne derelinquas eam: in nouissimis enim inuenies requiem in ea, & conuertentur tibi in oblectatione & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ.

Adhortatio ad sapientiam indagandam.

APH. L.

Quibuscunque præciditur cerebrum, his necesse febrem, & bilis vomitum superuenire.

Cur quibus præcidetur cerebrũ superueniat febris, & bilis vomitus.

QVibus præciditur cerebrum, necessariò superuenit febris, & vomitus bilis, quoniam trahitur in consensum cor, atque ventriculus. Non secus existimandum est, illos, qui peccata peccatis adijciunt, id effatu dignam cerebri læsionem incidisse, vnde aliæ consurgũt affectio-

affectiones morbosæ. Sic etenim habetur in Ecclesiastico c. 21. *Quasi à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te; dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominũ, quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas.*

APH. LI.

Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur, & statim muti fiunt, & stertunt, in septem diebus pereunt, nisi febris apprahenderit.

Quomodo caput læsum reliquas partes trahat in cõsensum.

SI partium omnium nobilissimam occupet materia pessima, adeo vt ibi suscitet dolorem, non semel contingit, vt tunc temporis caput prædictum morbum ferre non valens, inter reliqua trahantur in consensum organa loquelæ, atque respirationi inseruientia, vnde obtumescentia, & stertor lethalis, quoniam paucis diebus reliquæ pereunt bonæ operationes. Idem contingit quando pecunia excæcat aliquem ad testandum falsum aduersus proximum, de quo etiam habetur in Ecclesiastico cap. 20. *Lapsus falsæ linguæ, quasi qui in pauimento cadens, sic casus malorum festinanter venient.*

APH.

APH. LII.

Oportet verò, & considerare oculorum in dormientibus suspectiones. Nam si quid album commissis palpebris subinspicitur, neque ex alui profluuio, aut medicamenti potione istud contingat, magnum est signum, & lethale valde.

Oculi quomodo præbiant iudicium ęgritudinis tam animi, quã corporis.

OPtimè animaduertit Hippocrates sexto epid. sect. 4. *Vt valent oculi, ita & totum corpus*, quòd præcipuè in præsenti declarat aphorismo exemplo dormientium, quoniam in somno meliùs illorum ægritudo deprehenditur; quibus consonant, quæ habẽtur cap. postremo Ecclesiastes, in quo hominis facies vocatur platea animæ, & oculi vocantur *aspicientes per foramina*. Quod euidentiùs habet in Euangelio D. Matthæi c. 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus simplex fuerit totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuũ tenebrosum erit*. Inter reliqua optimum oculorum indicium est, quod tradit Sap. prouerbiorum 4., quando inquit. *Oculi tui recta videant, & palpebrę tuæ praecedãt gressus tuos, dirige semitas pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur*. Et prauum indicium, quando inquit, cap. 10. *Qui annuit, oculo dabit dolorem.* Et cap. 30. *Generatio cuius excelsi sunt oculi, &*

V pal-

palpebrę eius in alta subrectę. Et Ecclesiasticus cap. 26. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur. In filia non auertente se, firma custodiam, & inuenta occasione abutatur se. Ab omni irreuerentia oculorum eius caue, & ne mireris, si te neglexerit; sicut viator sitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram, donec deficiat.*

A P H. LIII.

Desipientiæ, quæ cum risu fiunt, securiores, quæ verò cum studio, periculosiores.

Hip. artificium.

HIC summopere est admirandum Hippocratis artificium, quippe qui postquam in præcedenti aphorismo loquutus fuit de oculorum ægritudine, atque signis ex illis desumptis, in præsenti aphorismo recenset signa, quæ desumuntur ex ægritudine mentis; vt scilicet indicaret illud apud Poetas, multo verò accuratius apud omnes Theologos decantatum ex sacris literis, atque ipsa etiam morum disciplina depromptum; scilicet mentis aciem, hoc est, humanum intellectum esse ipsum animæ oculum; quoniam scilicet cum oculis corporeis maximam habet analogiam; quod expressum fuit psalmo duodecimo. *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in*

Intellectus cur vocetur oculus animæ.

morte. Et psalmo 24. *Oculi mei semper ad Dominum.* Metaphoram optimè indicauit Sap. prouerb. c. 4. quando inquit. *Via impiorum tenebrosa; nesciunt vbi corruant: iustorum semita quasi lux splēdida procedit, & crescit vsque ad perfectā diem.* Et D. Paulus prima ad Corinthios cap. 3. *Si quis videtur inter vos sapientes esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiēs; scientia enim huius mundi stultitia est apud Deum.* Cæterùm huic aphorismo videtur aduersari sententia, quæ habetur in Ecclesiaste c. 7. vbi sic habet Sapiens. *Melior est ira risu, quia per tristitiā vultus corrigitur animus delinquentis. Cor sapientium vbi tristitia est & cor stultorū vbi lętitia.* Non tamen aduersatur, quoniam Hippocrates loquitur de desipientia morbosa; sapiens verò de tristitia, eaque non morbosa, sed tempori accōmodata. Illa autem desipientia, quæ fit cum studio, magis cognoscitur ex oculis, quàm ex sermone; atque proinde illi quadrat, quod habet Ecclesiasticus c. 20. *Datus insipientis non erit vtilis tibi, oculi enim illius septemplices sunt; exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius inflammatio est.* Vt plurimùm tamen desipientiæ dignoscuntur ex sermone, namque vt h betur capite sequenti. *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium cor illorum.* Dignoscitur etiam ex risu cum cachino; sic etenim habetur c. 21. *Fatuus ex risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Quinimo id antea pronun-

Apparēs contradictio soluitur.

Insipientia quib⁹ signis dignoscatur.

ciauerat Sap. cap. citato, quando inquit. *Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi: quia sicuti sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti; sed & hoc vanitas.*

APH. LIV.

In acutis passionibus, quæ cum febre sunt luctuosa suspiria, malum.

In acutis passionibus, quæ suspiria sint mala

NON quælibet suspiria, neque in quibuslibet passionibus, sed luctuosa in passionibus acutis sunt signa mala cui respondet, quod habetur in Ecclesiastico c. 12. *In labijs suis indulcat inimicus, & in corde suo insidiatur, vt subuertat te in foueam.*

APH. LV.

Dolores podagrici vere, & autumno magna ex parte mouentur.

Cur dolores podagrici vere, & autumno magna ex parte excitentur.

DOlores podagrici mouentur verno tempore, quoniam tunc funduntur humores, viæ patefiunt, & consequenter dolor ingruit. Excitantur etiam autumno, quoniam tunc temporis impeditur transpiratio, & multa adest cacochymia in æstate collecta. Non secus animi vitia, quamuis in omnibus temporibus progignantur, magis tamen suscitantur, atque irritantur in vno anni tempore, quàm

quàm in alio, prout maior, vel minor fuerit facta malitiæ congeries; quemadmodum etenim animi mores sequuntur corporis temperaturam; non secus & vitia ipsa stabulantem malitiam. Proinde extant non paucæ sententiæ ad aphorismum non parum facientes, quas in præcedentibus adnotauimus.

APH. LVI.

In morbis melancholicis, ad hæc periculosi decutibus, syderationem corporis, vel conuulsionem, vel furorem, vel cæcitatem significant.

Cur in morbis melãcholicis cum periculoso decubitu sit timenda vel apoplexia, vel conuulsio, vel furor vel cæcitas.

CAusa propter quam, in morbis melancholicis, sit timenda, vel corporis syderatio, quæ dicitur apoplexia, vel conuulsio, vel cæcitas, est quoniam melancholia humor est crassus, atque tenax cerebrum præcipuè afficiens, atque proinde si feratur ad cerebri corpus, oritur melancholia, vel conuulsio, vel epilepia; sicuti cum obstruit ventriculos, atque venas iugulares, producit apoplexiam; quod si cerebrum ad oculi neruos eum transmittat, oritur cęcitas. Causa verò est pręcipua, quòd prædictæ partes spiritibus animalibus, qui omnium medicorum consensu, luminosi existunt, destituuntur; quomodo autem hoc spirituum lumen, dum homo bona fruitur valetudine, per prædictas partes spargatur, non est omnino compertum; si etenim

An dignoscere possimus per quã viã spargatur lux

nim prædictum lumen est substantia incorporea, quomodo potest transmitti de loco ad locum? Si verò est corporea: quomodo potest prædicta corpuscula pertransire, cum non detur penetratio corporum. Hanc difficultatem indicauit Sapientissimus Iob cap. 38., in quo de totius mundi lumine, cum quo microcosmicum maximam habet analogiam, verba faciens, hæc habet. *Per quam viam spargitur lumen; diuiditur æstus super terram?* Addidit autem, *diuiditur æstus super terram*, quoniam cũ æstas sequatur lumen, atque non sit omnino compertum per quam viam spargatur lux; ignotum etiam est quomodo diuidatur calor. Hinc fortasse didicit Socrates illud adeo decantatum, *hoc vnum scio, quod nihil scio*. Voluit autem significare Iob, quod Socratres fortasse non attigit, ad hoc intelligendũ necessarium esse aliud lõgè diuinius lumen, quod oculi non attingunt, sed illustrantur beatorum mentes, de quo intelligẽs Paulus ad Ephesios dixit. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino*. Quod si velis mundi cœcitatem, oculorum cœcitati proportione respõdentem, vide Exodi cap. 10. in quo hæc habentur verba. *Extende manum tuam in cœlum, & sint tenebræ super terram Aegypti tam densæ, vt palpari queant*. Cæterùm quod ad ipsam attinet corpoream cœcitatem, quamuis illa, quæ est à natiuitate, non possit aliter curari, quam adhibito miraculo, quale fuit, quod habetur

Quomodo oculorum cęcitas mũdi cęcitati sit analoga.

betur apud D. Ioannem cap. 9. vbi sic habetur. *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius, & dixit ei. Vade, laua in natatoria Siloe, abijt ergo, & lauit, & venit videns*. Hinc tamen elicimus Christum Dominum, in sua illa admiranda curatione voluisse adhibere medium naturale; nimirum collyrium, atque ablutionem, vt nobis indicaret in perniciosissima quaque ægritudine, dum humana adhibemus pręsidia, esse Dei auxilium implorandum, atque in inuocando Deo, pro amissa salute recuperanda, non esse medica auxilia prætermittenda.

A P H. LVII.

Apoplexiæ autem fiunt maximè quadragesimo anno vsque ad sexagesimum.

APoplexię fiunt vt plurimùm ex fluxione humoris pituitosi, atque melancholici, quæ præcipuè à quadragesimo vsque ad sexagesimum annum prouenire consueuerunt; quamuis etenim eo tempore langueat calor innatus, non tamen desinunt homines, præcipuè robusti, esse intemperantes in commestionibus, compotationibus, atque veneris vsu; atque proinde quemadmodum hunc aphorismum conscripsit Senex, vt lethalem hunc morbum eo præcipuè tempore deuitare dignoscamus. Non secus, cum multi extent in sacris, animorum

Cur in ætate in qua languet calor innatus contingant apoplexię, nec non animi morbi.

morum morbi, qui in hac præcipuè ætate potissimùm contingunt, tenetur prudens quilibet illos deuitare, abstinẽdo à causis illos progignentibus.

APH. LVIII.

Quibuscunque à coxendicum dolore diuturno molestatas excidit coxa, & rursus incidit, his mucores superueniunt.

Luxatio articulorum, atq. luxatio puerorũ à quibus caussis prouenıant.

AFfectus, de quo in præsenti aphorismo loquitur Hippocrates, est luxatio coxæ, quæ præcipuè ob articuli luxationem, & consequenter ob mucosam humiditatem illuc confluentem, fieri consueuit. Non secus si nimiùm laxentur pueri, aut puellæ parentum incuria, in miseranda vitia ruere consueuerunt, quemadmodum ex non paucis prouerbiorum, atque Ecclesiastici locis demonstratum est,

APH. LIX.

Quibuscunque à coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa, his crus tabescit, & claudicant, si non vrantur.

Ignis quomodo sit cla

HVic affectui proponit Hippocrates ignem tanquam adæquatum remedium, cui videtur congruens, quod habe-

udicationi adæquatum remediũ. Et quomodo corda probet Dominus.

habetur prouerbiorum cap. 17. *Sicuti igne probatur argentum, & aurum camino, ita corda probat Dominus.* Esse autem claudicationem affectum non leuis momenti idem indicauit cap. 25. *Dens putridus, & pes lassus, qui sperat super infideli in die angustiæ.* Et cap. sequenti. *Claudus pedibus, & iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum.*

Finis sextæ Sectionis.



APHORISMORVM HIPP.

SECT. SEPTIMA.

APH. I.

In morbis acutis, frigus partium extremarum, malum.



Cur frigus partium extremarũ in morbis acutis sit malũ.

RATIO est, quoniam tale frigus indicat viscera æstu flagrantia, quasi cucurbitula innatum calorem ad se aduocare, vel nimio incendio calidum innatum extingui. Non secus contingit in animo pluribus vitijs obruto charitatis ignem extingui, vnde consurgit, homines ad bona quæque opera refrigescere, quemadmodum ex pluribus sententijs potest fieri manifestum.

APH. II.

In osse ægrotante, caro liuida, malum est.

ESse colorem cuiusq; partis corporis liuidũ omnium pessimum est adeo verum,

Caro liuida quomodo mala.

verum, vt hunc colorem ad animum deprauatum transtulerit Sirachius cap. 14. quando inquit. *Homini liuido ad quid aurum.* Est autem animaduertendum non dixisse Hippocratem absolutè carnem liuidam esse malam, sed carnem liuidam ex osse ægrotante malam esse, quod idem priùs dixerat Concionator c. 28. *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem lingua comminuit ossa. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus est, qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundia illius non transiuit, & qui non attraxit iugum illius, & in vinculis eius nõ est ligatus; iugum enim illius iugum ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum est; mors illius mors nequissima, & vtilis potiùs infernus, quàm illa.*

Color liuidus quomodo transferatur ad animi vitium.

APH. III.

A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum.

Color liuid⁹ quomodo transferatur ad animi vitiũ.

A Vomitu singultus, & oculorum rubor, est malum, quoniam praua hæc symptomata indicant cerebri, atque ventriculi grauissimam affectionem, nimirum vel inflammationem, aut saltem affectum inflammatorium (præcipuè si adsit febris) vel conuulsionem aliquam præsentem, aut imminentem. At q; proinde quemadmodum vomitus, qui prodesse deberet, aliquando est malus. Non secus si statim post factam aliqualem

peccatorum expiationem, alia pullulent praua vitia, est malum admodum horrendum.

APH. IV.

A sudore horror, non bonum.

Cur à sudore horror non bonum.

SVdor consueuit euacuare horroris causam, nimirum bilem, atque pituitam; atque proinde si post sudorem subsequatur horror, demonstrat esse decretorium non decernens, quod est aut lethale, aut difficilis iudicij. Cui proinde quadrat, quod in antecedenti aphorismo dictum est.

APH. V.

A furore difficultas intestinorum, vel aqua inter cutem, vel mentis alienatio, bonum.

Furor quã malus sit affectus.

EST furor pessima melancholiæ species, qua qui laborant, insaniunt adeo, vt se in aliorum animalium formas mutatos esse imaginētur, faciantq; & patiantur omnia, quasi re vera talia essent animalia; alij in canes, & latrãt; alij in gallos, & cantant, atque alis concutiunt latera, alij in lupos, & exeunt noctu domo, atque inquirunt sepulchra, & versantur libenter cum cadaueribus, quæ species vocatur canina melancholia, græcis λυκανθρωπία, de qua sermonem fecit

Canina melãcholia quod.

cit Aris. septimo Ethicorum cap. 1. quãdo inquit. *Ferus, atque immanis est inter homines rarò, maximè verò inter nationes barbaras est.* Sunt tamen aliqui qui se boues esse imaginãtur, vel asinos, appetuntque belluinam vitam, atque victum; atque proinde naturalem ammitentes figuram, quandam induunt quasi belluinam, idest magnam deformitatẽ, cuius exemplum extat apud Danielem cap. 4., quando inquit. *Eadem hora sermo complectus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinẽ aquilarum crescerent, & vngues eius quasi vngues auium.* Paulò autem inferiùs de eodem verba faciẽs hoc habet. *In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni, & figura mea peuersa est ad me.* Cæterùm quod habetur in eodem capite, cor eius ab humano fuisse commutatum, est intelligendum, non quod factum fuerit penitus belluinum, sed aliqua ex parte; nam sic & figura mutata fuit non penitus in belluinam, sed in magnam deformitatem, & faciem ab humano diuersam, corporis cute durata, cum versaretur nudus; pili etiam facti sunt adeo crassi, vt quodammodo imitarentur plumas, quod sanè ab eiusdem morbi causa ortum ducebat, à copiosa scilicet fuligine crassissimæ melãcholiæ; atque ob eandem causam vngues illi creuerunt ad similitudinem vngui-

Nabuchodonosor quomodo transformatus fuerit in belluam.

Quomodo illius cor factũ fuerit belluinum.

vnguium auium rapacium, & quoniā per longum tempus non fuerunt amputati: sed quemadmodum ex præsenti aphorismo colligitur, furorem esse longè deteriorem morbum difficultate intestinorum, aqua intercutem, atque mentis alienatione; non secus colligitur prædictum morbum esse non solùm maximè formidandum ratione ægrotātis, verum etiam ob periculum, quod imminet adstantibus, atque ipsi etiam medico: quapropter meritò dixit Sap. prouerb. 27. *Graue est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti vtroque grauior. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; & impetum concitati spiritus ferre quis poterit?* Furori etiam affinis est stultitia, atque fatuitas, de quibus habetur prouerb. 17. *Natus est stultus ad ignominiam, sed nec pater in fatuo lætabitur.* Eius causam tetigerat cap. 15. Esse etiā furorem longè deteriorem morbum, quam difficultas intestinorum, vel aqua intercus, vel mentis alienatio indicatur in Ecclesiastico cap. 27. *Ira, & furor vtraque execrabilia sunt, & vir peccator continens erit illorum.* Quoniam verò inter furoris species illa numerari consueuit, qui lycanthropia, seu lupina insania (vt vidimus) nominatur, animaduertendum hanc etiam excitari posse à Dæmone, quemadmodum sect. 6. ex Hipp. demonstrauimus, cui proinde locum ex D. Luca possumus accommodare; sic etenim habet cap. 8. *Occurrit illi vir quidam, qui habebat Dæmonium iam tem-*

Furor cur sit morbus horrendus non modo ratione ægri, sed ratione adstātium.

Furori, qui alij animi morbi sint affines.

Quomodo lycantropia possit à dæmone excitari.

temporibus multis, & vestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Et paulò post. *Multis enim temporibus arripiebat illum, vinciebatur cathenis, & compedibus custoditus, & ruptis vinculis agebatur à Dæmonio in deserto.*

APH. VI.

In morbo diuturno fastidium cibi, & deiectiones sinceræ, malum.

QVemadmodum malum est diuturnum corporei cibi fastidium; non secus respuere animi alimentum est pessimum; sic etenim habetur prouerb. cap. 13. *Egestas, & ignominia ei, qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur.* Et cap. 18. *Non recipit stultus verba prudentiæ, nisi ea dixeris, quæ versantur in corde suo. Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit, sed sequitur eum ignominia, & opprobrium.* Et cap. 15. *Doctrina mala deserentium viam vitæ; qui increpationes odit, morietur. Non amat derisor eum, qui se corripit, nec ad sapientes graditur.*

Corpore alimenti fastidio quomodo proportione respondeat respuere animi alimētum.

APH. VII.

Ex multa potatione rigor, & desipientia, malum.

CVm desipientia fiat, vel cum risu, vel studio est ambiguum, vtrum desi-

Quæ desipientia sequatur multã potationẽ.

desipientiam, quæ ex multa prouenit potatione, sequatur risus, an studium; id subticuit fortasse Hip. quoniam supponit vtrumque posse contingere; fortasse nullum ex illis; quo in casu quomodo desipientiam dignoscemus? ex oculis; id colligo ex Sirachio cap. 20., quando inquit. *Datus insipientis non erit vtilis tibi, oculi enim illius septemplices sunt; exigua dabit, & multa improperabit, & apertio oris illius inflammatio est.*

Quomodo desipientia ex oculis dignoscatur.

A P H. VIII.

A tuberculi intus ruptione, exolutio, vomitio, aut animi defectio fit.

Cur à tuberculi intus ruptione fiat exolutio, vomitio, & animi defectio.

Ratio est, quoniam ex tali ruptione, quæ intus fit, maxima fit spirituum dissolutio; vnde exolutio, vomitio, quoniam materia purulenta facultatem habet mordicandi; ex eiusdem autem puris praua qualitate, nec non sanguinis repentina euacuatione, consueuit animi defectus prouenire. Non secus si in rerum domesticarum expensis diuitiæ affatim expendantur, miserrima consurgent accidentia, quemadmodum huiusque varijs sententijs indicatum est.

A P H.

A P H. IX.

A profluuio sanguinis desipientia, ac conuulsio, malum.

Desipiẽtia quomodo fiat sãguinis profusione, & efficiat sanguinis profusionem.

Quemadmodum profluuium sanguinis consueuit desipientiã) horrendum malum) progignere; non secus aliquorum prauorum hominum desipientiæ consueuerunt esse sanguinis effusioni admodum intentæ, id quod animaduertit Sap. prouerb. cap. 1., quando inquit. *Pedes illorum ad malũ currunt, & festinant, vt effundant sanguinem.* Quemadmodum autem à profluuio sanguis prouenit desipientia, & conuulsio; non secus ipsa desipientia multoties est in causa, vt sanguinis, hoc est, diuitiarum fiat profluuium, quapropter hoc nobis consilium tradit Ecclesiasticus cap. 9. *Ne des schortis animam tuam in vllo, ne perdas te, & hereditatem tuam.* Est autem animaduertendum differre præsentem aphorismum à tertio, quoniam dictionem *singultus* in aliam permutauit, nimirum in desipientiam; profluuio autem sanguis superuenire consueuit desipientia; quoniam in sanguinis profluuio plurimi euanescunt spiritus, qui, vt ibi dictum est, sunt proximum animæ instrumentum.

Quomodo ab illa fiat præseruatio.

APH.

A P H. X.

Ab ileo vomitus, singultus, desipientia, vel conuulsio, malum.

De vero ileo, seu voluulo intelligit Hippocrates, in quo scilicet, inter reliqua horrenda, quæ comemorat symptomata, stercus fœtentissimum, quod per infernam sedem egredi deberet, ad ad ventriculum ascendit, atque inde eiusdem vomitus consurgit. Huic pessimo affectui proportione respondet, quod habetur Ecclesiastes cap. 10. *Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem eggrediens à facie principis, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super terram, quasi seruos.*

Verus voluulus quis sit affectus, & qui. animi morbi illi respõdeant.

A P H. XI.

A morbo laterali inflammatio pulmonum, malum.

Siue tota materia, quæ morbum efficit lateralem, ad pulmones translata constituat peripneumoniam, siue eius aliqua pars ibi permaneat, atque altera tendat ad pulmones, iam hinc prauæ admodum, atque perniciosæ materiæ conditio manifestè dignoscitur, atque simul praua eorundem viscerum constitutio, quæ proinde pessimos, atque le-

Quomodo à morbo laterali fiat pulmonum inflãmatio. Et qui animi morbꝰ illi respõdeat.

thales

thales admodum progignit effectus. Huic est affine, quod habet Sap. prou. cap. 12. *Nouit iustus iumentorum suorum animas, viscera autem impiorum crudelia.*

A P H. XII.

A pulmonis inflammatione phrenitis, malum.

Si materia noxia à pulmonibus ad cerebri membranas propagetur, constituit ibi prauam admodum dispositionem; cui consimiliter quadrare potest, quod habetur apud Sapientem loco prouerb. nuper citato, & quod habet Ecclesiasticus cap 7. *Non preces in multitudine ciuitatis, nec te immittas in populum, neque alliges duplicia peccata.* Est inquam analogum, quoniam idem est morbum morbo superuenire; atque vno commisso peccato, alterum statim committere. Intelligendum autem de morbo magno, atque de peccato mortali, id etenim propterea loquutus fuit Hippocrates de morbis sua natura magnis, nimirum inflammarionibus internis, atque Concionator de peccato mortali; quod ipse declarauit, quando subdit. *Nec enim in vno eris immunis.*

Quomodo pulmonis inflãmatio degeneret in phrenitidẽ, quod animi vitium illi sit analogum.

APH.

APH. XIII.

In æstibus fortibus conuulsio, aut distentio, malum.

Cur in æstibus fortibus cõuulsio aut distẽtio sit malum. Et qui animi æstus æstui corporis sit analogus.

EX pessimo hoc symptomate malũ exitium prædicit Hippocrates, quoniam conuulsio ab æstibus fortibus magnam causam significat, atque maximè vires prosternit; non secus contingit, si superbiæ, atque iræ, quæ est fortis æstus circa cor, succedat, quemadmodũ frequenter euenit, iniuria. Sic etenim habetur in Ecclesiastico cap. 21. *Obiurgatio, & iniuria annullabunt substantiam, & domus, quę nimis locuples est, annullabitur superbia, sic substantia superbi eradicabitur; deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures eius perueniet, & iudicium festinato adueniet illi.*

APH. XIV.

A capitis ictu obstupescentia, & desipientia, malum.

Obstupiscentiæ à capitis ictu prouenienti, qui animi morbus respondeat.

OBstupescentiæ à capitis ictu prouenienti proportione respondet malum, à quo nos præcauere admonet Ecclesiastes cap. 4., quando inquit. *Non accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam mendacium.*

APH.

APH. XV.

A sanguinis sputo puris sputum, malum.

HIC aphorismus adeo nectitur cum subsequenti, vt videatur vnus, & idem; atque proinde illius intelligentia ibi erit proponenda.

APH. XVI.

A puris sputo phthisis, & fluxus; quum verò sputum retinetur, moriuntur.

Cur à puris sputo proueniat phthisis. Et quomodo sit malũ vt signum & vt caussa

NON semper à sanguinis sputo prouenit puris sputum, quando tamen illi succedit puris sputum, est malum, quemadmodum in aphorismo antecedenti demonstrauit Hipp. Est autem malum tanquam signum, quoniam indicat factum esse vlcus in pulmone; est malum tanquam causa, quoniam inde prouenit phthisis, & fluxus, qui est morbus lethalis; quinimo si sputum retinetur, moriuntur, quemadmodum in præsenti aphorismo indicat dictator. Est autem animaduertẽdum, quod quemadmodum vbi cibus pręter naturam plus ingestus est, hic morbum facit, vt ostendit sanatio (est aphorismus 17. secundæ sect.,) non secus ad hunc incurabilem morbũ progignendũ vt plurimũ præter cibũ concurrunt alia plura errata in sex rebus non naturalibus, quibus si

Qui animi morbus illi sit analogus.

que-

postmodum addatur leuissima occasio, vt ambulatio per solis radios, succenditur materia peccans, vnde prouenit domus combustio. Id significauit Sirachio cap. 21. *Stupa collecta synanoga peccantium, & consummatio illorum flāma ignis; via peccantium complantata lapidibus, & in finem illorum, inferi, & tenbræ, & pœna.*

APH. XVII.

In hepatis inflammatione singultus, malum.

Aphorism⁹ quid.

Quomodo aphorismos conficiēdi modū didicerit Hip. à sapiente, & concionatore.

EST aphorismus, vt diximus in manuductione, sententia doctrina diues, atque verborum inops; hoc idem de præclaris tàm Sapientis, quàm Sirachij sententijs, cum quibus aphorismi maximam habent analogiam, est asserendum; quinimo arbitrarer sapientissimum Senem ab his sapientissimis viris modum quendam aphorismos conficiēdi didicisse, atque proinde quemadmodum vnicus aphorismus plures, eosque verissimos sensus admittere consueuit, vt in nostris animaduertimus, atque demonstrauimus commentarijs; non secus de huiusmodi sententijs est pronunciandum, id quod manifestè in sententia in præcedenti aphorismo indicata est videre; hepatis inflammatio, cui succedat irreparabilis singultus non potest ab vnica, atque leuissima causa, sed à maximis erratis prouenire: atque proin-

proinde illi quadrat præcitata sententia. *Stupa collecta synanoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis; via peccantium complantata lapidibus, & in finem illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.*

APH. XVIII.

In vigilia conuulsio, vel desipientia, malum.

Cur in vigilia cō- uulsio, vel desipientia malum.

Desipientiæ cui animi morbus sit analogus.

VIgilia intensa consueuit multùm exiccare, atque exinanire; proinde si inde proueniat conuulsio, erit illa, quæ fit ex inanitione, quæ sua natura est lethalis; si inde etiam fiat desipientia, erit malum admodum horrendum, quoniam desipientia vigiliæ succedens, non potest nisi in maxima cerebri exiccatione prouenire: Huic desipientiæ proportione respondet, quod habetur in sacris. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus*; est inquam analogum, quoniam maximam indicat caloris natiui, seu humidi substantifici, hoc est, diuinarum legum absumptionem. Huic etiam respondet, quod habetur Iob cap. 20. in quo de impio insipiente verba facit hunc in modum. *Cum dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua; parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture suo; panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum, intrinsecus.*

APH.

APH. XIX.

In ossis exutione, erysipelas, malum.

Ossium quanta sit dignitas.

EST ossium tanta dignitas, vt illorum quælibet vel leuissima læsio possit non leuem perniciem circumpositis carnibus inferre, quemadmodum in præsenti aphor. indicauit Hippoc., vt inde fiat manifestum, quàm horrendum sit malum, si ipsa ossa corruptio aliqua appræhendat; id ante Hippocratem animaduertit Sapiens prouerb. 14. *Vita carnium sanitas cordis; putredo ossium inuidia.* Huic est aliud malum affine; nimirum illorum exiccatio, de qua prouerb. cap. 17. *Animus gaudens ętatem floridam facit; spiritus tristis exiccat ossa.*

Cur inuidia sit pessimus animi morbus.

APH. XX.

Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum.

Cur ab Erysipelate putredo.

AB erysipelate putredo, aut suppuratio, est malum, quoniam hæc indicant malignitatem. Ratio est, quòd erysipelas fit à bile, quæ est humor siccus, & consequenter facilè resolubilis, atque proinde si in illo fiat suppuratio, non potest non esse malignum; quoniã scilicet humorem siccum putrescere, aut suppurari, non potest à leui causa prouenire. Non seçus cum senes secundum

dum naturæ leges tendant ad siccitatem, quæ proinde putredini maximè resistit, si ad animi putrediñe declinent, est malum, quod odit Deus in Ecclesiastes cap. 25. quemadmodum in pręcedentibus demonstratum est.

APH. XXI.

In veterno tremor malum.

HIC aphorismus, à præstantissimis quibusque interpretibus, tanquam spurius fuit absque explicatione relictus.

APH. XXII.

A forti in vlceribus pulsu, profluuium sanguinis.

COnsueuit profluuium sãguinis prouenire à forti in vlceribus pulsu, quoniam in pręd icto forti pulsu sanguis conpesci nequit, cum talis sanguis potiùs ex arterijs, quàm ex venis proueniat. Atque proinde id voluit prudentissimus Senex animaduertere, vt hac admonitione possimus faciliùs præcauere à maxima hæmorrhagia, cum sanguis sit vitæ thesaurus, quod indicatur Geneseos cap. 9. *Quicunque fuderit humanum sanguinem; fundetur sanguis illius.* Et Leuit. c. 17. *Anima carnis in sanguine est.*

Cur sanguinis profluuium proueniat à forti pulsu in vlceribus.

Sanguis naturæ thesaur⁹.

APH. XXIII.

A ventris dolore diuturno suppuratio.

Cur à vẽtris dolore diuturno fiat suppuratio.

FIt à ventris dolore diuturno suppuratio, quoniam dolor in ventre abscessum indicat multæ, est crassæ materiæ, quæ necesse est ad suppurationem verti; quoniam non potest dolor diuturnus à materia tenui, aut flatu prouenire; neque etiam potest in scirrhum degenerare, quoniam scirrhus est doloris expers. Non secus quæcumque vitia cõsenescunt, consueuerunt in animę putredinem degenerare, quemadmodum ex sententijs superiùs citatis vnicuique poterit fieri manifestum.

APH. VXIV.

A deiectione sincera difficultas intestinorum, malum.

Cur à deiectione sincera difficultas inrestinorũ malum.

RAtio est, quoniam deiectio sincera habet facultatem exulcerandi intestina, est enim acris, & mordax, atque proinde si illi succedat dysenteria, erit affectus non exigui momenti. Iam verò huic aphorismo potest illa sententia quadrare, quam in precedenti sectione proposuimus.

APH. XXV.

In ossis præcisione desipientia, si in vacuum apprehenderit.

Cur in ossis pręcisione fiat desipientia sit in vacuum appræhenderit, & qui animi morbus illi sit analogus. Et quomodo ab illo possimus præseruari.

SI vulnus penetrauerit vel caluariam, adeo vt ad membranas perueniat, atque ibi succedat inflammatio; siue ossa, quæ spinam constituunt, adeo vt ad medullam perueniat, suboritur delirium lethale. Cui proportione respondet, quod habetur in Ecclesiastico cap. 28. quando inquit. *Flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ cõminuet ossa.* In hoc tantùm differt, quod in aphorismo supponit Hippocrates dictæ ostis præcisioni succedere desipientiam: Sirachius verò supponit, ex plaga linguæ prouenire mentis perturbationem; iam enim superiùs dictum est, quod spiritus tristis exiccat ossa, & quod inuidia est putredo ossium; atque proinde vt ab hoc lethali morbo præcaueamus, paulò post hoc nobis proponit præsidium. *Sæpe aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis: aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos, & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conspectum inimicorum insidiantium tibi, & sit casus tuus insanabilis in mortem.*

APH. XXVI.

Ex medicamenti potione, conuulsio lethalis est.

HIC aphorismus sectione quinta fuit explicatus.

APH. XXVII.

In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.

Cur in forti dolore ventris partium extremarũ frigiditas sit malũ.

SI forte dolori ventris succedat partium extremarum frigiditas, est malum, quoniam vel indicat à doloris vehementia fuisse dissipatum calorem natiuum, aut dolorem esse inflammatoriũ, qui ad modum cucurbitulæ ad se attrahat calorem per vniuersum corpus diffusum. Non secus animo terrenis voluptatibus æstuanti, consueuit superuenire manuum, atque pedum frigiditas; manuum in bonis operibus efficiendis; pedum in diuinis progressionibus exequendis, quemadmodũ insignes Theologi me longè melius valebunt explicare; nobis etenim satis erit illis Hippocratis methodum indicasse.

APH. XXVIII.

Mulieri vtero gerenti si tensio superuenerit, facit abortum.

Cur tensio si vtero gerẽti superuenerit facit abortum. Quis animi morb⁹ illi sit analog⁹.

TEnsio, si vtero gerenti superuenerit, facit abortum; quoniam ob vicinitatem, quam habet rectum intestinum cum vtero, non potest non vterus grauiter affici; cum etenim tensio nihil aliud sit, quàm recti intestini inflammatio, atque hæc inflammatio maxima sit eiusdem intestini molestia, si vtero communicetur, facit abortum, quoniam ipsi etiam infanti communicatur. Sic quicumque præclara quælibet facinora mẽte gerunt, si illis superueniat assidua coeundi cupido, faciunt abortum, adeo vt de illis dictum sit. Venus ingreditur, Pallas eggreditur, quemadmodum in Salomone est videre.

APH. XXIX.

Quando os, aut cartilago, aut neruus abscinditur in corpore, non augetur.

HIC aphorismus reperitur in sexta sectione, atque ibi à nobis fuit explicatus; si verò scire velis, quod à nemine fuit indicatum, cur Hippocrates illum repetierit, nostram vide artem paruam.

A P H. XXX.

Qui alba pituita detinetur, si fortis ventris fluxus superuenerit, à morbo liberantur.

Cur illi qui alba pituita detinentur si forti ventris fluxu detineãtur à morbo liberãtur

DIcuntur alba pituita detineri, qui leucophlegmatia, hoc est, in totius corporis tumorem inciderunt, cui si superuenerit fortis alui fluxus, liberantur, quoniam eo excernitur morbi causa cum conferentia, atque tolerantia, supponuntur etenim vires validæ. Sic illi, qui præ ingenti diuitiarum copia grauissimis, atque perniciosissimis curis detinentur, si illis, permittente Deo, aliqua fiat salutaris excretio, liberantur; quemadmodum in præcedentibus comprobatum est.

A P H. XXXI.

Quibus in alui profluuijs excrementa spumosa sunt, his ex capite pituita defluit.

Cùr illi quib. in alui profluuijs excremẽta spumosa sunt, his ex capite pituita defluat.

QVamuis pulmo facultatem habeat spumosum aliquod excrementum progignendi, si tamen inde generetur, non habet facilem exitum per secessũ; quapropter si in alui profluuijs excrementa spumosa excernantur, relinquitur vt pituita, quę cum illis est commixta, non aliunde quàm ex capite defluat. Non secus quicũque proijcit ampullas, & sesquipedalia verba, his talia excrementa

menta ex cerebro magna ambitione affecto defluere est opinandum; de qua re non paruæ extant sententiæ, quarum aliquas in pręcedentibus posuimus.

A P H. XXXII.

Quibuscunque febricitantibus in vrinis sunt sedimina, veluti farina crassior, longam ægritudinem fore significant.

Cùr quibuscunq. febricitãtibus in vrinis sũt sedimina, lõgã ægritudinem fore significent.

SI farinaceũm sedimentum in febricitantium vrina conspiciatur, indiciũ est materiæ admodum crassæ, atq; pertinacis, quæ ob sui cruditatem consequenter morbum futurum longum uobis significat. Non secus cuicunque humanis libidinosis voluptatibus æstuanti effuciuntur verba maximam pertinaciã indicantia, longam fore ægritudinem significant; de his etiam superiùs aliqua maximi momenti sententia fuit proposita.

A P H. XXXIII.

Quibus autem biliosa sedimina supra tenuia, acutum morbum significant.

Cur illi quib. biliosa sedimina supra tenui a, acutũ morbũ significent.

INter reliqua, quæ acutum morbũ significant, est biliosum sedimentũ in superiori vrinæ parte; quæ etenim sunt tenuia, facilius petunt superiora, quàm inferiora. Non secus si alicui excernantur verba maximam ambitionem indicantia, inde acutus morbus, atque cito ad perniciem terminaturus signifi-

gnificatur ; cuius ambitionis signa ex ijs, quæ in præcedenti dicta fuere, poterit quilibet colligere.

APH. XXXIV.

Quibuscunque vrinæ distantes sunt, his turbatio fortis in corpore fit.

Cur quibuscunq. vrinę sũt distantes his turbatio fortis fiat in corpore, qui animi morbus illi fit analogus.

PRoponit signum fortis turbationis, quæ fit in corpore, causam subticuit, quoniam minùs videbatur ad præsens institutum attinere, de illa etenim loquutus fuerat sectione quarta; est verò materia copiosa, atque ignea, quæ turbationem efficit in sanguine, cui proportione respondet quicumque rixas suscitat, de quo Sap. prouerb. 16. *Vir insipiens fodit malum, & in labijs eius ignis exardescit.* Et cap. 18. *Labia stulti miscent se rixis, & os eius iurgia prouocat; verba bilinguis quasi simplicia; & ipsa perueniunt vsque ad interiora ventris.*

APH. XXXV.

Quibus in vrinis bulæ subsistunt, morbum renalem, & longum significant.

Cur bullæ in vrinis subsisten tes significẽt morbum renalem.

CAusa propter quam bullæ in vrinis subsistentes, significant morbũ renalem, & longum, est quoniam prædictæ bullæ diu nequeunt subsistere, nisi multa adsit materia in renibus, quæ in illis obstructionem progignuerit, quemadmo-

madmodum vberiùs in nostris demonstrauimus commentarijs. Non secus in quocunque verba perseuerauerint, vt sic dixerim tumida, ambitiosum morbum, illumque longum significant.

APH. XXXVI

Quibus insidens pingue, ac simul totum, his renum vitium acutum significatur.

Cur quibus insidens pingue ac simul totũ his renũ vitium acutum significetur.

PInguedo in vrina confertim exiens, neque à propinquis, neque à remotis partibus prouenire potest, & non nisi à valido calore colliquante fieri; atque proinde significat renum morbum, eumque breuem, vt vberiùs in nostris demõstrauimus commentarijs. Sic ille, *qui epulabatur quotidie splendidè induebat purpura, & bisso, mortuus est diues, & sepultus est in inferno.*

APH. XXXVII.

Quibus autem morbo renali laborantibus prædicta accidunt signa, doloresque circa spinæ musculos fiunt, si quidem circa loca exteriora fiant, abscessus quoque exteriùs futuros expecta; si verò dolores magis circa loca interiora fiant, etiam abscessus expecta futuros interiùs.

SI dolor ad spinæ musculos cum prædictis vrinis ex fluxione oriatur,

 non

non poteſt non abſceſſum facere iuxta partem interiorem, aut exteriorem, ad quam magis vergit. Non ſecus qui aliquo abſcondito animi vitio laborant, ijs tandem fiet abſceſſus ad partem exteriorem, vel interiorem, prout lingua ſignificauerit magis hanc, quàm illam partem. Multorum etenim euentuũ eſt directrix lingua, quemadmodum in præcedentibus, ex Eccleſiaſtico demonſtratum eſt.

Cur tam animi quã corporis vitia abſcõdita ſint deteriora quam patentia.

APH. XXXVIII.

Quicunque euomunt ſanguinem, ſi ſine febre quidem, ſalutare: ſi verò cum febre, malum. Curare verò acerbis, & refrigerantibus.

SAnguinis vomitus ſine febre non eſt malus, quinimo multoties ſalutaris, quoniam conſueuit ſoluere morbos, qui ex plenitudine trahũt originem, quemadmodum Hippocrates in precedẽtibus ſectionibus demonſtrauit: licèt etenim vt ſignum ſit malus, poteſt tamen, & vt cauſa eſſe bonus. Si verò cum febre proueniat, eſt malus, quoniã ex mala cauſa proficiſcitur, nimirum eroſione, ruptione, vel inflammatione: Sic quicunque diuitias effundũt bona qualibet de cauſa, hoc eſt, vel in pauperes, vel aliud quodlibet pietatis opus, eſt ſalutare, vt ſępè ſuperiùs ex ſacris comprobatũ eſt. Si verò excernantur turpi de cauſa, & cũ moleſtia, eſt malum; ſic etenim habetur apud Iob c. 20. *Diuitias quas deuorauit, euo-*

Cur vomitus ſanguinis ſine febrę ſit ſalutaris, cũ febre malum.

Qomodo diuitiarũ profuſio illi ſit analoga.

euomet; & de ventre illius extrahet eas Deus.

APH. XXXIX.

Deſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurantur intra viginti dies.

ACuti morbi conſueuerunt quatuordecim, aut ad ſummum, viginti diebus terminari, atque proinde cum fluxiones, quæ ſiunt ad ventrem ſuperiorem, hoc eſt, thoracẽ, excitent morbos acutos, hoc eſt, inflammationem, vel in pleura, vel in pulmone, non poterunt hunc terminum tranſcendere, niſi fiat acutus ex decidentia. Sic impiorum iniquitates breui terminandas, habetur in Iob cap. nuper citato per hæc verba. *Hoc ſcio à principio, ex quo eſt poſitus homo ſuper terram, quod laus impiorum breuis eſt, & gaudium hyppocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cęlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent, vbi eſt? Veluti ſomnium auolans non inuenietur: tranſiet ſicut viſio nocturna; oculus, qui eum viderat non videbit, neque vltra intuebitur eum locus ſuus; filij eius atterentur egeſtate, & manus illius reddent illi dolorem ſuum, oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient*; & quæ ſequuntur.

Cur fluxiones in ventrem, ſuperiorẽ ſuppurẽtur intra viginti dies.

Cur laus impiorũ ſit breuis

APH. XL.

Si quis sanguinem minxerit, & grumos: & stillicidio vrina laboret, & dolor inciderit in femur; & imum ventrem, pectinemque, quæ circa vesicam malè se habere significatur.

HIC aphorismus fuit propositus in quarta sectione, atque ibi fuit explicatus. Si scire cupis cur Senex illum repetierit, nostram consule artem paruam; ibi etenim reperies causam à nemine hucusque indicatam.

APH. XLI.

Si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elanguit, tale est melancholicum.

Cur lingua si repentè incontinẽs fiat malũ euentum portẽdat.

QVemadmodum si lingua repentè incontinens fiat, talem corporis indicat ægritudinem, ita multiloquium, quotiescunque scilicet non necessaria, & superuacanea proferuntur, animi vitium denunciat; hinc habetur prouerbiorum cap. 10. *In multiloquio non deerit peccatum; qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Et 12. *Propter peccata labiorum ruina proximat malo; effugiet autem iustus de angustia.* Et cap. 13. *Qui custodit os suum, custodit animam suam; qui autem in-*

Cur multiloquiũ ingens

consideratus est ad loquendum sentiet mala. Et 21. *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam.* Et cap. 25. *Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum.* Idem tandem Sapiens in Ecclesiaste cap. 7., vt redarguat linguã incontinentem, hoc est, sine ratione, & consilio loquentem, sic habet. *Melior est finis orationis, quàm principium.* Et c. 10. *Labia insipientis præcipitabunt eum; initium verborum eius stultitia, & nouissimum oris illius error pessimus. Stultus verba multiplicat.* Est aliud signum desumptum ex facie, quo animi affectũ possumus indagare, est verò quod habet in Ecclesiastico cap. 13. *Cor hominis immutat faciem illius, siue in bona, siue in mala.* Quod si ita est, cur hoc signum prætermisit Hippocrates? Verùm respondemus hoc fortasse signum non fuisse omissum ab Hip., quando etenim inquit. *Aut aliqua pars corporis stupore elanguit*, potuit ipsam etiam faciem intelligere. Verùm est alia responsio magis tuta, quod scilicet signum ex facie, vt plurimùm est fallax ob incredibilem hominum vafritiem, quod ex eodem colligitur Sirachio, statim etenim subdit. *Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè inuenies, & cum labore.* Cæterùm esse hunc aphorismũ vtilissimum, atq; proinde voluisse Hippocratem incipientis melancholiæ signa nobis indicare, eo quod sit morbus maximè

animi vitiũ denũciet, atq. prauos pariat effectus.

Moderatæ linguę vtilitates recensentur.

Difficultati satisfit.

Hip. artificium.

Lingua quomodo possit esse bona & mala.

ximè formidandus, ex eodem colligitur c.14. quando inquit, *Fœlix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit à spe sua.* Esse autem linguæ incontinentiam malum, tanquam causam indicauerat Sap. prouer. c.15. *Lingua sapiëtium est sanitas. Lingua placabilis, lignum vitæ, quæ autem immoderata est conteret spiritum.* Posse autem esse bonam, & malã, indicauit cap.18. *Mors, & vita in manibus linguæ, qui diligũt eam, comedent fructus eius.*

APH. XLII.

Si senioribus supra modum purgatis singultus superuenerit, non bonum.

Cur singultus senioribus supra modum purgatis sit non bonum.

Ratio est non parũ euidens, cũ etenim seniores tendant ad siccitatẽ quæ fit ob assumptionẽ humidi substantifici, si illis ex immodica purgatione superuenerit singultus, est proculdubio nõ bonus; quoniam longè maiorem indicat factam fuisse exiccationem, & consequenter parum admodum humidi substantifici remanere. Hinc colligant prudentes quilibet senes, ne in suis consilijs præbendis sint admodũ prodigi, præcipuè vbi, suspicati fuerint se cũ illis aspernari; ne fortè illis superueniat singultus, hoc est, ingens aliqua animi concussio; seu commotio, quemadmodum ex sacris poterit eximius aliquis Theologus colligere.

BPH.

APH. XLIII.

Si febris non ex bile habeat, multa aqua calida capiti supra infusa, solutio fit febris.

Cur Hippoc. leuissimi morbi præsidiũ proposuerit in magno aphorismorũ opere.

Percontabitur aliquis, cur magnus Hippocrates in maximo hoc aphorismorum opere, in quo non nisi illa, quæ maximi momenti, proponere consueuit, voluerit tamẽ leuissimæ febris, ab externa tantũ causa pronatæ, remedium nobis indicare. Cui quęsito facilis euadet respõsio, si animaduertamus, vt in nostra diximus manuductione, atque euidentiùs in arte parua demonstrauimus, voluisse, atque debuisse artificiosissimum senem, ad totius artis perfectionem, nõ modò maximis morbis, maxima etiam accommodare præsidia; verùm etiam ad minimos morbos minima, & consequenter æqualia remedia proponere. Verùm alia occurrit maioris ponderis responsio, est verò quod causæ externę, præcipuè quando sunt non leues, internas causas suscitare consueuerunt, & consequenter aliquando lethales morbus inducere; id quod colligitur ex historia Manasses mariti Iudith, quæ habetur libro Iudith capit. octauo. per hæc verba. *Vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceę; instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est.*

Quomodo leuissima causa grauissimũ effectum producat.

Quod

Quod si existimemus in Manasse nullū præcessisse internum apparatum, adhuc magis, elucet admirandi Senis artificium, quippe qui fortasse hoc aphorismo nobis indicare voluit, quantam habeant vim externæ causæ suscitandi etiam mortes repentinas, nisi cito illis occurramus. Quapropter si statim, ac cæpit venire æstus super caput Manasses, multa aqua repida superinfusa fuisset illius capiti, horrendum hoc malum inhibitum fuisset.

Quomodo præsidium paruium debito tempore administratum possit curare lethalem morbum

APH. XLIV.

Mulier ambidextra non fit.

MVlier non fit ambidextra, quoniā non habet vtriusque manus æquale robur; perfectissimum enim robur in fœmina esse nequit. Si corpus robur ad animi fortitudinem transferatur, reperiemus præclaram analogiam præsentis aphorismi ad illud adeo decantatum. *Mulierem fortem quis inueniet?* neque verò hæc etiam erit consimili ratione destituta, cum etenim animi mores sequantur corporis temperaturam, facillimè poterimus ex aphorismo rationem elicere, cur mulier fortis non adinueniatur. Plurima ad id facientia breuitatis studio prætermittimus.

Cur mulier non fiat ambidextra.

Cur non inueniatur mulier fortis.

APH.

APH. XLV.

Quicunque suppurati vruntur, vel secantur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt; si verò subcruentum, & feculentum, ac fœtidum, pereunt.

IN suppuratione præcipit Hippocrates esse adhibendas vstiones, tanquā accommodatissimum remedium, quod non dissentit ab illo, quod habetur prouerb. cap. 17. *Sicuti igne probatur argentum & aurum camino, ita corda probat Dominus.*

Ignis cur sit magnum remedium accōmodatū magnis morbis.

APH. XLVI.

Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit, & album, euadunt; in tunica enim his pus continetur: si verò qualis amurca fluat, pereunt.

QVod de adustione in antecedenti aphorismo dictum est, huc etiam potest transferri.

APH. XLVII.

Dolores oculorum post meri potionem, & aquæ calidæ balneum, vena sectione curato.

CVm non modò in præsenti, verùm etiam aphorismo 31. antecedentis sectio-

Cur Hippoc. de oculorũ albugine non fuerit loquutus.

sectionis loquutus fuerit Hippocrates de oculorum doloribus, atque adæquatis illorum præsidijs, atque in alijs etiã sectionibus de quibusdam alijs oculorum affectionibus verba fecerit, percõtabitur iure merito aliquis, cur de illo oculorum morbo, qui propriè albugo nuncupatur ne verbum quidem pronũciauerit; nam præterquam quod professi fuimus in nostra arte parua Hippocratem in aphorismis vniuersam artem medicam complexum fuisse; modo etiã tenemur declarare, cur cum dictator suis aphorismis plurimas sententias sacras imitatus fuerit, illam omiserit, quę habetur Tobiæ cap. 2. hunc in modum. *Contigit quadam die, vt fatigatus à sepultura veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset, ex nidoque hirundinum, dormienti illi, calida stercora inciderent super oculos eius, fieretque cæcus.* Præterea cap. 11. sic habetur. *Tunc sumens Tobias de felle piscis, liniuit oculos patris sui, & sustinuit dimidiam ferè horam, & cœpit albugo ex oculis eius quasi membrana oui egredi, quam apprehendens Tobias, traxit ab oculis eius, statimque visum recepit.* Cui difficultati respõdemus, quod si accuratè perpendamus, reperiemus dictatorem dolorum nomine hunc etiam affectum complexum fuisse, siquidẽ credendum est, calida hirundinum stercora super oculos cadentia non potuisse cæcitatem inducere, nisi præcedente eorundem oculorum dolore; iam ve-

Tobię cæcitas quo pręsidio curata fuerit.

rò cuilibet compertum est, quod ad partem dolentem accurrunt sanguis, & spiritus tanquam suppetias laturi. Quod vero ad præsidium attinet, cum Hippocrates albuginem non expresserit, id etiam propterea cuiusuis piscis fel subticuit, satis habuit in arte parua breuissimam methodum, atque generica etiã præsidia indicare, per quæ possit quilibet oculorum dolores curare, antequam inducant vel albuginem, vel ipsam etiam cæcitatem. Quod si perconteris quomodo, & cur Tobias prædictum dolorem non persenserit, non erit arduum respondere ex ipso sacro textu, præ lassitudine, atque labore incidisse in profundum somnum, atque proinde dolorem statim non persentisse, persensit autem post, quando animaduertit se præterea in cæcitatem incidisse.

Cur Tobias dolorẽ qui præcessit cæcitatem non perseuserit.

APH. XLVII.

Aqua inter cutem laborans si à tussi habeatur, desperatus est.

HIc aphor. est idem cum 35. antecedentis sectionis; quapropter eius explicationem ibi reperies, differt tantùm, quòd ibi dicitur malum, hic verò, *desperatus est*, quemadmodum in nostra arte parua animaduertimus.

APH. XLIX.

Vrinæ stillicidium, & mingendi difficultatem, vini potio, & venæ sectio soluit, incidere autem interiores.

RAtio est, quoniam si vini potio cum venæ sectione associetur, magnam obtinet facultatem aperiendi vias, & cōsequenter soluendi stranguriam, & dysuriam, quoniam vini potio facilè permeat ad vrinam, & sanguinis missio reuellendo, & attenuando prohibet inflāmationem. In plurimis aphorismis commendauit Hipp. vini potionem, atque multis, ijsque magnis morbis vtilissimam esse prædicauit; quod idem multis sententijs ex sacris libris deprōptis à nobis in præcedentibus aphorismis demonstratum est, neque difficultatem facit, quod in prædictis sacris locis de vini tantùm potione fiat mentio, hic verò etiam de venæ sectione; quoniam venæ sectio non est necessaria per se, sed tantummodo ad inflammationem prohibendam; cuius rei signum est euidētissimum, quod opere de aere, aquis, & locis, ex quo (vt arbitror) hic aphorismus fuit depromptus, de ipsa tantùm vini potione fiat mentio.

Cur vini potio, & venæ sectio curet vrinæ stillicidium, & mingēdi difficultatem.

Difficul. tati satisfit.

APH.

APH. L.

Ab angina habito tumor, & rubor in pectore superueniens, bonum, extra enim vertitur morbus.

HIC aphorismus paucis immutatis iam fuit propositus, atque explicatus in sexta sectione; differt solùm, quòd ibi dixit in collo, hic verò in pectore; eadem tamen ibi proposita analogia huic etiam poterit inseruire. Huic tamen proportione respondet, quod habetur prouerbiorum cap. 27. *Melior est manifesta correctio, quàm amor absconditus.*

Sentētia aphoris. analoga.

APH. LI.

Quibus cerebrum sphacellatum est, idest, corruptum, in tribus diebus pereunt, si verò hos euaserint sani fiunt.

POstquam Hippocrates in antecedēti aphorismo de iflammatione verba fecit, in præsenti de illa maxima inflammatione cerebri verba facit, quam ob sui vehementiam, *sphacellum* nuncupauit; quamuis etenim sphacellus, syderatio, & corruptio aliquādo tribuado tribuatur ossi malè affecto, aliquando carnibus, vt cum membrum aliquod putresit, de his tamen non est intelligēdus

Per dictionem sphacellatum quid intelligēdum.

Cerebri inflāmationi qui animi morbus sit analogus.

dus aphorismus, quoniam si cerebrum sic afficeretur, nullo modo posset æger euadere; quapropter maximam tantùm intelligit (vt dictum est) inflammationem. Cui proinde respondet alius morbus lethalis, qui describitur in Ecclesiastico cap. 28. *Beatus est, qui tectus est à lingua nequam, qui in iracundia illius non transiuit, & qui nō attraxit iugum illius, & in vinculis eius non est ligatus; mors illius mors nequissima, & vtilis potiùs infernus, quam illa; perseuerantia illius non permanebit, sed obtinebit vias iniustorum, in flamma sua non comburet iustos; qui derelinquunt Deum, incident in illam; & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.* Verùm vlteriorem huius aphorismi explicationem in subsequenti proponemus.

APH. LII.

Sternutamentum fit ex capite calefacto cerebro, aut humectato eo, quod in capite, inani. Aer enim intus contentus extra erumpit. Sonat autem, quoniam per angustum ipsi est exitus.

Præsētis aphorismi connexio cū antecedenti.

Videtur omnibus interpretibus impossibile adinuenire præsentis aphorismi cum præcedenti connexionē; nos tamen illam in nostris edendis cōmentarijs proposuimus, atque aliquatenus in nostra arte parua indicauimus. In

In postrema antecedentis aphorismi animaduertit Hippocrates, quod si, illi, quibus cerebrum sphacellatum est, acutissimorū morborum terminum, nēpe diem tertium euaserint, sani fiunt; quomodo ij possint euadere non indicauit, cum tamen sit res non exigui momenti, atque euadendi modum vbique indicauerit dictator, & ne ab affectibus capitis discedamus, id præstitit aphoris. 10. antecedentis sectionis, quando inquit. *Caput dolenti, & circumdolenti pus, vel aqua, vel sanguis effluens per nares, aut os, aut aures, morbum soluit.* Si pus effluat per aliquam ex prædictis regionibus in grauissimo capitis dolore, signum est manifestum in capite aliquā præcessisse corruptionē; modò verò maius quoddam indicat dictator; sternutamentū, quāuis videatur leuissima quædā excretio, posse esse causam potissimam, qua illi, quibus cerebrū corruptum est, si tertium diem euaserint, sani fiant; nisi etenim hanc nostram admittas cōnexionē, nulla ratione poteris indagare, cur grauissimus senex in admirādo aphorismorum opere proposuerit hunc sermonem, qui magis videtur problematis, quā aphorismi naturā redolere; fuit igitur, vt nos arbitramus illius institutū, nobis indicare non tantū modum, quo fit sternutamentū, sed admonere, vt illum excitemus, vt scilicet profluente ex naribus, vel ore (valida facta concussione) pure, vel aqua, vel sanguine fiat morbi solutio. Esse autem explicationem

Quomodo leuissima excretio possit à lethali modo liberari.

Hippocratis artificium aperitur.

tionem non inanem id videtur suadere, *calefacto cerebro*, *aut humectato*; iam verò tam capitis vehementissimus dolor, quàm dicta in antecedenti putrefactio, à prædictis causis fieri consueuerunt. Quibus ita constitutis summopere est animaduertendum, quomodo his re consentiant historiæ, quæ habentur Regum libro 4. cap. 4. hunc in modum. *Creuit autem puer, & cum esset quędam dies, & eggressus isset ad patrem suum ad messores, ait patri suo: caput meum doleo; at ille dixit puero; tolle, & duc eum ad matrem suam; qui cum tulisset, & duxisset eum ad matrem suam, posuit eum illa super genua sua vsque ad meridiem, & mortuus est; ascendit autem, & collocauit eum super lectum hominis Dei, & clausit ostium. Ingressus ergo Eliseus domum, & ecce puer mortuus iacebat in lectulo eius, ingressusque clausit ostium super se, & super puerum, & orauit ad Dominum, & ascendit, & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum; calefacta est caro pueri; at ille reuersus deambulabat domi, semelque huc atque illuc & ascendit, & incubuit super eum, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos.* Cum nolimus admittere, quod existimauit libro de sacra philosophia doctissimus Vallesiu s, non fuisse penitus mortuum, sed linctum animo, atque adeo syncope correptum, dicique iacere mor-

Historia sacra aphorismũ sũmopere illustrans.

tuum, vt dicere cõlueuimus de apoplecticis, & catalepticis; atque denique de omnibus, qui sine sensu, & motu iacent, quasi inanimes, atque ideo dici Eliseum suscitasse puerum; quòd illum à grauissima syncope liberauerit, sed re vera fuisse mortuum, vt communis est sententia; hoc certissimum est, affectum lethalem à vehementissimo dolore capitis exortum fuisse, atque ipsum fuisse reuocatum facta septies oscitatione, quæ non secus ac sternutatio vasorum efficit inanitionem, cum conferentia, atque tolerantia; atque tandem non fuisse suscitatum sine medio naturali; quæ nostra sententia est æque pia, atq; vera.

APH. LIII.

Quicunque hepar circum dolent, his febris superueniens soluit dolorem.

QVemadmodum in nostris animaduertimus commentarijs, atque in nostra manuductione, aphorismi quilibet, qui prognostici ab interpretibus nuncupantur, non fuerunt, vt ipsi perperam existimarunt, prædictionis tantùm gratia ab Hippocrate conscripti, sed vt nos edoceret naturam bene operantem imitari, quemadmodum inter reliquos ex presenti colligitur aphorismo, in quo indicatur hepati circumdolenti febrem superuenientem dolorẽ soluere; vt nos admoneret, in vehemẽtibus doloribus, à causa præcipuè frigi-

Aphorismi prognostici ab Hip. fuerint conscripti.

 da

Quomodo febris possit, hepatis dolori superueniens, illũ soluere.

da excitatis, esse medicamenta calida, seu calorifica adhibenda, neque verendum esse, quod hæc aliquando febrem inducere consueuerint, quoniam in affectibus à causa frigida, atque humida prouenientibus, ipso affectus profligare consueuerunt. Tale quid habetur lib. 4. Regum cap. 29., in quo scriptum est Ezechiam Dei sententia morti destinatum, ab Esaia admotum fuisse cataplasma ex ficubus contusis, quæ maturandi facultatem habent, atque sanitati fuisse restitutum. *Dixitque Isaias afferte mihi massam ficorum, quam cum attulissent, & posuisset super vlcus eius, curatus est.*

Quomodo Ezèchias cataplasma te ex ficubꝰ fuerit sanitati restitutus.

APH. LIV.

Quibus à venis sanguinem mitterẽ confert, his vere venam oportet secarẽ.

Quomodo eleemosyna proportione respondeat sãguinis missioni.

QVamuis eleemosyna videatur omni tempore exhibenda, est tamen necessaria, vbi maior necessitas, atq; vbi maior est opum affluentia, quod indicauit Ecclesiasticus cap. 12. *Si benefeceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa, & inuenies retributionem magnam, si non ab ipso, certè à Domino.* Huic est analogum quod inquit Hippocrates, ad hoc vt sequatur maior cõferentia ex missione sanguinis esse eligendum tempus, quo maior est repletio, nimirum vernum tempus, atque corpus

pus sanguine repletum, alioquin vel non confert; vel minùs confert). Et cap. 18. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatem paupertatis in die diuitiarum.* Et cap. 29. *Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, & iterum redde proximo in tempore suo.* Et paulò post. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemosyna viri, quasi sacculus cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & postea resurget: & retribuet illis retributionem vnicuique in caput ipsorum, super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuum pugnabit.*

Cur vernum tempus sit sãguinis missioni maximè accõmodatum.

APH. LV.

Quibus inter ventriculum, & septum transuersum pituita reposita, & dolorem affert non habens exitum, neque ad alterum ventrem; his per venas ad vesicam pituita versa soluitur morbus.

RAtio est, quoniam pituita intra ventriculum, & septum transuersum contenta viam non habens conspicuam ad ventriculum, vt inde educatur per vomitum, aut ad intestina, vt inde educatur per secessum; consueuit educi per vesicã facta materiæ attenuatione, atq; trãsmissione per venas emul-

Quomodo possit pituita reposita inter vẽtriculum & septũ transuersum, ad vessicam verti.

émulgentes per occultos corporis meatus, ad iecur ob propinquitatem; iam verò cum pituita attenuata degenerat in humorem serosum, faciliùs transit per vesicam, quàm per alias corporis regiones; vt hinc admiremur maximam naturæ prouidentiam, quæ aliquando præter spem aliquos morbos curat per occultos dictos meatus, cui respondet, quod habet psaltes Regius. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

APH. LVI.

Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his venter aqua repletur, & moriuntur.

Cur illi quib⁹ hepar aqua plenũ in omentũ erumpit his venter aqua repletur, & moriuntur.

HVius morbi causa est præcipua, quòd inferior venter rapit illa, quæ per reliqua membra destribui deberent, vnde in miserandis diuitijs permanens, reliqua membra alimento destitura absumuntur; contra euenit quotiescunque prædictus venter omnibus distribuit, quod suum est. Sic habetur prouerb. 11. *Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt; alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Consonat etiam aphorismo præclarus locus Iob de quo superius mentionem fecimus.

Auari quomodo hydropicis sīt analogi.

APH. LVII.

Anxietudo, oscitatio, horror, vinum æquale æquali potum soluit ægritudinem.

IMmodici vni noxas cum Hipp. atque Sirachio in quinta sectione demonstrauimus. Eiusdem sobriè potati vtilitates ad aliquas curandas ægritudines in præsenti aphorismo, vt fecit in antecedenti sectione, demõstrat dictator, quod ante illum præstiterat prædictus in Ecclesiastico cap. 31., quãdo inquit. *Aequa vita hominibus vinum in sobrietate, si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Atque ante illum Sapiens prou. cap. 12. *Qui suauis est in vini moderationibus, in suis monitionibus relinquit contumeliam.*

Vini, moderati potati, vtilitatis.

APH. LVIII.

Quibus in vrinario meatu tubercula fiunt: his suppuratione facta, & eruptione, soluitur dolor.

HIC aphorismus fuit etiam conscriptus sectione quarta, atque ibi declaratus; cur autem repetitus fuerit, in nostra arte parua aduersus communem sententiam demonstrauimus.

APH. LIX.

Quibus cerebrum aliqua ex causa concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri.

Cur concusso cerebro sequatur obtumescentia.

CVm cerebrum sit loquelæ principium (inde etenim prouenit facultas mouendi, atque sentiendi) necesse est, vt eo vehementer percusso, sequatur obmutescentia, quoniam scilicet conquassatis venis, atq; neruis ad suam arcem prædicta retrahitur facultas. Si contingat pauperes, & humiles valde opprimi à potentibus, ac diuitibus, non potest non talis in illorum cerebro fieri agitatio cum timore permixta, quin illos reddat mutos. Id quod animaduertit Sap. prouerb. cap. postremo, quando inquit. *Aperi os tuum muto, & causis omnium filiorum, qui pertranseunt. Aperi os tuum, decerne quod iustum est, & vindica inopem, & pauperem.*

Sentẽtia aphorismo analoga.

APH. LX.

Corporibus carnes habentibus humidas, famem adhibere conuenit, famens enim corpora siccat.

Cur fames exiccet corpora carnes humidas habẽtia.

SI multa humiditas excrementitia fuerit per carnes dispersa, indicat exiccationem, quæ fit tali ieiunio; quod corpus faciat esurire, quemadmodum quotidiana demõstrat experientia. Quod curationis genus alios etiam curat affectus, de quibus in præsenti apoorismo nullam mentionem fecit Hippocrates; sunt verò qui ad irascibilem attinent facultatem. Omnes vnica breuissima sẽtentia complectitur Sapiens Ecclesiastes cap. 12., quando inquit. *Aufer iram à corde tuo, & amoue malitiam à corde tuo.*

Ieiuniũ quos curetanimi morbos.

APH. LXI.

Si à febre habito tumore non existente in faucibus, strangulatio repentè superueniat, nisi vix deuorare non possit, lethale.

HIC aphorismus iam in præcedenbus fuit explicatus.

APH. LXII.

Si febricitanti collum peruertitur, vt deuorare non possit, sine vllo colli tumore, exitiosum est.

IDem de præsenti aphorismo pronunciandum.

APH. LXIII.

Vbi in toto corpore mutationes, & corpus refrigeratur, & rursus calefit, aut colorem alium ex alio commutat, longitudo morbi significatur.

HIC aphorismus fuit in quarta sectione positus, atque ibi explicatus. Cur autem hìc fuerit repetitus, in nostra arte parua demonstrauimus.

APH. LXIV.

Sudor multus calidus, vel frigidus semper fluens; humorem abduci, robusto quidem supra, debili verò infra significat.

Cur sudor magis feratur ad superiora, quam ad inferiora

NIsi imbecillitas repugnet, sudor magis fertur ad supernam corporis regionem, quàm ad infernam, quoniam viscera in superna corporis parte magis collocantur, quemadmodum indicat frequens sudor, qui circa vultum, atque thoracem conspicitur. Cui proportione respondet illud Dei eloquium adeo decantatum. *In sudore vultus tui vesceris de pane tuo.*

APH. LXV.

Febres quæcunque non intermittentes tertia die vehementiores fiunt, periculosæ. Quocunque autem modo intermiserint, securitatem inesse significatur.

CVR etiam hic aphorismus fuerit hìc repetitus, in nostra arte parua demonstrauimus.

APH. LXVI.

Quibus febres longæ, his vel vomicæ, vel in articulos dolores decumbũt.

HIC etiam suo loco fuit explicatus, vt etiam qui hunc consequitur.

APH. LXVII.

Quibus vomicæ diuturnæ, aut in articulos dolores ex febre decumbunt, hi cibo pleniore vtuntur.

APH. LXVIII.

Si quis cibum febricitanti dederit, vt sano robur, sic laboranti morbus.

HVic sententiæ est analoga, quæ habetur prouerb. 25. *Acetum in nitro*

Cur animi cibus non fit irrisoribus offerẽdꝰ.

qui cantat carmina cordi pessimo. Et cap. 9. *Qui erudit derisorem, ipse iniuriam sibi facit; & qui arguit impium, sibi maculam generat; Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue Sapientem, & diligit te. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia, doce iustum, & festinabit accipere.* Et in Ecclesiastico cap. 21. *Narratio fatui quasi sarcina in via; nam in labijs sensati inuenietur gratia. Os prudentis quæritur in Ecclesia; & verba illius cogitabunt in cordibus suis; tanquã domus exterminata, sic fatuo sapientia, & scientia insensati inenerrabilia verba. Compedes in pedibus doctrina stulto, & quasi vincula manuum super manum dextram. Ornamentum aureum prudẽti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro.*

APH. LXIX.

Quæ per vesicam excernuntur, inspicere oportet, si talia, quæ in sanis, excernuntur. Quæ igitur minimè similia sunt his, hæc morbosiora; quæ verò sunt sanis similia, hæc minimè morbosa.

Quomodo Hipp. vrinam optimã proposuerit pro-

DEmonstrat in præsenti aphorismo Hippocrates, exemplo vrinæ cætera excrementa; quinimo & actiones omnes considerandas esse, vt fiat comparatio per similitudinem, vel dissimilitudinem ad sana corpora, qui modus fre-

fre-

frequens est apud dictatorem, atque analogismus appellatur. Quæ omnia quò magis fuerint similia sanorum excrementis, atque actionibus, eò magis sanum esse corpus demonstrabunt; quò magis dissimilia, eò esse insalubrius significabunt. Hoc idem de timente Deum, atque legem seruante, seu è cõuerso de iniquo, & impio demonstrat Concionator cap. 15. *Qui timet Deum, faciet bona, & qui continens est cognitionis legis apprehendet illam, & obuiabit illi, quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum; cibabit illum pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illum, & firmabitur in illo, & non flectetur, & continebit illum, & non confundetur, & exaltabit illum apud proximos suos, & in medio Ecclesiæ aperiet os eius, & adimplebit illum spiritu sapientiæ, & intellectus & stola gloriæ vestiet eum; iucunditatem, & exaltationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum. Homines stulti non apprehendent illam, & homines sensati obuiabunt illi; homines stulti non videbunt eam, longè enim abest à superbia, & dolo. Viri mẽdaces non erunt illius memores; & viri veraces inuenientur in illa, & successum habebunt vsque ad inspectionem Dei.*

norma, illarum quę fiunt ab ægrotantibus.

Vir omniũ optimꝰ quasi statua Policleti; quinã sit & quas habeat conditiones.

APH.

APH. LXX.

Et quibus deiectiones, si stare permiseris, & non moueris, veluti strigmenta subsistunt, si pauca, paucus est morbus; si multa, multus; his confert alui purgatio; quòd si aluo non purgata dederis sorbitiones, quantò plures dederis, tantò magis nocebis.

Alui fœcum quæ magis & quæ minus sint morbosa

QVamuis præsens aphorismus ab aliquibus interpretibus inter spurios fuerit positus, nos tamen illum Hippocrate dignum existimamus; quemadmodum etenim in præcedentibus sectionibus plures vrinas considerauit, atque alui excrementa, quorũ alia magis, alia verò minus sunt morbosa, ad maiorem totius artis perfectionem horum omnium communis quædã erat reddenda ratio. Est verò quòd prædicta excrementa, quò magis accedũt ad statum naturalem, minus sunt morbosa; quò magis recedunt, eò sunt magis perniciosa; atque proinde in antecedenti proposuit vrinam sanorum, quæ inseruire debebat tanquam norma, atque statua Policleti ad bonas vrinas, hoc est, parùm à statu naturali recedentes dignoscendas, quas laudauit: damnauitque illas, quæ multùm recedunt: quod idem in præsenti aphorismo vult esse intelligendum, quemadmodum colligitur

gitur ex aphorismo 83. huius eiusdem sectionis, in quo hos ipsos simul connexos vna, & eadem sententia complectitur. Consimilem progrediendi modum ante Hipp. seruauerat Sapiens in prouerbijs, qui varijs capitibus proposuit characteres, seu notas quasdam mulierum tam bonarum, quàm malarum, atque tandem in totius operis fine proponit similiter mulierem, quæ inseruire possit, tanquam reliquarum norma, atque, vt dictum est, tanquam statua Policleti; sic etenim habet cap. 13., quod totius operis est postremum. *Mulierem fortem quis inueniet? procul de omnibus finibus pretium eius &c.* transcribe reliqua. Obijcies quòd etiamsi tam sapiẽs loco citato, quàm Hippocrates in antecedenti, atque præsenti aphorismo proposuerit id, quod in suo quoque genere optimum est, vt scilicet inseruiat tanquã statua Policleti; esse tamen comparationem admodum disparem; atque proinde non videri conueniens aliquam statuere analogiam excrementorum ad naturam fœmineam. Verùm pro responsione animaduerte, id aliquatenus fuisse indicatum ab Hippocrate, nam præter quam quod aphor. 48. quintæ sectionis animaduertit fœminas concipi magis in sinistra vteri parte, atque à maris sinistra parte magis prouenire: libro etiam de genitura scriptum reliquit fœminas progigni à semine magis excrementitio; & quoniam, vt animaduertit ante Gal. Arist. libello de physiognomia, animi

Mulier omnium optima reliquarum norma.

Obiectioni satisfit.

mi mores sequuntur corporis temperaturam, hinc factum est, vt animaduerterit Sirachius mulierem bonam; deteriorem esse viro prauo, & Sap. in Eclesiaste cap. 7. *Lustraui vniuersa animo meo, vt scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem, & cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium, & inueni amariorem morte mulierem, quę laqueus venatorum est, & sagena cor eius; vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam; qui autem peccator est, capietur ab illa. Ecce hoc inueni*, dixit Ecclesiastes, *vnum, & alterum, vt inuenirem rationem quam adhuc quærit anima mea, & non inueni. Virum de mille vnum reperi, mulierum ex omnibus non inueni solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*. Et Ecclesiasticus cap. 25. *A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Omnis plaga tristitia cordis est, & omnis malitia nequitia mulieris; & omnem plagam, & non plagam videbit cordis, & omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris. Non est caput nequius super caput colubri, & non est ira super iram mulieris. Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam; nequitia mulieris immutat faciem eius, & obcæcabit vultum suum tanquam vrsus; breuis omnis malitia super malitiam mulieris; sors peccatoris cadat super illam*. Cap. autem 9. prauas

Mulier omnium pessima.

uas mulieres manifestè comparat sterìori; inquit etenim. *Auerte faciem tuã à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscẽtia quasi ignis exardescit. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via ab omnibus prętereuntibus conculcabitur*. Est tamen adhuc eximendus scrupulus; videntur etenim manifestè inuicem sibi aduersari duo ex locis citatis, nempe locus, qui habetur prou. cap. postremo, vbi describit mulierem fortẽ, & locus, qui habetur in Ecclesiaste cap. 7. vbi ait se inter mille homines vnum reperuisse, inter mulieres nullam. Responde non aduersari, quoniam iam dixerat. *Mulierem fortem quis inueniet?* Quasi velit dicere non adinueniri; quod si illam describit, factum est, vt nobis inseruiat pro norma, vt scilicet illam nobis comparemus proximè ad illam accedentem, tales etenim fuisse plurimas vnicuique compertum est.

Praua mulier cur comparetur stercori.

Apparẽs contradĩctio soluitur.

APH. LXXI.

Quibuscunq; inferiùs cruda deijciuntur, ab atra bile sunt: si plura pluri; si pauciora, pauciori.

HIC aphorismus inter spurios connumeratur, quòd si velis illum aliquo pacto Hippocraticum existimare: animaduerte esse duorum præcedentiũ declaratiuum; considerat etenim illa, quæ per infernam sedem deijciuntur ab optimis excrementis admodum recedentia.

APH.

APH. LXXVII.

Excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, & sanguineæ, biliosæ, & fœtidæ, omnes malæ. Cum verò bene excernuntur, bonum est, & per ventrem, & per vesicam: & vbi aliquid secedens steterit non purgatum, malum.

PRæsens etiam aphorismus cur hic fuerit repetitus in nostra arte parua demonstrauimus.

APH. LXXVIII.

Corpora oportet, vbi quis purgare voluerit, fluida facere: & si supra sistere aluum; si verò infra humectare.

HIC aphorismus iam à nobis in secunda sectione fuit explicatus. Cur verò ab Hippocrate fuerit repetitus, in nostra parua fuit indicatum.

APH. LXXIX.

Somnus, & vigilia, vtraque modum excedentia, morbus.

HIC etiam aphorismus à nobis fuit explicatus in secunda sectione; quid

quid verò Senem impulerit ad illum repetendum, in nostra arte parue aduersus communem sententiam demonstrauimus. Interim animaduertimus non sine artificio fecisse Hippocratem dictionum permutationem, ibi etenim adhibuit dictionem generalem, nimirum *malum*, hìc verò dixit *morbus*. Ecclesiasticus magis præcisè indicauit morbi genus; sic etenim habet cap. 31. *Vigilia honestatis tabefacit carnes, & cogitatus illius aufert somnum.* Est & alia causa vigiliam inducens, quam tetigit paulò post, quando inquit. *Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum, in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. Vigilia, & cholera, & tortura vino infrunito, somnus sanitatis in homine parco: dormiet vsque ad mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* A quo, vt arbitror, suum progrediendi modum desumpsit Hippocrates; postquā etenim sectione secunda, aphoris. 3. de immodica vigilia, siue somno laborioso verba fecit, statim subdit aphorismum, in quo de satietate, sermonem instituit, vt indicaret prædictos affectus inde prouenire. Si tandem huius sententiæ maiorem exposcis intelligentiam, vide rursus explicationem, quam tradidimus ad aphorismum tertium prædictæ secundæ sectionis.

Vigiliæ intēsæ ex quibus caussis proueniunt.

Hippocr. sapientū artificiū. quomodo imitatus fuerit.

APH.

APH. LXXV.

In febribus non intermittentibus si exteriora frigent, interiora vruntur, & febris habeat, lethale.

HIC aphorismus fuit conscriptus in quarta sectione, atque non sine artificio hic repetitus, quemadmodum in nostra arte parua demonstrauimus; eius explicationem ibi reperies.

APH. LXXVI.

In febre non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium peruertitur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit: quicquid horum fuerit, mors prope est.

Difficultati satis. fit.

QVamuis hic aphorismus paucis admodum immutatis scriptus fuerit in quarta sectione simul cum antecedenti, voluit tamen Hipp. illum repetere ob causam à nobis in nostra arte parua indicatam. Interim non est prætermittenda difficultas, quam posset aliquis aduersus aphorismum excitare; est verò, quod Hippocrates videtur refragari, quod habetur cap. 6. Baruch per hæc verba. *Quasi possint sentire, qui non habent motum*. Per hæc

Vtrum humana vita magis in motu an potius in ensu sita fit.

hæc etenim voluit significare Propheta humanam vitam præcipuè in motu sitam esse. Verùm quicumque vtramque sententiam diligenter consideret, reperiet inter illas admirandum esse consensum. Hippocrates etenim in præsenti aphorismo indicauit motum deprauatum, atque sensuum deperditionem esse propinquæ mortis prænunciam, quoniam hęc mutuò se se consequuntur, ita vt existenti iam ægro debili deficere incipiat motus voluntarius, atque pro eo fiat deprauatus; atque consimiliter deficere incipiat sensus, quoniam neque ipsæ sensationes absq; aliquali motu fieri possunt; præcitata verò sententia Baruch indicauit idola non sentire, quoniam non habent motum; reuera etenim si prorsus deficiat motus animalis. inde coniectamur nullum adesse sensum; quemadmodum in apoplexia forti est intueri. Neque difficultatem facit, quod habet Gal. libello de causis symptomatum; in parte præter naturam affecta posse perire motum manante sensu, non tamen hunc manente motu, quoniam hic Galeni locus est intelligēdus de aliqua parte corporis, non autem de toto corpore; quare motus animalis non est absque sensu, neque hic absque motu.

Instantiæ satisfit.

APH.

APH. LXXVII.

A pituita alba aqua inter cutem superuenit.

VOcat Hippocrates albam pituitam (alio nomine leucoplegmatia nuncupatur) totius corporis tumorem œdematosum, qui morbus alium deteriorem minatur, nimirum aquam intercutem, seu hydropem, quoniam magnam indicat hepatis refrigerationem, quæ cum vires acquirat eundo, nil mirum quod temporis progressu, crescente hepatis friditate, minor morbus degeneret in maiorem. Cui respondet illud in sacris literis adeo decantatum. *Abyssus abyssum inuocat.*

Leucoplegmatia quid. & quomodo degeneret in hydropem.

APH. LXXVIII.

Ab alui profluuio difficultas intestinorum.

CVm præsens, atque subsequens etiam aphorismus contineantur in aphorismo 81., inde illorum explicatio erit exquirenda.

APH. LXXIX.

A difficultate intestinorum leuitas intestinorum superuenit.

APH.

APH. LXXX.

A corruptione abscessus ossis.

CVicunque humani corporis particulæ corruptio, mala, peior tamen, quæ in ossibus, atque eò magis, quò os est putrefactioni obnoxium; id propterea dixit Sap. in prouerbijs cap. 12 *Mulier diligens corona; & putredo in ossibus eius, quæ confusione res dignas gerit.* Eò etiam est deterior, quòd ossa sustentãt totam molem corpoream, quo factum est, vt dixerit cap. 14. *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium inuidia.* E contra eorum statnm salubrem vbique magnifecit, præcipuè cap. 15. *Lux oculorum lætificat animam, fama bona impinguat ossa.* Et 16. *Dulcedo animæ, sanitas ossium.* Et Sirachius cap. 26. *Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suũ, & ossa illius impinguabit.*

Cur ossium putredo sit omnium pessima. Et qui animimorbus illi sit analogus.

APH. LXXXI.

A sanguinis vomitu phthisis, & puris purgatio supra, à tabe fluxio ex capite, à fluxione, alui profluuium, ab alui profluuio adstrictio purgationis superioris, ab adstrictione, mors.

CVm dixerit Hippocrates aphor. 78. Ab alui profluuio difficultas intestinorum,

Cõnexio cum precedentibus.

norum, & aphorismo 79. A difficultate intestinorum lenitas intestinorum superuenit, atque antecedenti. A corruptione abscessus ossis; quoniam scilicet quæcunque humorum maligna putrescentia ipsas etiam partes solidas nata est corrumpere, iure merito præsentem subnectit aphorismum, vt scilicet demonstret fieri posse pessimas metastases; non minùs à partibus superioribus ad inferiores, quàm ab inferioribus ad superiores: in hunc etenim sensum scripsit diuinus Senex aph. 3. sectionis sextæ. *In longis difficultatibus intestinorum inedia ex fastidio, malum, & cum febre peius.* Quod si alui profluuium prouenit ab atra bile, non potest non esse lethale, siquidem habetur sectione quarta aph. 24. *Difficultas intestinorum si ab atra bile incœperit lethalis.* Et aph. 26. *A difficultate intestinorum habito, si veluti caruncula exeant, lethale est.* Pessimam humorum conditionem ex praua victus norma, atque etiam sceleris conscientia emanantem, hanc lethalem metastasim in Rege Ioram prouenisse, sic permittente Deo, colligitur ex libro secundo Paralipomenum cap. 21., vbi sic habetur. *Et super hæc omnia percussit eum Dominus alui languore incurabili. cumque dici succederet dies, & temporum spacia voluerentur, duorum annorum expletus est circulus, & sic longa consumptus tabe, ita vt egereret etiam viscera sua, languore pariter & vita caruit.* Quamuis

Quomodo metastases possint etiã fieri praeç à superioribus ad inferiora.

Id exemplo pessimi morbi quem passus est Iorã declaratur.

uis etenim non sit à ratione alienum, quod existimarunt doctissimi aliqui viri dictione *tabe* intelligi totius corporis consumptionem, potiùs quàm pulmonum putrescentiam; nos tamen, prædictis Hippocratis aphorismis persuasi, existimamus potuisse etiam deleteriam humoris conditionem ad pulmones peruenire; atque inde etiam tabem prouenire.

APH. LXXXII.

A sanguinis sputo puris sputum, & liberatio; cum verò salua retinetur, moriuntur.

HIC aphorismus continetur aphorismo 15. & 16. huius eiusdem sectionis, atque in Galeni codice non reperitur; quapropter existimandum est ab Hippocrate non fuisse hìc conscriptum.

APH. LXXXIII.

Qualia fuerint vesicæ, aut alui excrementa, & ex carnibus, & sicubi alibi à natura corpus exierit; si parum, paucus est morbus; si multum, multus; si valde multum, lethale.

HOC aphoris. complectitur Hipp. illos, qui habentur sub numero 69. & 70. quemadmodũ ibi animaduertim⁹, atque

atque proinde cum ibi fuerit explicatus, non est cur id modò repetamus.

APH. LXXXIV.

Quicunque supra quadragesimum annum insani fiunt, non admodum conualescunt. Minus enim periclitantur, quibus proprius naturæ, & ætati morbus fuerit.

Cur illi, qui supra quadragesimum annum insani fiunt, nō ad modū conualescant.

Ratio est, quoniam à quadragesimo anno incipit ætas esse magis prudens siue in prudentia, atque sapientia magis proficere; quapropter qui illa ætate insani fiunt, non admodum conualescunt, quoniam morbus non conuenit ætati, quemadmodum ipse comprobat dictator, id fortasse didicit ex c.25. Ecclesiastici, in quo sic habetur. *Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum; pauperem superbum, & diuitem mendacem, & senem fatuum, & insensatum.*

APH. LXXXV.

Quibus in ægritudine pro arbitrio oculi illachrymantur, bonum; quibus autem non ex arbitrio, malum.

HIC aphorismus iam fuit suo loco à nobis explicatus.

APH.

APH. LXXXVI.

Quibus in febribus quartanis sanguis ex naribus fluxerit, prauum.

Hic aphorismus hìc fuit perperam interiectus.

APH. LXXXVII.

Sudores in decretorijs diebus vehementes, & veloces facti, periculosi.

Cur sudores in diebus etiā decretoriis vehemētes, & veloces facti sint periculosi.

Qvamuis hic asphorismus tamquam spurius fuerit ab interpraetibus prætermissus, nos tamen esse magno Hippocrate dignum, atque reliquis aphorismis affinem in nostris demonstrauimus commētarijs. Significat autem dictator, quod etiam sudores vehementes, atque veloces facti sunt periculosi, etiam si fiant in diebus decretorijs, quoniam vt ipse animaduertit aphor. 51. secundæ sectionis, omne nimium est naturæ inimicum, & quod paulatim fit, tutò fit. Hinc factum est, vt quando misericors Dominus Geneseos cap.3. præcepit Adamo, vt sudore sibi victum quæreret, noluit tamen hunc sudorem esse vehementem, atque velocem.

Cur præceperit D. Adamo vt sibi victū quæreret in sudore solius vultus.

APH. LXXXVIII.

Expulsi à frõte stillarum instar, & scaturiginum, & frigidi vehementer, & multi sunt; sudorem enim eiuscemodi necesse est violenter, & cum labore summo, & elisione diuturna exire.

HVic etiam aphorismo maximè quadrat sententia in antecedenti aphorismo proposita, voluit etenim victum esse quærendum in sudore vultus, non tamen à fronte stillarum instar, & scaturiginum, & frigidi vehementer, & multis; hos etenim sudores detestatur Hippocrates.

APH. LXXXIX.

In morbo diuturno, ventris depressio malum est.

Cur in morbo diuturno ventris depressio sit mala.

SI quemadmodum dixit Hippocrates aph. 35. secundæ sectionis; in quouis morbo partes ad vmbilicum, & imum ventrem attinentes crassitudinem habere melius est, multùm verò extenuari, & cõtabescere malum, ob rationem ibi traditam, multò magis erit id perniciosum in morbo diuturno. Cui aphorismo respondet diuturnus quilibet animi morbus, præcipuè assidua venus, quæ tãdem eneruat primùm corporis, deinde ipsius animæ

Qui animi morbus illi sit analogus.

mæ vires, quemadmodum alibi à nobis demonstratum fuit.

APH. XC.

Quæcumque medicamentis non curantur, ferrum curat; quæ ferro non curantur, ignis curat; quæ igne non curantur, ea existimare oportet immedicabilia.

In morbis incurabilibus ad quod prçcipue auxiliũ confugiendũ.

HVic analogam reperies sententiam apud Matthæum cap. 18. vbi sic habetur. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Cæterũ in perniciosissimis quibusque morbis, in quibus compellitur æger peruenire ad ferrum, atque ignem, placandus D.O.M. sacrificijs, atque eleemosynis, consilio Sapientis. prouerb. cap. 3. quando inquit. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt* Quæ sententia est intelligenda non modò de ægrotante, verùm etiam de medicinam faciente. Quod tamen præcipuè ad ægrotantem attinet, subdit paulò post. *Disciplinam Domini, fili mi ne abijcias, nec deficias, cum ab eo corripieris; quem enim diligit*

Dominus, corripit, & quasi pater in filijs complacet sibi. Cæterùm, quod validum præsidium sit ferrum indicauerit prouer. 27. *Ferrum ferro exacuitur, & homo exacuit faciem amici sui.* Quod vero omniũ præsidiorum potentissimum sit ignis, atque id propterea illum Hippocrates tanquam extremum postremo loco proposuerit, colligitur ex eodem Sapiente cap. 27. *Quomodo probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Et Ecclesiasticus ca. 31. *Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.* Quod si morbus igne non curetur, existimare oportet illum esse immedicabilẽ, quod animaduertit Sapiẽs in Ecclesiaste cap. 8. quando inquit. *Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis.* Cæterùm percontabitur aliquis, an Hippocrates in præsenti aphorismo per morbos, qui nulla naturali arte sanari possunt, inter reliquos intelligere voluerit morbos, qui fascinatione induci consueuerunt; videtur autem id non modò ex præsenti aphorismo colligi posse, verùm etiam ex aphorsimo 52. secundæ sectionis, inquit etenim. *Omnia secundum rationem facienti si non succedat secundum rationem, ad aliud non est transeundum, stante eo, quod à principio visum est.* Quod si nullum ex prædictis aphorismis velis de prædictis morbis intelligere, videbitur Hippocrates diminutus, quippe qui in

Ferrum esse validum præsidiũ, demonstratur: tamẽ ignẽ esse omnium validissimum.

An Hippoc. per morbos qui nulla arte naturali curari possunt intelligat illos qui fascino inducuntur.

in sua hac arte paru a prætermiserit morbos non prætermittendos, vel saltem leuiter attingendos, de quibus alibi videtur mentionem fecisse Solomon capite quarto Sapientiæ, quando inquit. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona.* Atque D. Paulus capite tertio. Epistolæ ad Galatas, quando illuc sic alloquitur. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati?* His tamen non obstantibus, existimamus nos sapientissimum Hippocratem neque in præsenti, neque etiam in præcitato aphorismo de prędictis morbis intelligere voluisse, tum quoniam re vera non dantur tales morbi, tum etiam quoniam, si fortasse darentur, ad suum institutum nentiquam videntur pertinere. Quod autem non dentur, euidentissimis rationibus probauit doctissimus Vallesius, ex quo proinde nos responsionem elicimus ad præcitatas sacræ paginæ sententias; atque quod primum attinet ad illam, quam D. Paulus pronunciauit, respondetur D. Paulum non asseruisse fascinationem esse aliquam naturalem, sed quasi prouerbio, quod ex vulgi opinione natum est, vtens, dixit. *Quis vos fascinauit recedere à fide?* Et quod attinet ad præcitatũ locum sapiẽtiæ, optimè quidem animaduertit loquutionem illam de fascinatione esse alegoricam; allegoria verò accipitur à vulgari opinione, quandoquidem in sacris etiam literis

Parte m negatiuã amplecti tur auctor atq. auctoritatibus in contrariũ allatis satisfacit.

existimandum esse morales fabulas, atq; allegorias à fabulis translatas, non aliter atque in moralibus philosophorum libris. Est autem animaduertendum plurimos morbos curationem non admittere, non modò sua naturali, vt sic dixerim, conditione, verùm quoniam, vt indicauit Hippoc. aphorismo primo primæ sectionis, æger suum non præstat officium, tum ob incontinentiam, tum etiam ob assidentium versutiam cum malignitate associatã; de quibus dici potest, quod habetur Ecclesiastici cap. 19. *Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore Domini, quàm qui abundat sensu, & transgreditur legem Altissimi.* Sunt autem hi scioli, qui opinantur, se saltem multò melius victus rationem instituere, quàm ipse peritissimus Medicus, quem etiam non semel irridere consueuerunt, quando præcipuè non statim apparet noxa ex errore commisso; cui cosonat illud, quod habetur cap. 10. prouerb. *Quasi per risum stultus committit scellus.* Et cap. 12. *Via stulti recta in oculis eius.* Sunt verò alij ægrotantes, qui peccant in viuendi norma, quem errorem neque ipsi agnoscũt, neque etiam Medici, nisi fuerint sollertissimi, atque in medendo versatissimi; sunt verò qui ob aliquod infortunium, vel ob aliquod prauum allatum nuncium, latente quodam mœrore conficiuntur; est inquam hoc erratum quandoque adeo latens, vt Medicus illud non possit, nisi maxima difficultate, expisca-

Cur multi morbi tam ad corpus quam ad animum attinẽtes curationem ad admittant.

ri. Cui proportione respondet, quod habetur Psalmo 92. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Esse verò aliquos animi morbos prorsus insanabiles; habetur apud Hieremiam loco citato, per hæc verba. *Ascende in Galaad, & tolle resinam virgo filia Aegypti; frustra multiplicas medicamina; sanitas non erit tibi.* Rationem tradidit, quoniam spreuit medicinam; dixerat etenim. *Numquid solitudo factus sum Israeli, aut terra serotina, quæ nihil prorsus, aut malignè aliquid profundit? Cur ergo populus meus à me deficit, & se reuersurum negat? Nunquid obliuiscitur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ? At populus meus oblitus est mei diebus innumeris.* Huc spectat illud D. Pauli ad Titum cap. 3. *Hereticum hominem post vnam, aut alteram admonitionem, veluti insanabilem, ac deploratum fugito.* Est tandem admiranda diuini nostri Senis sapientia, qui in huius opusculi exordio, scilicet in prohemiolo, animaduertit plures sanitati restitui non posse, sic imperantibus exterioribus, quorum omnium prima causa, atque efficiens est Deus O. M. In presenti aphorismo, qui est totius opusculi finis, demonstrat aliquos esse morbos, qui neque ferro, neque igne possunt sanitati restitui, quoniam tandem omnia ad vnum tendunt, atque properant finem, nimirum ipsum D. O. M. omnium verum finem; id etenim significare voluit, quando dixit prope initium primi pro-

Hippoc. sapientia demonstratur.

gnosticorum, *esse quid diuinum in morbis*; iam verò his maximè consonat, quod habetur cap. 16. prouerb. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, Atque euidentiùs c. 21. Apocalipsis. *Ego sum a, & ω, initium, & finis.*

Totius operis Finis.

T. H. V.

INDEX RERVM, atque verborum.

A.

D

E

F

G

H

Histo-

I

Insa-

N

O

P

Vrer-

INDEX

V

F I N I S.

Errata sic corrigenda.

Pag. 1. vbi ait mutuatum, leg. mutuatam. pag. 30. pertingat, lege perstringat. pag. 32. sic vti l. sicuti. p. 34. æb l. ab p. 39. Ennarrans, l. enarratus. p. 39. Vbi habetur sagx l. sagax. p. 40. alienũ. l. alienam. p. 44. pauperibus l. Principibus. p. 46. Sapiensia l. Sapientia. p. ead. Quousque l. quosque. p. 13. exprimo l. ex primo. p. 65. tantac l. tanta. p. 67. porigere l. porrigere, p. 70. rectiuit l. vestiuit. p. 71. gioriati l. gloriari. p. 74. vir l. viro. p. 76. verba in confidit sunt superflua. p. 81. vederit, l. viderit. p. ead. interprete, l. interpretes. p. 82. rectam ad præsidia ministrata, l. recta præsidia administrata. p. 87. fiũt, l. fidunt. p. 91. sanum, l. saxum. p. 95. locum l. lorum. p. 98. deficia, l. deficiat. p. ead. alij, l. alijs. pag. 120. habens cibos, l. habes, ciba. p. 121. pigritijs, l. pigritia. pagin. 125. sapiendum, leg. sapientum. pagin. 129. sapienti, lege sapiente. 129. medicatio, l. meditatio. pagin. 136. indic..tnem, l. iudicationem. pag. ead. iucundus, l. iracundus. p. 140. libeuter, l. libenter. p. 143. morbus l. morbos. p. 144. cap. 20. l. 21. peccati, l. peccasti. adijciat. l. adijcias. p. ead. lærifica, l. lætificat. p. ead. verum vino ..... p. ead. habit, l. abit. p. 146. aphorisme, l. aphorismus; infortunium, l. infortunium. p. ead. insp.ctor, l. inspector. p. ead. Quimmo, l. quinimo. p. :54. absflinẽdum, l. abstinendum. p. 160. substuntia, l. substantia. p. 162. pæcauere, l. præcauere. p. 168. tocupet, l. occupet. p. 16?. pędicat, l. prędicat. p. ead. inuocabuñt, l. inuocabunt. p. ead. cousurgent, l. consurgent. pag. 171. deterriantur, l. deterra.tur. p. 178. lungi, l. longi. pag. 179. quam vt animi, l. quam animi. p. 186. verum, l. vtrum. p. 191. fit, l. sit. pag. 192. adhuc, l. ad hunc. p. ead. estus, l. aestus. p. 199. gracillitas, l. gracilitas. p. 202. arturi, l. arcturi. p. 203. confringentur, l. confringetur. p. 205. in morbi, l. in morbis. p. 214. sieca, l. sicca. p. 217. homiuis, l. hominis. p. 239. libri secundi, l. libro septimo. p. 253. tabido, l. tabibi.

bi.p.ead.tentorum,l.tentorium.p.ead. ad propria.l.
propria.p.254.materię,l.materia.p.262.cuper,leg.
super.p.265.Atrebili,l.Atræbili.p.269. lethail,l. le-
thale.p.272 demiserit,l.dimiserit.p. 276 Deficit &
vigesimoprimo.p. 279.denuntiet,l.denũcient. p.281.
fit,l.sit.p.282.varijs, l.varij.p.290.hilaritas, l.hila-
ritatis.p.293.ritu,l.risu.p.294.loquendum.l.ad lo-
quendum.p.295.hamiditatem, l.humiditatem. p.
299.fit,l.sit.p.302.defedatio, l.defoedatio.p. ead.
impiam,l.inopiam.p.303.Aestiui,l.Aestui.p. ead.
Zelotypæ,l.Zelotypa.p.320 noctis,l. noctu, factu,
l.facta.pa.328.fit,l.si.p.ead.epilepnei, l. epileptici.
p.330.ad aphorismorum,l.ad aphorismum.p 332.
cui,l.cur,& p.ead.allis, l.alijs.p.335.lethalis, le.le-
thale.p.336.eaquire,l.exquire.p.337.dici,l.diei.p
342.æstato,l.æstate.353.suit,l.fuit.p.ea.quonibm,
quoniam.p.357.numeris,l.muneris. p.361. quun-
do,l.quando.p.362.polluãtur, l.polluatur. p.367.
animadueriit,leg.animaduertit.p.377 quicunq. l.
quæcunque.p.378.tempore,l. tempore.p.379.vte-
ro,l.vtero.p.386.adoelescentia, l. adolescentia.pa.
389.saam,l.suam.p.422.redundant, l.redundat.pa.
424.prauo,l.paruo.p.426.repellendi,l.repellendę.
p.430.eo,l.& p.ea.abscontis,l.abscon s.p.432.fic,
l.sic.p.434.eneuisse,l.euenisse.p.436. erit,l.eris. p.
441.eleemosyna,l.eleemosynæ. p 443. conuulsio-
nes,l.conuulsionis.p.444.illum,l.ilium,in inflam-
matione,l.absq. inflammatione. p.447.qui ex na-
tiuitate,l.qui non ex natiuitate.p 454. benos.l.bo-
nos.p.455.audieris,l. acedieris.p.ead. accedere,l.
accede.p.ead.præceditur,l.præciditur p.467 præ-
biant,l.præbeant.p 468.& l.ne.pag.472. estas,l.æ-
stus.p.ead.coecitatem,l.cæcitatem, ac coecitati, l.
caecitati.p.474.molestatas,l.molestatis.p.481.cor-
pore,l.corporei,& fastidioi,l.fastidio. p.482.de fi-
pientia,l.desipientia.p.484.scilicer,l.scilicet.p.491.
sauguinis,l.sanguinis.p.492.est, l.& p.ead.prece-
denti,l.præcedẽti.p.493.fit,l.si p.494.forte,l.forti.